REGULA CLERI, EX SACRIS LITTERIS, SANCTORUM PATRUM...

Simone Salamo



Ad simplicem usum P. F. Nicolai Sisini
a Valentano Min: Obs: 1824.

E

REGULA CLERI,

EX SACRIS LITTERIS, SANCTORUM PATRUM MONIMENTIS, *ECCLESIASTICISQUE SANCTIONIBUS*, Excerpta.


Studio & operâ SIMONIS SALAMO, & MELCHIORIS GELABERT, *Presbyterorum, Doctorum, & Missionariorum Diœcesis Elnensis.*

TERTIA EDITIO,

CUI ACCESSIT

RÆPARATIO PROXIMA AD MORTEM.

icumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia. Ad Gal. 6.



RANCOPOLI-RUTHENORUM,
l PETRUM VEDEILHIÉ, Regis Typographum.

M. DCC. LX.

n Approbatione & Privilegio Regis



JESU-CHRISTO,

SACERDOTUM ET PASTORUM

PRINCIPI.

TIBI, ô Pontifex futurorum bonorum, qui es principium & finis, & Pater luminum à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit; tibi in quo vivimus, movemur, & sumus, & cui, utpotè Regi seculorum immortali, soli Deo, honor & gloria; tibi, inquam, Regi licamus opus nostrum. Tu siquidem, Altissime super omnem terram, digus es accipere gloriam & honorem, uia tu creasti omnia, & propter vontatem tuam creata sunt.

Attamen tu scis, Domine, quia on sumus sufficientes cogitare aliquid nobis quasi ex nobis, sed sufficien: nostra ex te est.

Tu ergò, scientiarum Domine, qui uminas omnem hominem venientem hunc mundum, qui linguas infann facis disertas, qui intellectum parvulis, & qui verba vitæ æternæ

habes, da nobis os & ſapientiam, ut cum ſimplicitate cordis noſtri loquamur quæ decent ſanam doctrinam; emitte Spiritum tuum, & renovabis faciem terræ.

Et verò, cùm fides ſine operibus mortua ſit, rogamus te humillimè, ô ſumme Sacerdos, ut Sacerdotes tui hoc opus legentes, intelligant; ut comedentes hoc volumen, ſervent ea quæ in eo ſcripta ſunt; ac ſic, induentes juſtitiam, & dignè ambulantes vocatione quâ vocati ſunt, ſemetipſos ſalvos faciant & omnes qui eos audierint; & ut tandem, cùm tu Princeps Sacerdotum & Paſtorum apparueris, omnes ſimùl percipiant immarceſſibilem gloriæ coronam, & in ſecula ſeculorum laudent te.





AD UNIVERSUM ECCLESIASTICUM ORDINEM

PROLOGUS.

CUm ſimus Miniſtri Chriſti, *Diſpenſatores* Myſteriorum Dei, & inſuper Nazaræi; id eſt, *Domino conſecrati*, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, æquum eſt ut ſancti ſimus quia ille ſanctus eſt, ac proinde *ut* jam non ampliùs conformantes huic ſeculo nequam, conformes verò *imagini* Chriſti, in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei Miniſtros.

Hanc viam arctam quæ ducit ad *itam*, exhibuit prior, quàmvis ompendioſæ, informis, majoreq; i parte truncatæ Regulæ Cleri edi ; eamdem verò viam hæc ſecun prolixiùs, firmiùs, & ordinatiùs hibebit; pro quâ ſtabiliendâ, hau ius ex libro vitæ, ex monimentis nciliorum, ac Patrum, quæ ad

nostram doctrinam scripta sunt. Undè satis indignum esset, ut ait Julius Pontifex, quemque, vel Pontificum, vel Ordinum subsequentium, hanc Regulam refellere quam Beati Petri Sedem & sequi videat & docere.

Nemo ergò sibi nos propria tradidisse putet, nec tanquàm nostra suscipiat, ut loquamur cum Divo Bernardo; Deus, scientiarum Dominus, qui linguas infantium facit disertas, & qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, ipse Dominus Altissimus dedit vocem suam; semel locutus est, aperuit os asinæ, & locuta est; undè, suadentibus juxta cor Dei Pastoribus, non abscondemus Sacramenta Dei, sed ponemus in lucem scientiam illius: etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est, ut sit nomen ipsius benedictum & glorificatum coram omnibus viventibus & in secula.

Verùm, loquemur vobis placens;

tia & auribus prurientia? Absit ut adulteremus verbum Dei. Undè, exemplo Christi, qui nos à juventute docuit, & qui sine parabolis non loquebatur, loquemur pariter & nos (licèt doctos allocuturi) cum simplicitate cordis nostri; vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ. *Sermo meus & prædicatio mea*, inquit Apostolus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis: nos autem*, subjungit, *prædicamus Jesum-Christum, & hunc crucifixum.* Et reverà, cum simplicibus sermocinatio ejus, & arcana cœlestia quæ abscondit sapientibus & prudentibus, revelat parvulis.

Accipite ergò, Fratres charissimi, in simplicitate cordis vestri hoc opus quod nos vobis in simplicitate cordis nostri offerimus; efficiamini sicut parvuli quibus Deus dat intellectum. Verùm, cùm illi qui sine regulâ vivunt, inordinatè ambulent, obsecramus vos, Fratres charissimi, per

viſcera miſericordiæ Dei noſtri qui nos de præſenti ſeculo nequam ereptos, & ex hominibus in ſortem ſuam ſimul aſſumpſit, ut in hâc Regulâ Cleri, tanquàm in ſplendidiſſimo ſpeculo vos ſedulò inſpiciatis, ut faciliùs agnoſcere poſſitis utrùm quiſque veſtrûm regulariter vivat, utrùm proficiat an deficiat, utrùm Deo placeat an diſpliceat.

Sed cavete ne ſitis ſimiles viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo; conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Vos verò, utpotè gens ſancta; vos verò homines Dei quos decet eſſe in omnibus bonæ voluntatis homines, *ſic vos in hoc ſpeculo reſpicite, ut fœda quæque corrigatis, vel pulchra plus ornetis.* S. Aug. Non enim ignoratis quod ſcriptum eſt: *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Rom. 2.

Quapropter, ſcuto bonæ voluntatis armati, guſtate & videte hæc verba vitæ, conferentes hæc in-

-de vestro, ut indè exardescente meditatione vestrâ igne illo quem hristus Dominus venit mittere in rram, possitis in omnibus perfecti re, & in quâ vocatione vocati tis, in eâ permanere; & ut luceat x vestra coram hominibus, qui identes opera vestra bona, glorificent Patrem qui in cœlis est.

Memineritis, ô Genus electum, regale Sacerdotiũ, Gens sancta, & Populus acquisitionis, memineritis istius quod scriptũ est: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.* Igitur hoc facite & vivetis.

Porrò, quàmvis hæc vobis Consacerdotibus, charitatis intuitu, prærogemus, absit ut prærogativam nobis scientiæ vindicemus, aut vitæ perfectæ nos esse fateamur, cùm de vitâ perfectâ vos monemus; sed potiùs, ut cùm hæc ad vos loqui audemus, simul vobiscum quæ loquemur audiamus. *S. Ambr.* Quare, ne sermo quem locuti sumus ipse judicet nos in novissimo die; & ne

fortè, cùm aliis prædicaverimus, ipsi reprobi efficiamur, quæsumus cum Divo Gregorio, *ut quisquis vestrûm hæc legerit, apud districtum judicem solatium nobis suæ orationis impendat; & qui per nos verba accipit, pro nobis lachrymas reddat*, ut peccatorum nostrorum veniam & expiationem assecuti, misericordias Dñi in æternùm cantemus. Amen.


PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & féaux Conseillers les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra; SALUT: Notre amé VEDEILHIÉ, Libraire à Villefranche, Nous a fait exposer qu'il désireroit faire réimprimer & donner au Public des Livres qui ont pour titre, *Regula Cleri*: *Præparatio proxima ad Missam*; s'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Permission pour ce nécessaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes de faire réimprimer lesdits Livres,


nt de fois que bon lui semblera, & de
vendre, faire vendre & debiter par tout
e Royaume pendant le temps de trois
ées consécutives, à compter du jour
la datte des Présentes : Faisons défenses
ous Imprimeurs, Libraires & autres per-
nes de quelque qualité & condition qu'el-
soient, d'en introduire de réimpression
rangere dans aucun lieu de notre obéis-
nce ; à la charge que ces Présentes seront
nrégistrées tout au long sur le Régistre de
Communauté des Imprimeurs & Librai-
es de Paris, dans trois mois de la datte
l'icelles, que la réimpression desdits Livres
era faite dans notre Royaume, & non
ailleurs, en bon papier & beaux caractères,
conformément à la feuille imprimée, atta-
chée sous le Contre-scel des Présentes ;
que l'Impetrant se conformera en tout aux
Réglemens de la Librairie, & notamment
à celui du 10. Avril 1725 ; qu'avant de les
exposer en vente, les Imprimés qui auront
servi de copie à la réimpression desdits Li-
vres, seront remis dans le même état où
l'Approbation y aura été donnée, ès mains
de notre très-cher & féal Chevalier Chan-
celier de France, le Sieur DE LAMOIGNON,
& qu'il en sera ensuite remis deux Exem-
plaires de chacun dans notre Bibliothéque
publique, un dans celle de notre Château
du Louvre, & un dans celle de notredit
très-cher & féal Chevalier Chancelier de
France, le Sieur DE LAMOIGNON, le tout
à peine de nullité des Présentes ; du con-
tenu desquelles vous mandons & enjoignons

de faire jouir ledit Exposant & ses ayans-causes pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons qu'à la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, foi soit ajoûtée comme à l'original : Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte-Normande, & Lettres à ce contraires : Car tel est notre plaisir. DONNÉ à Versailles, le seiziéme jour du mois de Septembre, l'an de grace mil sept cent soixante, & de notre Regne le quarante-sixiéme. Par le Roi en son Conseil. LE BEGUE.

Régistré sur le Régistre XV. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 58. fol. 106. conformément au Réglement de 1723. A Paris, ce 30. Septemlre 1760. G. SAUGRAIN, Syndic.



REGULA



REGULA CLERI.


CAPUT PRIMUM.

JANUA

AD STATUM CLERICALEM.

ARTICULUS PRIMUS.

Seminarium.



Um adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur; & cùm Seminariorum fundatio eò tendat, ut Clerici ad pietatem, religionem, ecclesiasticam disciplinam, bonos mores, & litteras erudiantur; nihil hâc fundatione utilius ad Cleri disciplinam in singulis Ecclesiis propagandam, animarumque

ſalutem procurandam. *Concilia paſſim.*

Undè tamen fit ut plerique ad ſacros ordines promoveri cupientes, pulvere adhùc terreno fœdati, & vitiis ſcatentes, extorqueant diſpenſationes, in ſimulando pauperiem vel infirmitatem, aliaſque fraudulentas cauſas allegando, ut Seminarii jugum à ſe projiciant, quaſi in terram habitatores ſuos devorantem intrarent? Parùmne eſt quòd lubricæ ætatis annos inter vanitates & inſanias falſas egerint? Væ illis, ſi antequàm ad regale Sacerdotium exaltentur, inter Eccleſiaſticas diſciplinas aliquamdiù non degerint, probatiſſimo ſuperiori deputati, quem Magiſtrum regularis obſervantiæ, & teſtem arctioris vitæ habuerint! Væ illis, ſi vagos, effrænatos, ſuperboſque animos ſuos ſeveriori regulâ coërcere, ejuſdem Magiſtri dirigentibus monitis & corroborantibus exemplis, renovare recuſantes, obtinuerint ſubreptitias diſpenſationes, iiſque utantur! Annon, excuſſo fraudulenter jugo, & rejectâ frontosè diſciplinâ, & poſthabitis ad formidanda miniſteria exercitationibus, totâ vitâ poſteà torpeſcentes, ac in deteriora ruentes, erunt ſibi & aliis petra ſcandali, idola paſtorum, Dei hominumque abominatio? Scriptum eſt enim: *adoleſcens, juxtà viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eâ.* Prov. 26.

Alii quidem Seminaria adeunt, ſed ægrè prorsùs & inviti, quaſi in terram alienigenarum gentium pertranſirent, aut in exilium pellerentur; quaſi in teterrimum detruderentur carcerem, aut ad triremes damna-

rentur; hinc Seminarii ſtatuta paſſim violant, pietatem negligunt, Deo obedire tanquàm obedientiæ filii vix ſciunt; præpoſitis vices Dei gerentibus, ſubjacere renuunt; eorum quidem voluntati ſe tandem ſubjiciunt, ſed mancipiorum inſtar obediunt; quare? Quia humilitatis uſum non habent, & quoniam fuerunt ſemper filii Belial. Quapropter ſuperiores & præfectos immoderatæ ſeveritatis accuſant & damnant. Hinc tacitis ſaltem cogitationibus, adversùs eos murmurant, eorum defectus aperiunt & amplificant.

Societatem cum protervis ineunt, externorum colloquiis delectantur, proximo ſuo, & ſecretò & palam detrahunt; ipſi jam perverſi, alios pravis exemplis pervertunt; ſuos errores, licèt ob eorum utilitatem id fiat, deferri moleſtè ferunt, conſilia negligunt, increpationes oderunt & relinquunt, corripienti iraſcuntur; mentiri, aut ſua errata inficiari, aut excuſare ſolent; adeò dyſcoli, & moroſi ſunt, ut nec aliis nec ſibi conveniant; in deteſtabile ſuſurrium laxant procaces linguas; undè diſcordias ſeminant, odia excitant & fovent; vanè, ſcurruliter, ironicè, procaciter, & impudicè loquuntur, aut reſpondent; aut ad ſummum, de beneficiis, dignitatibus, ordinibus, & vanitatibus ſæculi, quibus avidi inhiant, verba faciunt, raro autem de divinis. Quid mirum! Quamvis in terrâ Sanctorum verſentur, de terrâ ſunt, idcircò de terrâ loquuntur; indecorè & buccis crepitantibus rident, hùc & illùc rotant

oculos, incompoſito corpore ambulant; ſedent & jacent; electorum modeſtiam vix norunt.

Per cubicula, ipſo ſtudii, recollectionis & ſilentii tempore vagantur; quinimò, ad exteriora ſemper effuſi, facultatem extra Seminarium exeundi, & per domos curſitandi, neceſſitatis prætextu, ſæpiùs æquo extorquent; otio, quieti, ſomno, ignaviæ, confabulationibus & nugis, nimiùm per diem indulgentes, vix ad Theologiæ, ſacræ Scripturæ, Rituum, Rubricarum, Cæremoniarum & Cantûs ſcientiam incumbunt; vix ad Sacra Myſteria ritè & ſanctè obeunda ſe exercent.

Quot videas qui ventri, tanquàm Deo ſerviunt? Hinc, quamvis ſat ſaturati, murmurant; ad ſæcularium epulas, quoad fieri poteſt, ſtimulante gulâ, non fame, convolant quaſi helluones, & ciborum gurgites; & ni id ſufficiat, cibos ſibi clam afferri curant; cibariis in ipſo conclavi non carent, quò ſæpiùs gulæ indulgere valeant.

Sunt alii qui partiales amicitias contrahunt; adeò ſingulares ſunt, ut ambulent, conveniant, & ſedeant ſeorſim à cæteris: ſingulariter ſum ego, proclamare videntur, non ſum ſicut cæteri. Scientiâ tumidi, & in Cleris dominari, ac in cathedrâ ſeniorum maturiùs ſedere cupientes, ad honorifica opera, veriùs dicamus, ad vanam gloriam aſſiduè nimis ſe exercent, vix ad pietatem, & ad ſui abnegationem; conciones ſibi coacervant, non virtutes; ſtudent priùs eſſe canalis quàm concha; priùs docere quàm

facere ; priùs Magiſtri eſſe quàm Diſcipuli ; totum Seminarii tempus dant actioni, nihil contemplationi ; diſcunt quidem, ſed ad ſcientiam veritatis numquàm perveniunt ; intrarunt tepidi, exeunt frigidi.

Undè fiunt poſteà arbores autumnales, ubera arentia, nubes ſine aquâ, æs ſonans & cymbalum tinniens ; balbutiunt velut infantes, recitant labiis & pſitacorum inſtar, ea quæ nec cor ſentit nec intelligit, quia nondùm didicerunt ea opere complere, imò nec meditari. Hìnc fit ut non ſibi proſint, & aliis obſint ; & verò, qui ſibi nequam, cui bonus erit ?

Debent quidem ſe ad ſcientiam, ad Catechizandum & ad Evangelizandum exercere ; ſed multò accuratiùs ad ſcientiam Sanctorum, id eſt, ad ſpoliandum veterem hominem cum actibus ſuis, & ad induendum novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis. Hìnc, quantò potentiores brevi tempore fierent in opere & ſermone ! O utinam D. Thomæ, D. Bonaventuræ, D. Bernardo, & aliis id expertis crederent, & fideliter adhærerent !

Attamen adeò ſunt ſuâ tumidi ſuperbiâ, adeò inanis gloriæ cupidi, ac proprio addicti judicio, ut illud nec intelligere, nec audire velint. Uſque adeò proprio ſenſu hâc in re interdùm abundant, ut Paſtores ſanctos & expertes aliter ſuadentes, quaſi delirantes & ſomniatores reputent, & ut cæteros condiſcipulos, qui utpotè ſapientiores (quamvis ſcientiam non negligant) reformationi, & vitæ ſpirituali ſedulò ſtudent, aſ-

pernentur, eos ſcrupuli aut deſidiæ, aut ſimulationis accuſent, eorum ſimplicitatem derideant, eorumque conſortia aufugiant, aut moleſtè ferant. Infelix cæcitas!

Illi quidem interſunt meditationi, examini, collationibus de divinis, aliiſque exercitiis ſpiritualibus, ſed coactè, perfunctoriè, & ut videantur à ſuperioribus orantes & arctiori vitæ addicti; regularitatem, Phariſæorum inſtar, omni ornatu, & candore exteriori profitentur; eximiæ pietatis ſpeciem habent, ejus autem veritatem abnegant; ſunt falſi & fallentes Sancti. *S. Aug.* Sunt ſepulchra dealbata, intùs autem mortuorum oſſibus plena. Hinc Seminaria vulgò dicuntur hypochritarum ſodalitia.

Et verò, quot ſunt qui dùm in Seminario verſantur, confeſſioni quidem, communioni, aliiſque piis exercitiis vacant, abſentes verò hæc omnia faſtidiunt, & negligunt? Attamen feriarum tranſacto tempore, teſtimonia de regulari vitâ fraudulenter extorta, ad Superiorem ſcripto deferunt, ut illis ſibique imponant. Ecce tibi formoſos & conformes nimis hiſtrionum imitatores.

Hâc tamen fucatâ humilitate, ſimulatâ pietate, fallaci adulatione, ſtudioſiori obſequio, exiguæ & inanis ſcientiæ oſtentatione inflati ac freti, à cœleſti autem alieni, Superiorum favorem captant, viam ſibi ad ordines & ad beneficia parant; hos enim, utpotè cupidos, elatos, libertatis & ſui amatores, adurit ordinationum cupiditas, earumdem ſecundùm Canones dilatio cruciat, & ad deſperationem adigit. Hinc patet, ſer-

pit ut cancer, ſimul & fœtet grande eorum propriæ voluntatis malum, voluntati divinæ & Epiſcoporum judicio contradicentis. Hìnc ordinum tantò minùs ſunt digni, quantò avidiùs ad eos anhelant, eoſque callidis machinationibus intempeſtivè, & nondùm probati, extorquere conantur.

Sunt-ne hi omnes pretioſa Seminarii ornamenta? Minimè: ejus ſunt potiùs ſimulachra, idola, ſcandala, & opprobria, ex his ſodalitiis potiùs expellenda, quàm ad ordines, ad beneficia, & præſertim ad animarum curam aſſumenda & exaltanda. Tali pœnâ mulctari præcipit Concilium Trid. hos dyſcolos & incorrigibiles malorum morum ſeminatores.

Attamen, quoquo modo ordinibus initiati hi & ſcientiæ & pietatis ſimulatores, lætantur in exitu de Seminario quaſi in exitu de Ægypto & de populo barbaro; & quoniam fucata & violenta virtus non durat, jam excuſſo regularis obſervantiæ jugo quod ægrè portabant, vanitatem, aliaque vitia quæ non ruperant, ſed ſolùm interruperant, ut rectè loquitur S. Auguſtinus, præ ſe ferunt, ad graviora etiam ruunt; jam hæc ſepulchra tandem reſerata, fœtidum coram Deo, Angelis & hominibus, odorem exhalant & ſpargunt.

Ecce quomodò hi filii Ephrem intendentes & mittentes in Seminariorum gymnaſiis arcum, convertuntur in die belli, cum diabolo & ſæculo, infenſiſſimis animæ hoſtibus pacem brevì & ignavè inituri.

O infauſta & deploranda ſors! Hìnc quot

detrimenta his ignavis Clericis, Ecclesiæ & Populo imminentia! O utinam hi stulti aliquandò sapiant, ut tot tantaque pericula à se, & ab aliis avertere satagant solliciti!

Tu verò, charissime Frater, lectis & auditis his defectibus & vitiis quæ in ordinandos irrepere solent, egredere quamprimùm poteris de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, ingressurus in terram fluentem lac & mel; quasi modò infans genitus, hoc lac sine dolo concupisce; quàm bonum tibi erit, si jugum Domini portaveris ab adolescentiâ tuâ! Iterùm suademus, surge velociter, ingredere lubens & hilaris Seminarium, vel aliud Clericorum sodalitium; ibi dicetur tibi quid te oporteat facere, ut duce Anania, innocentiam tuam à vitiorum & sæculi illecebris tutam præstes, ad Angelicam vitam animum tuum à teneris annis dirigas, ac inter pias exercitationes dignus evadas qui, quamvis puer, eligaris à Domino, & super quem ponat ille spiritum suum. Et quamvis facultates tibi desint, Deum time, in illo confide; numquid vidisti justum derelictum, & semen ejus quærens panem? Num ergò, timens Deum, deficies omni bono? Ecce Dominus, qui dat escam esurientibus, adest, & vocat te; ille regit te & nihil tibi deerit; veni, propera, gusta & vide quàm bonum & jucundum sit habitare Fratres in unâ & sociali vitâ; ibi enim homo in virtute probatur & exercetur; ibi ad perfectiora, verbo & exemplo trahitur; ibi suam imperfectionem considerare & lugere compellitur; ibi alterius fervore excitatur, alterius humilitate

docetur; istius patientiâ, illius obedientiâ movetur. Ibi alterius correctio fit ipsius admonitio; ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum; ibi unius vigilantia alterius est custodia; ibi homo portat & portatur; ibi multa audit & videt undè docetur; ibi boni commendantur, ut meliores fiant; ibi negligentes arguuntur, ut refervescant, &c. Hæc enim Angelicæ vitæ æmulatrix est. *A Kempis.*

At contrà, væ soli! Undè, ut jam vidisti, melius est duos esse simul, quàm unum; habent enim emolumentum societatis suæ. Quis ergò non properet in Seminario vel in alio Clericorum sodalitio vitam agere?

Verùm, charissime Frater, ut Seminarium aut aliud Clericorum sodalitium tibi prosit, hæc sequere documenta.

1°. Seminarium ingressus, recogita in amaritudine animæ tuæ delicta juventutis tuæ, & omnes annos tuos, tuamque conscientiam generali Confessione, & uberibus lachrymis emunda.

2°. Sæculi insanias, amicorum & veterum sociorum illecebras, ac patris domum oblitus, frequenter & coram Deo dicito tibi cum D. Bernardo, N. *Ad quid venisti?* Haud dubiè venisti, aut saltem venire debuisti, ut animam tuam sanctifices, eamque eruditione & pietate ad sacrum Ecclesiæ ministerium præpares. Si hæc fuerit mens tua, quàm maximè contende vitam, ut Clericum decet, toto Seminarii tempore instituere. Quapropter memineris istius sententiæ D.

Bernardo dignam : *non locus homines, sed homines locum sanctificant.*

3°. Præpositis, tuisque moderatoribus, prompto & hilari animo in omnibus obedire, eisque te, tanquàm Deo, subjacere in deliciis habeas ; obedientia enim, est tuta ad gratias particulares & ad salutem æternam via ; at contrà, omnem ordinem sine obedientiâ perturbari necesse est. *Convent. Meldul.* Adeò ut non esset infernus, si cessaret propria voluntas. *S. Bern.*

4°. Erga eosdem Rectores & Superiores eâ sis animi affectione quâ filii erga parentes ; ab iis, si quid prçter voluntatem imponitur aut negatur, id existima ad utilitatem tuam referri ; pro certo habens Superiores ad id multis duci causis quæ adolescentes plerumque lateant. *Act. Eccl. Mediol.* Eorum monita libenter accipe ; imò & illorum increpationes æquo animo tolera ; quàm bonum tibi erit, si identidem humilient te ! Justus, est accusator suî : noli ergò excusare excusationes in peccatis. Prçsertim, si ab iis petens ordinationem, repulsam tuleris, cave ne de eorum agendi ratione queraris, licèt personarum acceptionem tibi videantur facere ; sed potiùs tacitus & libens acquiesce ; & in te reversus, humilia te, ac ordinibus propter peccata tua te indignum existima ; expectans placidè expecta, & interim cor tuum accuratiùs proba & præpara ; humilis sis corde, & invenies requiem animæ tuæ.

5°. Eisdem Rectoribus & Superioribus sensus tuos liberè expone, ut illos prout

opus fuerit, consulas, cùm nihil sit difficilius adolescenti, quàm immoderatis animi affectionibus per se moderari.

6°. Statuta Seminarii fideliter observa, eaque singulis mensibus lege; hæc enim sunt vitæ tuæ Regula, & qui Regulâ vivit, Deo vivit. *Gregor. Nyss.*

7°. Modestiam in omnibus & ubique serva: *Act. Eccl. Med.* Quapropter cave ne oculos hùc illùc circumferas; ne altiùs loquaris, nec strepitum excites, nec nimis festinanter incedas; sed potiùs nihil in, vel minimis corporis motibus, nisi grave & Religione plenum præ te feras. *Trid.*

8°. Cùm silentium, permultùm ad pacis pietatisque conservationem, ad studia, ad multas perturbationes evitandas conferat, numquàm colloquaris, nisi de rebus necessariis, preterquàm relaxationis tempore, quo de rebus utilibus sermonem habere, sine tumultu tamen licebit. *Act. Eccl. Mediol.* Presertim inania & faceta colloquia, verba minùs honesta & detractoria pro viribus evita.

9°. In omnibus actionibus, motu corporis & verbis elationem & superbiam fuge, cùm ea homines Deo inimicos, & ceteris odiosos reddat; & quoniam scientia inflat & excecat, noli in collationibus contendere verbis præ tumore & nimio æstu, nec altum sapere, nec præ scientiâ & presumptione, inter sodales tuos dominari; & multò minùs eos, quamvis minùs doctos, contemnere aut confundere; id enim intolerabilem superbiam redolet; da ergò operam

ut fragrans charitas & humilis modeſtia decertationes tuas ædificent; æmulare chariſmata meliora. Quapropter humilitatis & manſuetudinis ſtudioſus, omnes Jeſu-Chriſto & tibi lucrifacere incumbe. Si parvulus in medio eorum fias ut infans, Deus tibi utpotè humili, dabit gratiam, & ſecreta cœleſtia quæ abſcondit prudentibus & ſapientibus inani ſcientiâ tumidis, revelabit.

10°. In omnibus fuge ſingularitatis notam. S. Ber. Cave ergò ne ipſo relaxationis tempore ambules ſeparatim ab aliis, nec umquàm niſi tres ſaltem, aut quatuor fuerint. *Eccl. Mediol.*

11°. Mutuam charitatem, concordiam ac benevolentiam amplectere. *Ibid.* Omnes ſodales honore prævenias; ſis cum illis cor unum & anima una, ſine acceptione perſonarum; neſcit enim noſtra Religio perſonas accipere. *S. Ber.*

12°. Neminem irrideas nec verbis offendas; factionem & ſuſurrium, utpotè diſcordiarum fomitem, à tuo corde & ore elimina.

13°. A privatis amicitiis nimiâque familiaritate abſtineas. *Act. Eccl. Mediol.* Privatæ amicitiæ inimiciſſimæ amicitiæ ſunt. *S. Ber.* Attamen omnium ſodalium infirmitatibus ſcias compati & condolere, ut charitatem Chriſti jam adimplere incipias.

14°. Nullius cubiculum intres abſque Superioris aut Præfecti facultate. *Conv. Melod.*

15°. Quas in aliis virtutes reſpexeris, eas in te ipſo exprimere contende; vitia verò, ſi quæ fortè in aliis videris, quaſi peſtem fuge; ne ſis adeò impius ut dæmonis officio

fungens, alios piè aliquid agentes vituperare audeas, eoſque ab operibus virtutum abducere coneris. *Act. Eccl. Mediol.*

16°. Si crimen tuum aliquod deferri contingat, auctorem non quæras; reſciens autem, nullam malè erga illum affecti animi ſignificationem des; conare potiùs melior inpoſterùm fieri, neque ea admittere, propter quæ meritò accuſari poſſis. *Ibidem.*

17°. Sobrius eſto; quapropter ne comedas extra Seminarium, niſi apud tuos parentes vel propinquos, idque raro & cum facultate. *Conv. Melod.* Nihil extra refectionis tempus comedas; hoc enim ingluviem ſapit; alimenta autem in cœnaculo tamquàm medicamenta ſume. *S. Aug.* Eaque altiori ad ſacram lectionem attentione condire ſatagas.

18°. Ad Theologiæ ſcientiam viriliter incumbe; ſimul ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, ut potens fias exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere. Aſſiduo etiam Canonum, Rituum, Rubricarum, & Cantûs ſtudio te ad pietatem & ad ſancta ſanctè tractanda exerce; in hoc poſitus es.

19°. Quò pleniùs pretioſum Seminarii tempus conteras, ne colloquaris etiam cum externis, niſi cum Moderatoris licentiâ. *Conv. Melod.* & dumtaxat propter neceſſitatem, utilitatem, & Chriſtianam urbanitatem; exeundi facultatem numquàm, niſi propter ſimiles cauſas petieris. Quid tibi cum ſæcularibus? Quoties cum hominibus eris, minor homo redibis. *Imit. Chr.*

20°. Meditationi, examini sensuum, & animæ recollectioni & mortificationi sedulus adhære simul, & vitæ spirituali. Frequenta quàm sæpissimè poteris Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ; ambula coram Deo, ejusque suavissimam præsentiam, actibus jaculatoriis & ignitis, omnibus in locis fove; quære illum in simplicitate cordis tui, & illum invenies; Christum Dominum in Eucharistiâ, frequenter & piè, quoad fas erit, visita; hauri ex ejus ardentissimo corde scientiam Sanctorum.

Tandem, quamdiù in Seminario versaberis, incipe quotidiè exhibere te idoneum & dignum Dei Ministrum. In omnibus vel minimis statutis, Canonum regulis, & Moderatorum monitis adeò fidelis sis, ut horum usum jam radicatum habens, & ab his numquàm deflectas. Nulli sodali sis lapis offensionis; in omnibus verò jam teipsum præbe exemplum bonorum operum.

Attamen cave & iterùm cave ne exercitiis spiritualibus incumbas ut à Superioribus & à sodalibus tuis videaris, & ut favores, beneficia, & ordinationes tibi concilies; sed dumtaxàt ad majorem Dei gloriam, & ad tuæ animæ, fideliumque tibi posteà commissorum profectum; ama & opta secretum; sis æquè fervens, humilis, mansuetus, & modestus in sodalitio & in cubiculo quàm extrà; cor tuum coram Deo ferventiùs effunde quàm coram hominibus. Sanctitatis internæ sis magis avidus quàm exterioris; humilitatis magis cupidus quàm ordinationis; esto in Seminario, sicut

Apostoli in solitariâ domo, perseverans in oratione, & expectans cum fiduciâ & totâ animi quiete adventum Spiritûs Sancti; hinc tandem exibis sicut illi, ignem spirans & amore divino quasi ebrius, factus ipsi diabolo terribilis.

Iterùm monemus, charissime Frater, contende esse sanctus & vivere de Spiritu Christi, in cujus sortem jam jam vocandus es; ejus divinæ providentiæ te totum committe, illa non tibi deerit; quin potiùs, omnia feliciùs cadent tibi secundùm beneplacitum ejus; bibe interim, bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluentâ putei tui, ut posteà deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas dividas. Dominus qui custodivit introïtum tuum, custodiet exitum tuum, te sub umbrâ alarum suarum protegens, tibi dans fortitudinem, ut disciplinam quam tibi Majores & Moderatores tui tradiderunt, & quam cœpisti tenere, non deseras; verùm potiùs crescas de die in diem, perseveres usque in finem, & tandem te ipsum salvum facias & eos qui te audierint. Amen.

ARTICULUS II.

Vocatio.

BEata gens cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hæreditatem sibi! Benedictus qui venit in Nomine Domini! Maledictus verò qui venit nomine proprio, turpis lucri & otii gratiâ, ex appetitu laudis

& dignitatis ! Quid restat nisi ut descendat vivus in infernum sicut Coré, Dathan, & Abiron ?

Quare superbi illi Levitæ condemnati sunt ? Ut posteris daretur exemplum, ne quis præsumptione superbi spiritûs non sibi à Deo datum munus Pontificatûs invaderet. *S. Aug.* Igitur væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, & os meum non interrogastis. *Isai.* 30. Trahe me, ait sponsa; nunc autem trahit sua quemque voluptas; & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio. *S. Bern.*

Attamen, si hæc damnatio solos indignè ambientes maneret, certè minùs deploranda esset; hanc superbi illi jure merentur pœnam; sed, quod sanguineas ex corde elicit lachrymas, illud est quòd multa mala per Sacerdotes non vocatos Ecclesiæ proveniant : nam qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed aliundè, ille fur est & latro; fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Unde cathedra pestilentiæ tùm sibi & aliis est causa ruinæ. *Pet. Bles.* Proh dolor!

His ergò, Frater, animo recogitatis & altè corde defixis, vide vocationem tuam; nullus sibi sumit honorem, sed qui vocatur tanquàm Aaron; proba quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, ne ex præsumptuosâ te ingerens temeritate, in ten-

tationem, in laqueum diaboli, & in æternam damnationem te & alios tandem detrudas.

Sed quænam ſunt, inquies, veræ vocationis indicia? Ecce tibi hæc indicia corde & animo recogitanda. 1. Innocentia vitæ. 2. Idoneïtas, ſeu aptitudo ad munia Eccleſiaſtica. 3. Proprii Epiſcopi aſſumptio. 4. Intentionis rectitudo, id eſt, non ob temporale commodum, non propter honores aut otium, ſed propter Dei cultum, animarum ſalutem, & miniſterium Eccleſiæ. 5. Inculpatus ingreſſus, id eſt, non ambitu aut fraude, non adulatione vel obſequio, non pretio, aut prece.

Vide nunc & iterùm perpende, an his indiciis voceris à Deo, an te ipſe non vocatus ingeras.

Quænam autem ſunt media, iterùm interrogabis, divinæ vocationis indagandæ, agnoſcendæ, & exequendæ? 1. Oratio. 2. Indifferentia. 3. Conſilium, non quidem petendum à peccatoribus, non à ſæcularibus aut juvenibus, non à domeſticis, parentibus, & mercenariis, ſed à ſapientibus & piis, à Superioribus & Directoribus.

Si per ſupradicta indicia & media, agnoſcas Dominum te eligere & ponere ſuper te ſpiritum ſuum, ne dubites aſcendere ſuperiùs; Deus enim quæ ſtulta ſunt mundi eligit, ut confundat ſapientes; quapropter divinæ voluntati ſic manifeſtatæ obedi. 1. Promptè, id eſt, ſine ulteriori conſultatione, ſine dilatione vel minimâ. 2. Humiliter, id eſt, non pertinaciter recuſans, ſed

invitus ad ordines ascendens. 3. Confidenter, dicendo cum divo Leone: *respiciens ad exiguitatis meæ tenuitatem, & ad suscepti muneris magnitudinem, etiam ego illud propheticum debeo proclamare: Domine, audivi auditum tuum & timui. Consideravi opera tua & expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quàm labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen, non despero neque deficio, quia non de me, sed de illo præsumo qui operatur in me.* Attamen, magis ac magis satage ut per bona opera certam tuam vocationem & electionem facias.

Si verò per eadem indicia & media cognoscas carnem aut sanguinem hanc tibi revelare vocationem, non verò Patrem cœlestem, recumbe libenter in novissimo loco; hoc in nidulo quietus mane, & in eo quietus morere, ut saluti tuæ securiùs provideas.

Quòd si temerè tibi jam sumpseris honorem, vel si intraveris non habens vestem nuptialem, vel si sanctuarium Dei iniquâ hereditate possideas, ingemisce, fac dignos pœnitentiæ fructus, & deinceps cum timore & tremore salutem tuam operari contende; Deus qui neminem vult perire, faciet tecum misericordiam.

Si verò in ovile ovium, non per ostium, sed aliundè ascenderis, vel si recolas conscientiam tuam jam dictæ præmotionis obtentu fuisse vel in modico vulneratam, & periclitari, ad æternæ salutis bravium in vanum te fatigas, nisi honorem in quo de-

liquisti, derelinquas; sancta enim & salubris est cogitatio, factâ cessione, privatam ducere vitam. *Pet. Bles.* Et sic salvare animam tuam.

Domine Jesu, spirituum ponderator, & cordium scrutator, qui suaviter omnia disponens, ad te semper vocâsti quos voluisti, & qui à fine usque ad finem fortiter attingens, suscitas tibi Sacerdotes fideles & Pastores juxta cor tuum, quandoquidem ex legitimâ & verâ Clericorum vocatione pendeat Cleri & Populi sanctitas & salus æterna, ne permittas intrare in sanctuarium tuum & in ovile ovium vocatos à carne & sanguine, mercenarios, latrones, & lupos rapaces; sed solùm dignos & fideles à te missos & electos, quique sic à te vocati & electi, fiducialiter dicere possint: *Domini est assumptio nostra, & sancti Israël Regis nostri.* Hoc nostrum, hoc omnium piorum est votum, cui fave, & cœlitùs adspira.

ARTICULUS III.

Probatio ante ordines.

QUid sunt Sacerdotes? Audi divina oracula, Patrumque monimenta. Sacerdotes sunt Ministri Christi, dispensatores Mysteriorum Dei; illius adjutores, & Redemptoris coadjutores; duces & rectores gregis illius; mediatores inter Deum & populum; fidei lumina & columnæ; janua civitatis æternæ; lux mundi; sal terræ; forma gregis; Angelici homines; minores qui-

dem Deo, ſed homine majores. In hanc divinam ſortem vocati ſunt; hùc ſpectant munera eorum, &c. O quàm magnam in ſe continet dignitatem formidabile & admirabile Sacerdotium! *S. Ephr.* Ingens hæc; Angelica, imò Divina eſt dignitas. *S. Dionyſ.* Non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creatura; ſed ipſe Paracletus ordinem hujus modi diſpoſuit. *S. Chryſ.* Excedit intellectum & orationem, donum altitudinis dignitatis Sacerdotum; &, ſicut arbitror, hoc eſt quod Paulus quaſi in ſtuporem mentis actus innuit, exclamans: ô altitudo! *S. Ephr.* Sed heu! Quot onera humeris Angelicis formidanda! *Trid. Seſ. 6 de Ref. C. 1.*

Ergò neceſſaria eſt prævia conſideratio ob ſublimitatem ſtatûs; neceſſaria ob periculum infelicis exitûs, aut apoſtaſiæ. Ergò longa requiritur probatio, id eſt, conſideratio diuturna, & exactiſſima diſcuſſio: illa requiritur ob excellentiam ſtatûs; requiritur longa, ne detrimentum patiantur populi; longa, ne ſcandalum patiatur Clericus; longa, ne indignus ordinetur, aut ordinatus deficiat. Ergò requiritur probata & firma virtus; illud exigit ordinatio divina; illud poſtulat perfectio in Cleri ſtatu requiſita; illud requirit periculum casûs & damnationis æternæ.

Sed heu! Obſtupeſcite cœli ſuper hoc! Curritur paſſim ad ſacros ordines; & reverenda ipſis quoque ſpiritibus Angelicis miniſteria, homines apprehendunt ſine re-

verentiâ, ſine conſideratione. *S. Ber.* Ecquid? Ipſi ſutores, ſartores, & fabri, &c. non aſſumuntur ad infimum officium, niſi præviâ & longâ probatione; & nunc multi, interdùm inhabiles & indigni, vitiis adhuc fœdati, & ſatanæ dolis decepti, ad magnam & multam, ad immenſam & infinitam ipſius Sacerdotii dignitatem, abſque vel minimâ meditatione anhelant & aſſumuntur. O quàm præſumptuoſa temeritas! Ille præponitur ovili Dominico, qui neſcit adhuc dominari ſpiritui ſuo. *Nicolaus Papa.* Stupenda inordinatio!

Heu! Quot detrimenta & ſcandala oriuntur ex hâc ſtupendâ & miſerabili inconſideratione? Reverà, quot Clerici, ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem adepti, in irâ Dei aſſumuntur; & in ruinam populorum, ſuique perditionem ad regale Sacerdotium exaltantur? O cęci promoventes? O infelices promoti! O miſerabiles populi, quibus Deus in furore ſuo ſuſcitat paſtores qui derelicta non viſitant, diſperſum non quęrunt, contritum non ſanant, & qui quod ſtat non enutriunt, & carnes pinguium comedunt! *Zachar. 11.* Quis medebitur vobis? Nonne adversùs vos fiet iſtud verum: *Laqueus ruinæ populi mei, Sacerdotes mali?* Ezech. 44.

Obſecramus vos, novellæ plantationes Dei, ô vos qui ad Sacerdotium anhelantes, nondùm exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionem boni & mali, nolite ſequi cordis

vestri judicium, nec abundare in sensu vestro, ne adhùc Neophyti, in superbiam vestram, & in laqueum diaboli incidatis. Cavete ne precibus, adulatione, obsequio, favore, & importunitate ordines intempestivè & nondùm probati extorqueatis. Nescitis sçpissimè quid petatis. Videte priùs vocationem vestram; probate seriâ & longâ consideratione quæ sit voluntas Dei beneplacens & perfecta; considerate utrùm Spiritum Christi habeatis; qui enim spiritum ejus non habet, hic non est ejus. Attendite quomodò pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, undè ire in alta cupiunt, indè in imâ merguntur. *S. Greg.* Sic & vos, si pinnaculum templi, adhuc debiles, ascendere presumatis, prçcipiti & fœdo casu in profundum barathrum ruituri estis.

Imitemini hos structores qui turrim ædificare volentes, priùs sedentes computant sumptus qui necessarii sunt ad perficiendum, ne posteaquàm posuerint fundamentum, &c. *Luc.* 14.

Utinam magis, turrim inchoaturi, sedentes computetis, ne fortè sumptus non habeatis ad perficiendum; utinam vos qui continere non valetis, perfectionem temerariè profiteri, aut cœlibatui dare nomina vereamini! Sumptuosa siquidem turris est, & verbum grande quod non omnes capere possunt. *S. Ber.* Prçcavete hanc formidolosam Domini sententiam: *bonum erat ei si natus non fuisset.*

Pensent & iterùm pensent Episcopi, altè


meditentur illud Apostoli : *nemini citò manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Tim. 1. Quid est illud *citò?* Non ex primâ probatione, nec secundâ, nec tertiâ; sed ubi consideratio diuturna præcessit; tunc imponant manus; neque enim ea res periculo caret. *Eorum quæ injustè consecratus peccaverit, illi quoque pœnam dabunt, qui initium dederunt, etiam præcedentium delictorum.* S. Chrys.

Meminerint & non obliviscantur peccata quæ Episcopos instante morte, & ante tribunal Christi acerbiùs cruciant, & quæ difficiliùs remittuntur, esse ea quæ ex imprudenti & temerariâ manuum impositione proveniunt. *Prat. spirit. à 7. gener. citatum.* O Abyssus!

Utinam ergò, Apostolorum exemplis edocti, quantâ curâ ac delectu manûs impositionem fieri oporteat. *Conc. Colon.* sedulò satagant *ut non singulos ad ordines assumant, sed dignos dumtaxàt, & quorum probata virtus senectus sit.* Trid. Ses. 23. de Ref. c. 12. & ut *nullum ordinent qui, suo judicio, non sit utilis aut necessarius Ecclesiis suis.* Ibid. c. 16. *Satiùs* enim *est, maximè in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quàm multos malos habere Ministros.* Conc. Later. 4. Multiplicarent quidem gentem sed heu! Non magnificarent lætitiam; multiplicarent potiùs tanta mala quæ sentimus, & quæ per ostium impositionis manuum intrarunt, & quotidiè in Ecclesiam Dei agminatim irrepunt. *Conc. Colon.*

Domine Jesu, qui ministros irreprehen-

sibiles, & Pastores juxta cor tuum exigis & suscitari jubes, emitte spiritum tuum super Episcopos tuos, quos ille posuit regere Ecclesiam tuam quam acquisivisti sanguine tuo; & renovabis faciem terræ.



CAPUT SECUNDUM.

Finis statûs Clericalis.

ARTICULUS I.

Sanctitas.

QUIS dubitet an Clerici, & presertim Sacerdotes, utpotè Ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, ejusque Angeli, conversatione & sermone Dei, populo præesse debeant, & indui sanctitatem eximiam? Quis hoc neget? *Trid. Sess.* 14. *de Ref. c.* 1. An illud prolixiori probatione indiget? Nonne sufficit ut memores sint ejus quod scriptum est: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum?* Lev. 19. Et istius: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos?* Exod. 19. Hoc omnes sciunt, hoc singuli fatentur.

Sed heu! Plures sunt Sacerdotes nomine, pauci opere: *S. Chrys.* Multiplicatur quidem gens, sed non magnificatur lætitia; multiplicantur monstruosa peccata, scandala, & ruinæ populorum; vox quidem, vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esaii.

Væ

Væ his filiis iræ! Nonne bonum erat eis si in Sanctuarium numquàm intrassent, & si nati non fuissent! Aut saltem, nonne melius fuisset illis fodere aut mendicare? *S. Ber.* Honor sublimis, & vita deformis; deïfica professio, & illicita actio. *S. Amb.* Undè hæc monstra, quibus hodiè dilatatur Ecclesia, & Domini Sabaoth demolitur vinea?

Tu verò, charissime Frater, cùm sis in honore, intellige ne fias similis jumentis insipientibus; scias non sufficere quòd vocatus fueris. Certè Saül electus fuerat à Domino & vocatus ad regnum, ab illo unctus. Nadab quoque & Abiü designati fuêre & vocati à Domino ad Sacerdotium. Judas etiam ad Apostolatum & Sacerdotium à Christo vocatus est; sed tantæ vocationis & dignitatis immemores, respicientes retrò, claudicantes in duas partes, in vitia detracti, è cœlo, in profundum abyssi detracti sunt. Nonne & tu huic sæculo te post consecrationem conformans, & te vitiis post vocationem implicans, divino ingratus beneficio, ex illis esses per vitam? Nonne in eâdem, post mortem, fores damnatione? Profectò: Dominus locutus est: *Sicut patres tui, ità & tu.*

Hoc barathrum effugere non contendas? O stulte! verè non est timor Dei ante oculos tuos; intellectum det tibi idem qui te vocavit Deus.

Resispisce, charissime in Christo Frater, aperi oculos tuos ut videas tibi imminens periculum. Si nondum deliqueris, *noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est*

B

tibi cum impositione manuum Præsbyterii. Si verò excideris, admonemus te cum Apostolo, *ut eamdem resuscites gratiam*; hanc sacro fervoris igne suscitatam, ne posteà sinas conversatione mundanâ, pulvere terreno, cinere desidiæ obduci, tepescere, & extingui. At, sicut ignis ligno & flabello eget, ut suscitetur & nutriatur, ita & gratia cœlestis novis alitur desideriis; posteà, vigilantiâ animi, piis & jugibus conatibus, ferventibus precibus renovatur, incrementumque accipit ejus flamma.

Non te tædeat, Frater, magna incipere; & inchoata tenere: perseverantia informat merita, coronat bona proposita, remunerat currentem, ducit ad bravium & portum. Hæc est quâ laureantur Martyres, quâ Virgines coronantur, quâ Sacerdotes sublimantur. S. Bern.

Quò autem te ferventiùs ad dignè ambulandum eâ quâ vocatus es vocatione excites, sæpè cum D. Bernardo dicito tibi: *ad quid venisti?* Si hic tuæ vocationis scopus animo tuo altè adhæreat, quo fervore rogabis Dominum ut per gratiam suam effloreat super te sanctificatio? Quâ alacritate per angustam portam intrare contendes? Quâ animi fortitudine viam quæ ducit ad vitam constanter sequeris? Vis-ne ad id acrius calcar? Pone tibi ob oculos S. Franciscum Salesium, S. Carolum Borromæum, & alios; & dicito tibi: *non potero quid isti? Eodem insignitus charactere, eidem Domino serviens, ad eamdem sanctitatem & gloriam vocatus, cur non æmulor eo-*

rum charismata meliora? Usquequò in duas partes ignavus claudicabo? Ubi piger volens & nolens tandem parebo?

Si hæc & alia te ad fervorem & ad sanctitatem non inflamment, te ipse, quæsumus, definias. Infelix! nonne vides abyssum os suum aperientem ut deglutiat te?

ARTICULUS II.

Progressus in virtute.

QUem ob finem, ô Clerice, plantatus es in domo Domini, & stas in atriis Dei tui? Nonne ut floreas & germines sicut lilium, ac multipliceris sicut cedrus libani? Verùm, numquid potes huic studere fini, nisi sitiens justitiam, contendas ire de virtute in virtutem, crescere de die in diem per omnia in illo, qui est caput Christus, & proficere sapientiâ & gratiâ coram Deo & hominibus? Si huic progressui non adhæseris fortiter, quid accidet tibi? Heu! regredieris profectò, quia non progredi, regredi est, *S. Ber.* & interdùm de abysso ad abyssum ruere; nonne illud experientiâ constat?

Verùm dic, amabimus, benevole Lector, undè oritur illud quod sentis rerum divinarum fastidium? Undè profluunt tot in tuo intellectu tenebræ? Undè tanta in corde tuo duritia? Undè illud fœdè cadendi, & non emergendi imminens periculum? Undè? Nonne ex negligentiâ in virtute proficiendi? Nonne ex contemptu perfec-

tionis tuo sublimi statui adeo congruæ? Nonne ex abusu tot adminiculorum ad juges progressus adeò aptorum? Non vis ergò proficere? Non vis deficere? O stulte! Hæc est tua mens, tuumque propositum? Nescis quid loqueris. Quare? *Quin hoc vis quod esse non potest; quid enim stat in hoc sæculo? Certè de homine specialiter dictum est, Job. 14. fugit velut umbra, & numquàm in eodem statu permanet.* S. Bernardus. Undè eveniat necesse est ut sis aut omninò frigidus, aut omninò calidus, aut omninò malus, aut omninò bonus; vel saltem ut jugiter contendas melior fieri; inter utrumque diù consistere impossibile est. *S. Doroth.* Ecce tibi ante te vita & mors; quodcumque volueris, dabitur tibi.

Iterùm dicimus, iterùm & tu attende: non vis progredi? Et quod periculosius est, modica spernis? Tandem certè decides; non quidem statim (nemo enim fit repentè malus) sed paulatim, dicit Dominus, & quod pejus est, inopinans, & hujus lapsûs mortisque secundæ inscius. Horrenda catastrophe! Sed heu! Quid in Clero frequentius? Nonne tuam ipse sententiam legis? Hanc à te avertere non satagas? O socordiam tuam!

Væ tibi, charissime Frater, si ad hæc lecta non emmolliatur cor tuum! Væ tibi, si scientiam salutis & proficiendi viam callens, & hanc alios docens; si panem Angelorum manducans, & de plenitudine Christi accipiens, non muteris in alium virum, in virum perfectum; fias è contra

ipsis Laïcis deterior & damnabilior! Dic, age, quæ tua mens? Ut quid sanctorum terram occupas? Vide, vide quomodò, te hortante, surgunt indocti & rapiunt cœlum; tu verò cum scientiis & doctrinis tuis carne volutaris & sanguine; proh pudor! Ecquandò incipies misereri animæ tuæ, placens Deo? Nunc incipias necesse est; est periculum in morâ; incipe nunc, iterùm monemus; væ tibi si, stimulante gratiâ, differas de die in diem!

Quapropter noli negligere gratiam quæ data est tibi; si sanctus sis, modis omnibus efficias ut sanctificeris adhuc; arduum quidem est opus, sed confortare, ecce adest tibi Deus, auxiliator fortis; exere vires, tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris; ipse Deus admirabiles ascensiones disponet in corde tuo.

Verùm time, & iterùm time ne ejus gratiam ad perfectiora vocantis, in vacuum recipiens, & voluntatem ejus cognoscens & non faciens, multis in hoc sæculo & in altero vapulaveris; nonne ipsi Laïci surgent in judicio condemnantes te? Proh dolor!

ARTICULUS III.

Imitatio Christi, & intima cum illo unio.

QUos Deus prescivit, & predestinavit conformes fieri imagini Filii sui. Ego sum via, veritas, & vita, inquit Magister bonus: exemplum dedi vobis, ut quemad-

modùm ego feci, ita & vos faciatis. Hæc & alia innumera teſtimonia omnibus Chriſtianis inſinuantur, ut inſpiciant, & fideliter faciant ſecundùm exemplar quod cunctis in monte monſtratum eſt, donec Chriſtus formetur in eis, & ut illum ſequentes, non ambulent in tenebris, habeant verò lumen vitæ, & in æternùm conglorificentur.

Sed quantò magis Sacerdotes, qui, ut loquitur S. Cyrillus, ſunt Chriſti figura expreſſaque forma, debent eſſe bonus odor Chriſti, & in omnibus ſentire in ſe quod & in Chriſto Jeſu? Si omnis qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut illſe ambulavit, ipſe ambulare, quantò magis qui pro eo munere ſe dicunt, qui pro eo legatione funguntur, qui ei miniſtrant qui eum ſequuntur? Si aliter fecerint, nonne inexcuſabiles ſunt? *S. Ber.* Et verò annon ſciunt & ſępè legunt hæc imitationis Chriſti incitamenta, nimirùm: *qui mihi miniſtrat me ſequatur; volo, Pater, ut ubi ego ſum, illic ſit & Miniſter meus?* &c. Non eſt ergò diutiùs probandum Clericos pręcipuè imitari debere Chriſtum, cujus perſonam gerunt. Sed videamus utrùm reverà Chriſtum induant.

Aperiamus ergò, chariſſime Frater, librum vitæ, ſcilicèt vitam Domini Jeſu; accede, fiducialiter nobiſcum age.

Ipſe Dominus Jeſus, Filius Dei exinanivit ſemetipſum; & tu, chariſſime Frater, qui non es tui, ſed Chriſti, altum in omnibus ſapis & ſuperbis: quid reſpondes?

Ille numquàm fecit ſuam voluntatem, ſed Patris; tu verò voluntatis propriæ abnegationis, adeò commendatæ, ipſum nomen ignoras; nonne hoc verum eſt? Ille oblatus quia ipſe voluit, obediens fuit uſque ad mortem; nonne tu Prępoſitis tuis, & Eccleſiaſticis ſanctionibus ac Eccleſiæ decretis, in rebus facillimis obedire renuis? Reſpondeat cor tuum.

Ille, cùm dives eſſet, adeò propter nos egenus factus eſt, ut non habuerit ubi caput reclinaret; tu verò, ſimilis Judæ, loculis & divitiis inhias; vanitatem in ſupellectili, in veſtitu, & in reliquo vitæ genere petulanter oſtentas; quid tua tibi hîc objicit conſcientia?

Ille jejunavit, eſuriit, & ſitivit per vitam; felle & aceto, inſtante morte, potatus eſt; tu verò, helluo & ciborum gurges, crapulam interdùm ructas, ventri tuo tanquàm Deo effręnatè ſervis; hoc plerique vident, hoc teſtantur & rident. Ille adeò paſſus eſt, relinquens tibi exemplum, ut verè dictus ſit vir dolorum; tu verò vel minimam Chriſti mortificationem in corpore tuo circumferre recuſas; quinimò, corpus tuum omnibus voluptatum illecebris ac delitiis ſatiare ac farcire ſtudioſiùs ſatagis. Nonne loquela tua, ipſaque opera te manifeſtum faciunt? Ecquandò te Miniſtrum Chriſti pudebit eſſe, ſub capite ſpinato, & vulneribus à plantâ pedis uſque ad verticem ſauciato, delicatum membrum?

Ille non ſuam, ſed Patris gloriam indefeſſus quęſivit; tu verò, inanis gloriæ cu-

pidus, te ipſum, non illum prędicas, ejuſque verbum præ tumore adulteras. Nonne ex abundantiâ tumidi cordis os tuum loquitur ?

Ille in omnibus fuit mitis corde tanquàm ovis ; tu verò, quàmvis infirmitate circumdatus, non vis compati & condolere his qui ignorant & errant ; levi de causâ iraſceris & peccas. Undè hoc monſtrum Laïcis ipſis odibile ?

Ille proficiens ætate, proficiebat gratiâ & ſapientiâ coram Deo & hominibus ; nonne tu in dies deterior fis, & petra ſcandali ? Statue te contra faciem tuam, & narra, ſi quid habes ut juſtificeris ; quin potiùs obmuteſce & confuſione confundaris.

Ille, quàmvis ad Evangelizandum pauperibus miſſus ſit, vitæ tamen abſconditæ per triginta annos adhęſit ; tu autem adhùc infans aut vix neophytus, ad exteriora effuſus, ſine virtute & experientiâ teipſum manifeſtas mundo, ſplendidas dignitates, ac honorificas cathedras maturiùs ambis ; numquid hæc eſt febris tua ?

Ille tandem, ut cętera omittamus, zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, & pro ovibus quæ perierant, prędicavit inceſſanter regnum Dei ; quinimò laboribus ac fatigationibus exhauſtus, animam ſuam poſuit pro eiſdem ovibus ; tu verò in idem miniſterium miſſus propter eos qui hęreditatem capiunt ſalutis, quàmvis ubiquè videas pręvaricantes, non tabeſcis ; eos ſiccis oculis & frigidiſſimo corde in infernum trahi ſinis, nec eos liberare properas ; non-

ne hæc eſt vera tui imago? Dominus locutus eſt : *meſſis quidem multa ; operarii autem pauci.*


O pręclarum Chriſti, cujus vices geris, imitatorem! Veriùs loquamur : ô monſtruoſam Magiſtrum inter & Miniſtrum contradictionem! Nonne reprehendit te cor tuum, chariſſime Frater? Quid reſpondes, membrum putre & jam jam recuſandum? Uſquequò te diſcipulum degenerem patietur Dominus Jeſus?

Sed dic, amabimus, quonam auſu, ô mendax, dicis te diligere Dominum Jeſum, & te in illo manere, intereadùm renuis ambulare ſicut ille ambulavit? Quâ fronte ejus imagini adeò diſſimilis, huic autem ſęculo adeò conformis, te prędeſtinandum fore ſperas? Erras; nam, ſi fideli imitatione & intimâ cum illo unione cum illo manere, nec illi tanquàm membra capiti, & ſicut palmites viti, per vitam uniri nolis; nonne poſt mortem audies & ſenties hanc formidabilem ſeparationem : *diſcede à me, non es mei?*

Erubeſce, chariſſime Frater, erubeſce : vide quomodò aulici ſe in omnibus Principi conformant, & ſęculi amatores fatuis ſęculi vanitatibus, ut hominibus placeant, & ut miſerè ipſi pereant. Incipe ex nunc eſſe miniſter Chriſti, non ſolùm charactere, habitu, verbo, & miniſterio tenùs, ſed opere & veritate; adeò expreſsè indue Dominum Jeſum Chriſtum, ut ſivè vivens, ſivè moriens, illius ſis, & ut in Domino gloriari habeas : *vivo ego, jam non ego ;*

vivit verò in me Christus. Si manseris in illo, & ille in te, multum fructum tùm tibi, tùm aliis feres; tandem futurus es hęres Dei, cohęres autem Christi.

Vide nunc, vide *quàm magna gloria sit sequi Dominum.* Eccl. 13.



CAPUT TERTIUM.

Impedimenta salutis aut sanctitatis Clericorum.

ILLA præcipua impedimenta sunt quodcumque peccatum; sed præsertim superbia, ambitio, avaritia, cura rerum sæcularium, luxuria, vita otiosa, amor sæculi, vita tepida, & spatiosa via, pravum exemplum, falsa conscientia, & difficultas conversionis. Hæc omnia impedimenta breviter hîc perstringimus.

ARTICULUS I.

Quodcumque peccatum.

OMNIS *homo, qui est in immunditiâ, si accesserit ad ea quæ consecrata sunt, peribit coram Domino.* Lev. 22. Nam peccata Sacerdotum sunt monstra, & quidem multò graviora peccatis Laïcorum, sivè quia scientes & volentes peccant, sivè quia majoribus gratiæ donis locupletantur,

sivè quia in sublimiori statu collocantur, sivè quia eorum peccata maximum populo afferunt detrimentum, & gravem Ecclesiæ prębent offensionem; undè acerbiora merentur supplicia. Hoc omnis scriptura insinuat; hoc omnes sancti Patres proclamant, hoc ipsa ratio persuadet; quis ergò dubitet?

Ergò, charissime Frater, quasi à facie colubri fuge peccatum, fornicationem & omnem immunditiam, aut avaritiam, aut turpitudinem, aut stultiloquium, aut scurrilitatem nec nomines, sicut decet sanctos. Absit ut in terrâ sanctorum iniqua geras. Numquid videres gloriam Domini? Nequaquàm. Nonne tamen, dilectus Dei, & in domo Dei, fecisti & adhùc facis scelera multa? Si res ita sit, quâ fronte sic quotidiè gloriaris: *ego autem in innocentiâ meâ ingressus sum, ego autem ambulavi in innocentiâ cordis mei, & in Ecclesiis benedicam te, Domine?* Nonne mentita est iniquitas sibi? Nonne Deus exercituum, qui plantavit te, & te elegit ex omni carne, loquetur super te malum, emigrabit te de tabernaculo suo, & delebit nomen tuum de libro viventium? O miserum te, si hanc promptâ & seriâ pœnitentiâ non prȩvenias ultionem! Satage ex nunc ita innocenter vivere, ut proportione datâ, dicere possis cum Christo Jesu: *quis ex vobis arguet me de peccato.* Joan. 8.



ARTICULUS II.

Superbia.

INitium omnis peccati ſuperbia ; quid mirum, ſi odibilis ſit coram Deo & hominibus ? Quid mirum, ſi diſſipet Dominus oſſa eorum qui hominibus placent ? Si non patiatur habitare eum in domo ſuâ qui facit ſuperbiam ? Si projecerit de cœlo ſatanam ſicut fulgur, ad infernum, in profundum lacûs, eum non ampliùs in cœlo aſſumpturus ? Quid mirum, ſi dominantes in Cleris, & inani ſcientiâ inflatos & tumidos tradiderit Deus in peſtiferos errores, in deſideria cordis eorum, in immunditiam, in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum ? Quid mirum, ſi dederit eos contemptibiles omnibus populis ; ſi tandem humîliaverit eos uſque ad inferni noviſſima ?

Time, chariſſime Frater, qui altum ſapis, time ne hæc omnia eveniant ſuper te. Videmus in te contradictionem. Hîc ſępè dicis : *elegi abjectus eſſe in domo Dei mei* ; ibi avidus cupis ab hominibus videri, ubiquè ſuperbia tua aſcendit ſemper ; in corde & corde loqueris. Numquid Deus irridetur ? Nonne vult ut ſis humilis corde, & non labiis tantùm ?

Memineris te eſſe Miniſtrum Chriſti Jeſu, qui exinanivit ſemetipſum ; quid-ni ergò corde & animo abhorreas ab omni ſpecie ſuperbiæ, pręſumptionis & vanitatis ? Quid-ni ſatagas magnis tuis fletibus & laboribus

hanc tibi conciliare humilitatem quam semper respexit Deus, & ex quâ ipsam Dei Matrem beatam dicent omnes generationes? *Vide in meditationibus de humilitate hanc superbiam fusiùs & acriùs profligatam.*

ARTICULUS III.

Ambitio.

HOnores sunt onera & frequens animæ perdendæ periculum, affirmant gravissimi sancti Patres. Hinc fit ut doctissimi viri, utpotè fide viventes, & honorum pericula agnoscentes, fugerent trepidi, & in speluncis laterent, ne dignitates Ecclesiasticas suscipere cogerentur. Moyses jam electus in ducem populi; Jeremias etiam vocatus à Domino, ut populum rebellem erudiat, humiliter se excusant. Ipse Dominus Jesus, cùm cognovisset qui venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus.

Nunc tamen heu! Homines cupidi, elati, se ipsos, non Deum & animas amantes, ac propriæ imbecillitati & inidoneitati parùm consulentes, ambiunt fœdè, & mendicant turmatim beneficia & honores; susceptum verò curæ Pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad hujus humilitatis magisterium ex solâ elatione pervenerunt. *S. Greg.* Væ illis! Emoti sicut ebrius, ascenderunt usque ad cœlos, & tandem ejecti & confusi, descendunt usque ad abyssos. Quot enim pau-

pertas ad cœlum promovet, tot cum dignitatibus ſuis infernus abſorbet. *Pet. Bles.* O gens abſque conſilio & ſine prudentiâ! O ambitio, peſtis generalis! O ambitio, ambientium crux, quomodò omnes torquens, omnibus places? *S. Ber.* Servum Dei oportet non litigare, inquit Apoſtolus. Attamen quot ſunt Clerici, qui, videntibus & dolentibus Laïcis, lites ad multos annos protrahunt, ut ſibi beneficium pinguius parent, vel potiùs ut ſibi gravius onus imponant? Undè hæc bella, & hæ in eis lites? Nonne hinc, ex concupiſcentiis eorum? *Jac. 4.*

Sed tandem quot ſunt inter hos cupidos elatoſque Clericos, qui nunc in inferno poſiti, aut fodiſſe, aut panem oſtiatim mendicaſſe mallent, quàm ad beneficiorum & honorum culmina aſcendiſſe per vitam, atque ita animam ſuam ſecuriùs ſalvaſſe? Et verò, quid eis profuit honorum jactantia.

Quantò ſapientiùs egit B. Gaudefredus, Cænobii Claravallenſis Prior, qui ut Epiſcopatum Tornacenſem acceptaret, nullis potuit umquàm precibus aut importunitatibus induci, & qui poſt mortem cuidam Religioſo ejuſdem Cænobii apparens, dixit: *Salvus ſum, mihi feliciter ceſſit fuga Epiſcopatûs; ſi enim fuiſſem de numero Epiſcoporum, fuiſſem de numero damnatorum. Ita mihi Sancta Trinitas revelavit.* Undè verum eſt iſtud: *graviſſimum judicium fiet his qui præſunt.* Sap. 6.

Similiter & tu, chariſſime Frater, ſi ſapis, noviſſima hæc maturiùs provide; hinc

disces nolle dominari, ut non dominetur tui omnis iniquitas. *S. Ber.* Inhęreant animo hæc Christi Domini verba: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester minister.* His & aliis altè in animo defixis, ne te immittas in populum, & non alligabis duplicia peccata. *Eccl. 7.* Elonga verò, fugiens; ama nesciri, tutiùs enim est latere, & fumare sub modio, quàm ascendere super candelabrum. *Petr. Bles.* Iterùm suademus ut maneas in solitudine; ibi expecta eum qui te salvum faciet à pusillanimitate spiritûs & tempestate; ibi multiplica, sicut palma, dies tuos; *in hoc nidulo tuo* quietus *morere.* Job. 29. Aut saltem recumbe, & sta firmus in novissimo loco, donec Dominus, Superiorum Ministerio, tibi dicat invito: *ascende superiùs, meam facturus voluntatem; ne timeas, ego tecum sum, ut sis Pastor juxta cor meum, & ut teipsum salvum facias, & eos qui te audient.*

Quinimò, cùm periculosum sit Sanctuarium Dei hęreditate possidere, & longè periculosius donum Dei possidere, pecuniâ scilicet, vel munere à manu, vel munere à linguâ, vel munere ab obsequio; & cùm Ecclesiasticus Ordo pervertatur quandò unus plurium Officia occupat Clericorum, ut loquitur Trid. sess. 24. c. 17. Cave ne ambitione hæreditariâ, avidus sis possidendorum beneficiorum, & eâdem ambitione, resignandi parenti beneficium tuum; pluralitas beneficiorum certum continet animarum periculum. *Conc. Later. 3.* & re-

ſignatio efficit aliquoties reſignatorem reum peccatorum alienorum ; caro & ſanguis ſępiſſimè revelat has reſignationes , & non Pater cœleſtis. Cave ne nimiùm innitaris diſpenſationi , vel ad poſſidendum hęreditate ſanctuarium , vel ad plura poſſidenda beneficia , vel ad reſignandum indigno parenti beneficium tuum ; ſi enim hæc diſpenſatio obreptitia ſit , vel ſubreptitia , non mentiris hominibus ſed Deo , & in verticem tuum iniquitas deſcendet tua. Poſſes ire in infernum ſine licentiâ ; certè nunc ibis cum diſpenſatione. *Alb. mag.*

Quot collatores beneficiorum ululant , & præ anguſtiâ gemunt in inferno , quia hominibus placere volentes , & non Deo ; quique carni aut ſanguini acquieſcentes , indignos dignis prętulerunt ? Nonne ovium ſanguinem de ipſorum manu requiſivit Deus ? Hoc nos quidem breviter obiterque perſtringimus ; ſed ululatus iniquorum collatorum æternus erit. Sempiternus pariter erit luctus horum latronum , qui in ovile intrarunt , non per oſtium , ſed aliundè , ut mactent & perdant. Hoc in ſpeculo inſpice te , benevole lector.

ARTICULUS IV.

Avaritia.

QUid avaro ſceleſtius ? Nihil. Eccl. 10. Cupiditas enim , eſt radix omnium malorum ; quam quidam appetentes , erraverunt à fide , inſeruerunt ſe multis dolori-

bus, inciderunt in tentationem, & in laqueum diaboli, ac sepulti sunt in inferno, sicut Judæ avaro, & indè proditori, miserè accidit.

Quot heu! sunt Clerici qui in Sanctuarium Dei præ avaritiâ intrarunt; qui vel sacras functiones non obeunt, nisi turpis lucri gratiâ; qui mammonæ serviunt, non Deo; qui avaritiæ adeò tenaciter student & adhęrent, ut ad beneficia & primatus anhelent insipientes, & se negotiis sęcularibus fœdè implicent? Quot sunt qui quàmvis divites, paupertatem tamen ubiquè insimulantes, debita inclementer exigunt; necessaria ad victum & vestitum, tùm sibi, tùm egenis inhumani recusant; miserè vivunt, ac sui pauperumque sunt veluti necatores? Quo fine? Quo? Ut congregent, & congregata servent. Veriùs loquamur, ut thesaurizent sibi iram Dei? Sed tandem mortui, inveniuntur (cunctis stupentibus simul & exsecrantibus) viri divitiarum, quibus conglutinatus fuit semper & est cor eorum, moriuntur pleni divitiarum, sed pleniores maledictionum. Hi thesauri, quos inhiantes paraverunt, cujus tandem sunt? Latronum; quod enim non capit Christus, rapit fiscus. *S. Aug.* Verùm, quò devenerunt hi insatiabiles corde? Avaro Judæ fideliter per vitam adhęrentes, in eâdem cum illo fuerunt damnatione; hinc, post mortem, cum illo, & divite in inferno sepulti sunt. Deploranda sors!

Quid times, charissime Frater, si hanc idololatriam & hanc desolationem usque ad

consummationem & finem perseveraturam; non timeas? Hanc ergò cupiditatem, quæ est idolorum servitus, ex corde tuo eradicare coneris; ne hæc oratio, quam quotidiè effundis, scilicet: *inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in avaritiam*, fiat tibi in peccatum. Habens alimenta, & quibus tegaris, his contentus sis; *quod his abundantius est, à malo est.* Matth. 5. Quid intulisti in hunc mundum? Nihil. Quid sumes cùm interieris? Nihil. Nudus ingressus es, nudus egredieris. Iterùm dicimus, non descendent tecum divitiæ tuæ; eas alienis relinques; sola opera tua sequentur te. Verùm, quò ibit anima tua? Tu videris. Ubi thesaurus tuus nunc est, ibi & cor tuum forsàn in æternùm erit: quia pecunia tua, nisi resipiscas, erit tecum in æternam perditionem.

O servum mammonæ! Nonne te pudet fidelibus predicare ut non sint solliciti in crastinum, dùm tu pecuniæ igne exardescens, numquàm dicis: *sufficit, sufficit*; sed dicis semper cum sanguisugæ infernalis filiâ: *affer, affer?* Tu, qui ob inopiæ timorem, justitiam & cœlum deseris? Tu, qui propter avaritiam cunctis notam, factus es petra scandali, opprobrium hominum, & abjectio plebis?

O miserum te! Si recogitans vias tuas, non convertas pedes tuos in paupertatem Christi Jesu, cujus Minister es; aut saltem, in paupertatem spiritûs & cordis, in subsidium pauperum; & indè in viam pacis & in requiem animæ tuæ! Nos verò suade-

mus tibi : ſic tranſeas per bona temporalia ut non amittas æterna. Quid-ni & tu contendes ?

ARTICULUS V.

Cura rerum ſæcularium, & negotiatio.

NEmo militans Deo, implicat ſe negotiis ſęcularibus, ut placeat ei, cui ſe probavit. Quapropter, *non erit ultrà mercator in domo Domini.* Zachar. 14.

Quid eſt cur, chariſſime Frater, facis domum Patris tui domum negotiationis ? Numquid mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eris regno Dei, orationi, & miniſterio tuo humeris Angelicis formidando ? quonam auſu monere poteris Laïcos ne ſolliciti ſint in craſtinum, ſi tu ipſe, videntibus illis, turpium occupationes lucrorum appetas, & ſęcularium domos diſcurrens, litigioſorum & procuratorum perſonam geras ? Quàmvis verïtatem dixerîs eis, credent ne tibi ? Dic, amabimus, operarie iniquitatis, an expectas dùm Dominus iterùm faciat flagellum de funiculis, & ejiciat te de Templo ſancto ſuo ? Quid ergò turbaris erga plurima ? Te à Divinis imprudens avertis, ſcandalum præbes, & vituperari ſinis miniſterium tuum.

Abdica tandem, Nazaræe, ſęcularia negotia ; repudia procurationes & lites, ut his omnibus impedimentis ſepoſitis, lectioni, orationi, tuoque miniſterio ferventiùs & fructuoſiùs inſtes. Ne commiſeris,

ut quis è vitâ discedens, te ad tutelas, curas, & sollicitudines vocet. Ad sublimiora jam vocatus es; quęre primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia, quæ vilibus occupationibus aucuparis anxius, copiosè adjicientur tibi. Quinimò, negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, & ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge. *Concil. Calced.*

Si verò dives esse cupis, veras divitias ama; quapropter, nobiliori & fœcundiori negotiationi te des, velimus. Negotiare ergò dùm citò venit judex, cuilibet, prout gessit, redditurus; negotiare, dùm tempus habes, pro animâ tuâ, ut thesauros tibi in cœlis thesaurizes; centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Felix negotiatio! Hinc fideles in odorem tuum currentes, discent perituras calcare divitias, aut saltem iis uti tamquàm non utantur; discent negotiationibus non vacare, nisi propter infirmitatem & necessitatem, tamquàm iis non vacent.

Si tamen necesse sit ut rerum tuarum satagas, cave ne iis cor apponas; facito semper ut inter hæc negotia, quibus te invitus & gemens in ipso tuo statu implicatum vides, ambules coram Domino, in cœlum semper intentus; ita ut, dùm secundùm beneplacitum Christi satagis circa frequens ministerium, sicut Martha, sedeas spiritu, ut Maria, secùs pedes Domini, audiens verbum illius & orationi addictus. Omnis populus dicet: *fiat, fiat.* Verùm, si id non fiat, quid de te fiet?

ARTICULUS VI.

Luxuria.

INter omnia Christianorum certamina, asserit D. Augustinus, sola sunt castitatis prœlia, ubi quotidiana pugna, ubi rara victoria. Undè, subdit D. Greg. *hoc maximè vitio periclitatur genus humanum.* Sed quantò magis periclitantur Clerici illi, qui postquàm castitatis votum emiserunt, splendidè epulantur quotidiè, somno, quieti, & otio indulgent torpidè, familiaritati & consortio mulierum assiduè & liberè nimis adhęrent imprudentes, & sic carnis illecebris fomitem prębent, & colaphizanti angelo satanæ dant locum? *Vidi*, affirmat gemebundus D. Augustinus, *vidi cedros libani turpiter corruisse, de quorum sanctitate, non magis, quàm Ambrosii & Hieronymi dubitassem.*

Quomodò ergò stabunt arundines, id est, infirmi & fragiles Clerici, mortificationis & pietatis nequidem speciem habentes? infausta pręsumptio!

Væ illis Clericis, qui hoc fœtido vitio laborantes, quique ad Missæ celebrationem obligati, nec tamen ab illâ, præ scandalo aut lucro abstinentes, à spiritu immundo se coinquinari & possideri sinunt!

Nonne sub peccato venundati, & desperantes, se tradunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis? Nonne frontem meretricis sibi facientes, & judices in

propriâ causâ se constituentes, aggerant sacrilegia, induunt maledictionem sicut vestimentum, incidunt in laqueum diaboli, & in foveam æternam quam sibi fecerunt?

Tu verò, charissime Frater, si turpiter corrueris, redi ad cor; & in te reversus, dic, amabimus; quem fructum habes in illis in quibus nunc erubescere debes, & quorum finis est mors? Heu tibi! In croceis, & pane Angelorum enutritus, & de Deo saginatus, amplexatus es stercora; factus es similis jumentis insipientibus, quibus non est intellectus. Proh pudor! sed quantò vilior factus es, iterans post millia proposita, pessimas vias tuas? Agnosce dignitatem tuam, & ne tardes exire ex hoc volutabro. Fac dignos pœnitentiæ fructus, noli ampliùs peccare, & hoc te sterquilinio iterùm fœdare, ne quid deterius contingat tibi; & sicut hactenùs exhibuisti membra tua servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibe membra tua servire justitiæ ad sanctificationem. Si autem hoc vitio inquinatus non fueris, gratias age Deo qui dedit tibi victoriam per Jesum Christum. Attamen, ne confidas in castitate præteritâ, ut monet S. Hieronymus; sed vigila, & omni curâ custodi cor tuum. Otium, utpotè luxuriæ fomitem, fuge, & da operam ut Diabolus te inveniat semper occupatum. *Idem.* Odi vel minimam luxuriæ speciem & illecebram; elimina illius vel levissimam occasionem. *Qui amat periculum peribit in illo.* Eccl. 3.

Sed presertim in medio mulierum noli

commorari. De veſtimentis procedit tinea, & à muliere, iniquitas viri. Mulier laqueus eſt venatorum, & ſagena cor ejus; vincula ſunt manus illius. Adoleſcentiores viduas devita, monet Apoſtolus; ſimul & Virgines, quæ, quàmvis ſanctæ ſint, non minùs ſunt cavendæ. Quò ſanctiores ſunt, eò magis alliciunt, ait S. Aug. Quòd ſi cum illis abſque neceſſitate, etiam prætextu devotionis familiariter converſeris, tibi accidet ut, cùm ſpiritu cœperis, carne tandem conſummandus ſis. Hoc dicunt tibi ſuâ infelici experientiâ quidam majores tui, & quidem te multò doctiores & ſanctiores. Quid-ni his exemplis edoctus, cautior eris? Ergò, cùm pauca quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, allocutus fueris, ſtatim advola. Nemini, hâc in parte, des vel minimam offenſionem; nam ſi mirabantur Apoſtoli quia cum muliere loquebatur Chriſtus; nonne tu virginibus & viduis aſſuens, malæ ſuſpicionis de te prębebis materiam, vitamque tuam ſiniſtræ opinionis infamabis? Numquid patieris vituperari miniſterium tuum?

Et quamvis ſenex ſis, time. Attende quid de Rege Salomone dicatur: *cùm jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres ut ſequeretur deos alienos.* Undè tu ſuperbis? Undè de te pręſumis? Numquid es Davide ſanctior, aut Salomone ſapientior? *S. Hier.* Cogita & iterùm cogita quòd libidinis tentatio fugiendo ſuperetur. *S. Aug.* Ne aſſumas in miniſterium tuum mulierem quæ annum quadrageſimum quintum non

attigerit. Hoc in omnium ferè Diœcesum ſtatutis prudenter edicitur. Quòd ſi illuſionibus illuſus & implectus, Præpoſitum tuum in hoc ſpernas, ſcito quia Deus non irridetur; & in verticem tuum deſcendet iniquitas & præſumptio tua. Quinimò, pangas fœdus cum oculis tuis, ut ne cogites quidem de virgine; mors aſcendit per feneſtras. Sepi aures tuas ſpinis. Et quoniam nemo poteſt eſſe continens niſi dederit Deus, poſtula enixè continentiam. Verùm mortifica membra tua quæ ſunt ſuper terram; hoc enim genus dæmoniorum in nullo poteſt exire niſi in oratione & jejunio. Quàmvis Sacerdos ſis, circumdatus es infirmitate, & ad malum ab adoleſcentiâ pronus. Nonne idipſum tibi experientiâ compertum eſt?

Tandem noli altum ſapere; ſed timens, humilia te in omnibus; Deus enim occultam ſuperbiam punit apertâ luxuriâ, aſſerit D. Auguſtinus. Et ſcriptum eſt: qui, ſe exaltat, humiliabitur, & quidem uſque ad paſſiones ignominiæ; at, qui ſe humiliat, exaltabitur ante tribunal Agni immaculati. Elige.

ARTICULUS VII.

Vita otioſa.

EGo vos elegi ut eatis, & fructum afferatis. Quos alloquitur Dominus Jeſus? Apoſtolos alloquitur, & eorum ſucceſſores. Verùm, poſſunt-ne fructum afferre; ſi Apoſtolorum

Apoſtolorum exemplo, non ſint in vigiliis, in laboribus plurimis, & in fatigatione? Undè intelligere debent Clerici, ſe non ad propria commoda, ſed ad Dei labores, & ſollicitudines pro Dei gloriâ, vocatos eſſe. *Trid. ſeſſ. 25. de refor. c.* 1. Sed heu! Quinam ſunt hodiè qui in labore hominum non ſunt, & qui cum hominibus non flagellantur, niſi Clerici? Hinc profluit illud quorumdam dictum: *Quid eſt Sacerdotium, niſi otium?* Ipſi ſiquidem, poſt recitatas curſim horas canonicas, & poſt celebratum perfunctoriè Miſſæ Sacrificium, ſtant totâ die otioſi; ferè omnes, tùm ſibi, tùm populis inutiles ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum; ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt; ſcriptum eſt enim: *Omnis arbos quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Terribilis Sacerdotum exitus!

Præterea, multam malitiam docuit otioſitas; undè fit verum iſtud: *Sicut populus, ſic Sacerdos.* Quinimò, quid mirum ſi Clerici otio torpentes, fiant interdùm ipſis laïcis deteriores? Quod vidimus teſtamur.

Quouſque tandem & tu, chariſſime Frater, marcebis ignaviâ? Nonne ad laborem natus es, ſicut avis ad volatum? Quomodò, torpens otio, declinabis à malo, faciens bonum, & miniſterium tuum dignè implebis? Numquid ſperas te percepturum hanc immarceſſibilem gloriæ coronam, legitimè & conſtanter certantibus paratam? O illuſoria & vana ſpes tua! Noli errare; quæ

seminaveris, hęc & metes. Veriùs loquamur; nonne, servus inutilis, projiciendus es in tenebras exteriores? Nonne tot ovium tibi commissarum, & tuâ ignaviâ perditarum, sanguis à te requirendus est? Ità sanè. Væ tibi, si hodiè vocem Domini audiens, non festinaveris prędari, ac tempus tuosque dies malos pręteritos redimere, & laborare deinceps sicut bonus miles Christi! O quàm strictam rationem de tot diebus salutis perditis redditurus es! Hoc seriò cogita; ferventior hactenùs sis; sęcularibus, imò & clericis te ad inutilia vocantibus, sic cum Nehemiâ responde: *Opus grande ego facio, & non possum descendere, ne fortè negligatur.* 2. Esd. 3. ne post vitam tuam inutilem, & tempus instante morte petenti tibi, acerbè dicatur: *tempus non erit ampliùs; intra in diem æternitatis, & in illam noctem in quâ nemo potest operari.* Terribilis, sed justa sententia Clericis otiosis imminens!

ARTICULUS VIII.

Amor sæculi.

OMne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Si ergò, charissime Frater, spiritum extinguere, & vocationem tuam præfocare nolis; si Dominum sine impedimento obsecrare, proficere in sapientiâ, & exhibere te in omnibus sicut Dei ministrum cupias, noli diligere

mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Numquid potes duobus dominis servire? Iterùm monemus, noli conformari huic seculo, quod totum in maligno positum est. *Observa fideliter ea quæ à sacris Conciliis de luxu, commessationibus, choreis, aleis, & lusibus, copiosè & salubriter sancita fuerunt, non obstantibus consuetudinibus.* Trid. sess. 22. de ref. c. 1. *Modestâ suppellectili & mensâ, ac frugali victu non solùm contentus sis, verùm etiam in reliquo vitæ genere ac totâ tuâ domo, nihil appareat quod à sancto instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.* Idem. sess. 25. de ref. c. 1.

Quapropter memineris diei illius, in quâ egressus de Ægypto & de domo servitutis, dixisti: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Quidni tibi sufficiat? Quid cum illo tibi deerit? Jam non es de hoc mundo: utere ergò mundo tamquàm non utens: dimitte mortuos sepelire mortuos: quoties inter homines eris, minor homo redibis; de terrâ sunt, de terrâ loquuntur; quid reverà narrant, nisi terrena, vana, curiosa, fabulationes, ne quid deterius dicamus? Ecquid mirum? Ex abundantiâ cordis os loquitur. *Meminisse debes, non aliundè Clericalis Ordinis dignitatem fuisse graviùs offensam, quàm nimiâ laïcorum familiaritate, & frequentiori cum illis convivio, ludo, & spectaculo.* Conc. Aquil. Igitur, quàm maximum poteris cahos inter te, & inter laïcos firma, si eorum mores

induere, & ministerium tuum vituperari nolis.

Prætereà, cùm sis Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Nazaræus, & Domino consecratus, cave ne acquiescas carni aut sanguini; quinimò, omnem affectum paternum, malorum seminarium in Ecclesia Dei extantem, penitùs depone. *Trid. sess. 25. de ref. c. 1.* Obliviscere domum patris tui, & vocationem tuam certiorem facies. *Vide dicta in præparatione ad mortem.* Abstineas à venatione, saltem clamosâ & frequenti. *Conc. passim. Esaü erat venator quia peccator erat; & penitùs non invenimus in Scripturis sanctis aliquem sanctum venatorem.* S. Hier.

Attamen, si adeò ardenter & crebrò venari cupias, cogita esse & aliam venationem Deo gratiorem, & tibi utiliorem. Sis ergò venator animarum, & quidem eodē zelo quo Christus Dominus voluit & constituit Apostolos fieri piscatores hominum. Hæc venatio non distrahit à divinis, nec pusillos scandalizat sicut altera; sed te & ipsos ædificat. Quidni in hanc, post moderatas & sanctas animi recreationes, incumbas?

Tandem, cętera omnia quæ in mundo sunt, totumquē mundum, animæ tuæ infensissimum hostem, fastidire, contemnere, & usque ad mortem profligare non desinas. Anhelent alii ad beneficia & Prælaturas; inhient insipientes corde ad divitias, ad delicias, & sęculi pompas, ad honores & favores; tu verò ad pauperiem & mortificationem, ad cruces & persecutio-

nes ad tui odium & abnegationem; ita ut, abdicatis & contemptis omnibus sæculi illecebris, possis tutò & liberè dicere: *regnum meum non est de hoc mundo.*

O nimis felix, charissime frater, si nunquàm respexisses in vanitates & insanias falsas; si mundus tibi crucifixus fuisset, & tu mundo; si Dominum secutus fuisses; certè non ambulasses in tenebris, & millia peccatorum monstra evasisses. Usquequò ergò, gravi corde, diliges vanitatem, & quæres mendacium? Memineris istius, scilicet, *quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* Et verò, quæ conventio Christi ad Belial? Quid tibi cum pompis diaboli, quibus in baptismate, & in sacrâ unctione renuntiasti, ut uni Deo adhęreres? Nonne tempus est fugiendi de medio Babylonis, ut te immaculatum ab hoc sęculo custodias, & salves animam tuam? Expectas-ne dùm durus nuntius, tibi, instante morte, dicat: *proficiscere de hoc mundo?*

ARTICULUS IX.

Vita tepida & spatiosa via.

APostolus monet ut simus sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. Ipse Dominus, qui facit ministros suos sicut flammam ignis, præcipit ut Sacerdotes subjiciant ligna manè, per singulos dies, & alant perpetuum animi ardorem erga divina; zelumque gloriæ Dei, & salutis propriæ ac animarum, tanquàm

ignem ſacrum ad ſacras actiones neceſſarium.

Sed heu ! quàmvis Sacerdotum ſtatus fervoris & obſervantioris vitæ ſtudium expoſcat, quot tamen ſunt qui effrenatè dicunt ſe ad tantam non teneri perfectionem ? Sufficit, juxta illos, quòd horas canonicas non omittant, quòd rogati Sacramenta adminiſtrent, quòd miſſas, obligationis tempore, celebrent, quòd ſcandalum publicum non prębeant, quòd conſcientiam peccatis mortalibus oneratam non ſentiant ; ad religioſos, dictitant, ſpectat perfectio. Igitur, quot ſunt qui liberè proclamant ſe ad peccata venialia vitanda non teneri, nec ad ea in confeſſione declaranda, utpotè rati ſe ad majorem perfectionem non obligari ?

Quid plura ? Quot ſunt, qui peccata venialia, quibus enerviter & frontosè aſſueſcunt, nihili faciunt ; quinimò contemnunt ? Recitare officium inordinatim, indecorè, & irreverenter, medias inter turbas & alternas confabulationes, juxta illos parùm eſt ; omittere multos ritus, plureſque cæremonias, parùm eſt ; celebrare Miſſam curſim, tepidè, cum veſtimentis ſordidis, pannoſis & laceratis, parùm eſt ; detrahere proximo, indecora proferre, & in mille aliis & ſingulis momentis offendere, parùm & minutulùm eſt ; quinimò, ſi ipſis credatur, nihilum. Abſtinere ſe, ut monet Apoſtolus, ab omni ſpecie malâ, & timoratam habere conſcientiam, ac altioris pietatis ſtudium, eſt merum ſcrupulum, quo Sacerdotes angi dedecet. Luce-

re, & ardere ſuper candelabrum & coram hominibus ſacro illo igne quem Chriſtus Dominus venit mittere in terram; converſari in ſolitudine cum illo ſuaviſſimo ſponſo, qui in illâ ſolitudine loquitur ad cor ſponſæ, eſt hypocritarum morem & fucum præ ſe ferre.

Hinc fit ut derideant ſimplicitatem juſtorum, & ferventiornm fratrum, eoſque habeant in deriſum, & in ſimilitudinem improperii; ipſi autem hęc omnia exempla & fervoris incitamenta reſpuentes, pulvere terreno excœcati, deſidiâ obruti, & proprio ſenſu abundantes, huic ſæculo in omnibus ſe conformant; ventri, ſomno, & otio indulgent; pretioſis ſe comunt veſtibus; ſplendidè epulantur quotidiè; ludis, choreis, aleis interſunt aſſidui; negotiis ſęcularibus ſe avidi implicant; congerendis pecuniis ſtudent; vanitati, ambitioni & præſumptioni, interiùs exteriùſque dediti cernuntur; inani ſcientiâ tumidi, & inter cęteros dominatum habentes proclamantur; hùc & illùc vagantes & nimis effuſi, ad plateas, ad mercatorum officinas, ad ludentium ſocietates, ad immoderatas deambulationes & vanas recreationes, ad compotantium & epulantium contubernia currunt; inter mulierum conſortia confabulantes & ridentes, pretioſum tempus conterunt.

Tandem, totâ vitâ otioſi, ignaviâ marcentes, in licentioris vitæ luto ſubmerſi, mundani, animales, libertatis ſectatores, ſimùl & amatores hujus ſęculi chimeræ,

vix quidquam temporis, lectioni, conſcientiæ examini, & rerum ſacrarum meditationi inſumunt; cordis puritati numquàm ſtudent; languidè & perfunctoriè, ſine ſpiritu, ſine zelo, divina obeunt miniſteria; cœlica myſteria, omniaque Dei opera negligenter faciunt, uſu potiùs quàm affectu, ut marſupium pecuniâ impleant, non verò ut animam adipe & pinguedine cœleſti repleant. Sic totum vitæ tempus in negligentiis, & vitiis ordinariis miſerè tranſigunt.

Et quia caligine & pulvere mundano obtuſos gerunt oculos, vulnera animæ ſuæ, egeſtatem cordis & proximam utriuſque mortem non perſpiciunt; in modico iniqui, jam in majori iniqui fiunt; modica ſpernentes, paulatim decidunt; per totam vitam tepidi, ex ore Dei evomuntur; & dùm nomen habent quòd vivant, mortui ſunt; curationum utilitas vix in eis eſt, ſivè quia hunc ſtatum miſeri ignorant, ſivè quia vel utiliſſima remedia uſu vileſcunt. Quid tandem reſtat, niſi ut occulto & juſto Dei judicio ſuâque malitiâ excœcati, de abyſſo ad abyſſum, de ſacrilegio in ſacrilegium ruentes, ejiciantur; fiant Deo abominabiles, & in peccato ſuo inſcii moriantur?

Hæc eſt vita tepida, quæ Dei nauſeam & vomitum provocat; hæc & ſpatioſa via quæ ad perditionem ducit. Grande periculum! terribilis exitus! Quid tamen in Clero frequentius?

Et verò, annon hæc eſt vera & germana plurium Sacerdotum effigies? Qui le-

git, intelligat, & se hoc in speculo contemplatus, dicat sibi: *cujus est imago hæc?* Nonne mea?

Verùm, charissime Frater, si tibi blandiri nolis, dic, amabimus: nonne in hoc periculoso statu versatus es, & adhùc versaris? An illud negare audeas? Audi, audi quàm veridicum de te & adversùs te testimonium perhibeat, & quidem fortiter, conscientia tua, si nondùm effrenata te excæcet malitia. Vide ergò undè excideris, & age pœnitentiam. Devita levia delicta, quæ in te maxima essent, ut affirmat Trid. & ab omni specie malâ te abstinere contende; cupiditati dominanti insta; sis in modico fidelis; tui statûs munia, prompto & alacri animo exequere; nescit molimina amor; facta carnis, spiritu mortifica, & vives; eme tibi aurum ignitum, ut concaleat cor tuum intra te; sequere viam arctam quæ ducit ad vitam; & quàmvis tepidi Sacerdotes detrahant tibi, quoniam sequeris bonitatem, constanter persevera, & dabitur tibi corona vitæ; scito quia omnes qui piè volunt vivere in hoc sęculo, persecutionem patientur; tuum animi fervorem nunquàm intermori & sopiri permittas; quapropter accede frequenter ad cor Jesu, ad hanc fornacem amoris igne exæstuantem; hoc sacro igne accendetur cor tuum, flammescet igne charitas, accendet ardor proximos. *O ignis sancte! væ illis qui ex te non ardent, qui per te non lucent!* S. Aug.

ARTICULUS X.

Pravum exemplum.

AUdite hoc, Sacerdotes. Quoniam vos recessistis de viâ, scandalizastis plurimos in lege, laqueus facti estis speculationi, & rete spansum super Thabor, & victimas declinastis. Undè fit verum istud Jer. 23. *A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.* Proh scelus! ipsemet Propheta, qui alios ædificare debèt, dęmonis officium gerit, factus est laqueus ruinæ in domo Domini! O profundum & malitiæ & pœnæ barathrum! Quis hoc credat? Heu tamen! quod omnes vident, hoc gemebundi testantur. Hinc acerbè queritur Deus: *Ruinæ populi mei, Sacerdotes mali.* Ezech. 44. Hinc sic rectè concludit D. Greg. *Nullum puto majus præjudicium tolerat Deus, quàm quandò eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare exempla pravitatis cernit; quandò ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Reverà, Sacerdos qui unctus est, si peccaverit, delinquere faciet populum Dei. *Lev. 4.* Quinimò ad quamdam peccandi necessitatem eumdem populum impellet: nam tunc populus liberè dicet: ecquid? Ipse Sacerdos qui Angelus Domini est, sciens bonum & malum, eadem quæ corripit, perpetrat? Certè, quamtùmvis increpet, eadem & nos perpetrare possumus, cùm ipse æquè strictè ac nos Dei mandata servare tenea-

tur. Hinc, pravo Clericorum exemplo corroboratus ipſe populus, ſe ad fœda peccata frontosè injiciet, eaque velut aquam bibet. Nonne id ipſum experientiâ conſtat?

Væ homini illi per quem ſcandalum venit! Heu! Si ei qui ſcandalizaverit unum de puſillis, expedit ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris, quid erit de Sacerdote, qui poſitus ſuper candelabrum ut luceat, factus eſt lapis offenſionis & petra ſcandali? Ipſe eſt ſal terræ; ſed, ſi ſal evanuerit, ad quid valet? Ad nihilum, niſi ut conculcetur ab hominibus.

Quid plura? Ipſe impius quem tu, ô Sacerdos, ſcandalizaveris, ille quidem in iniquitate ſuâ morietur; ſanguinem autem ejus de manu tuâ requiret Deus: anima tua erit pro animâ illius. Quid hoc eſt mirum? Venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat; tu verò, ſcandalum præbens, homicida es; Antichriſtus es factus; & ſic, tuâ culpâ perit infirmus propter quem Chriſtus mortuus eſt, & pro quo tu ipſe, ut bonus paſtor, animam tuam ponere debueras. Stupendum crimen! Si vox ſanguinis Abel clamârit vindictam de terrâ; quantò magis clamat anima fratris tui qui, malitiâ tuâ, in æternùm periit, & cujus animam ſalvam facere debueras?

Angeli colligent de regno Dei omnia ſcandala; quantò magis ſcandala tua? Quid ſupereſt, niſi ut ex hoc regno ejectus detraheris in infernum ſicut Lucifer, propter hæc ſcandala? O quàm verè dictum

est esse quorumdam peccata prǽcedentia ad judicium ! Nonne hæc sunt peccata tua ? Reverà , quoties habitu , incessu , sermone , consilio , negligentiâ , ignorantiâ , & mille aliis indecoris modis , causa fuisti cur multi , sub peccato venundati , descenderunt in infernum viventes ? O flagitium flagitiosissimum ! Parùmne est quòd ipse pecces , & te in tartarum detrudas ? Quid est cur fideles in eadem peccata , & in eamdem damnationem involvas ? Nonne bonum esset si natus non fuisses ?

Quoties tamen contigit ut ea scandala nec confessus es , imò nec advertisti ? Nonne ergò in falsam conscientiam & in sacrilegiorum abyssum descendisti ? O peccata aliena ! ô periculosa peccata ! ô proditoria scelera ! ô abyssus multa ! Nonne Deus strictissimè requiret ista ! Quid tamen in Clero frequentius ? Quis non paveat ? quis non fleat ? quis in cinere & cilicio pœnitentiam non agat ?

Hoc tamen non sufficit, charissime Frater ; nam sicut tua prava exempla serpserunt sicut cancer , da nunc operam ut fluant sicut ros eloquia divina ex ore tuo , & odorifera exempla ex operibus tuis. Noli ergò erubescere Evangelium , quidquid dixerint tepidi Sacerdotes. Euge , serve bone , sequere coram populo viam arctam , ut impii , vias Domini tuo exemplo edocti , ad Deum convertantur , & ut tu conversus , confirmes fratres tuos quos scandalizasti. Mactè animo , abjice opera tenebrarum , induere arma lucis ; sic in die honestè am-

bula, & non nocte, ſicut Nicodemus, ut illi quos delinquere feciſti, jam ex operibus tuis te conſiderantes, glorificent Deum. Væ tibi, ſi id alacriter non fiat !

ARTICULUS XI.

Falſa conſcientia.

QUid falsâ conſcientiâ periculoſius ? Quid tamen illâ inter Clericos frequentius ? Reverà, quot ſunt qui tranſeuntes in affectum cordis, & omnia appendentes in ſtaterâ dolosâ, dicunt malum, bonum ; & bonum, malum ; ponentes tenebras, lucem ; & lucem, tenebras ; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum ? *Quodcumque volunt, bonum eſt ; & quodcumque eis placet, ſanctum eſt.* S. Aug.

Quot ſunt qui ſuâ ſcientiâ tumidi & innixi, quemquam conſulere & intelligere nolunt, ut benè agant ; qui è contrà, præſumptione & malitiâ excœcati, ac in propriâ causâ judices, non ſolùm reſpuunt, ut meros ſcrupulos, quædam peccata, quæ juxta pondus Sanctuarii, maxima ſunt, ſivè propter ſcandalum, ſivè propter contemptum, & alia adjuncta ; ſed etiam arbitrantur interdùm ſe obſequium præſtare Deo ? O quantæ tenebræ !

Quot ſunt qui quidem proprio non innituntur judicio, qui tamen, ut remordentes conſcientias Apoſtolicâ delinire licentiâ poſſint, & ut ſuis cupiditatibus, effrenatì & tutò ſervire valeant, coacervant ſibi &

ſequuntur magiſtros auribus prurientes, pulvillos ponentes ſub omni capite, errantes ab utero, loquentes falſa, à veritate avertentes, in deceptione illuſores, aut ad ſummum, minimæ probabilitatis ſcintillæ, relictâ ſemper probabiliori ſententiâ, adhærentes?

Quot ſunt qui peccatum alienum, non ut opprobrium, ſed ut exemplum ſumentes, & huic ſęculo ſe in omnibus conformantes, irrita faciunt mandata Dei propter nefariam traditionem? Nos autem talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. *1. Cor. 11.* Quare? Quia conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt. *S. Cypr.* Numquid Evangelio pręvalere debet, vel privilegium Nationum, vel patrocinium perſonarum? Minimè. *Ter.* Numquid ergò hi ſectatores conſuetudinum ad vitia lenocinantium, cum multitudine ſalvabuntur? Nequaquàm; ſed potiùs, cùm teſtes & patronos dormientes adhibeant, verè cum illis obdormiunt, & tandem timore horribili turbati, dicent cum multitudine: *ergò erravimus.* Sap. 5.

Reverà, quot ſunt qui neſcientes in hoc miſero ſtatu, quòd ab eis receſſerit Dominus, iniquitatem & ſacrilegia quaſi aquam bibunt inſcii, & viam ſalutis æternæ ſibi ſecurè nimis pręcludunt inconſiderati? Nefanda ſecuritas! Quomodò ergò reſipiſcent? Heu! ſibi infauſtè dicunt: *pax, pax;* attamen eis terribiliter dicitur: *non eſt pax;* nomen quidem habent quòd vivant; ſed mortui ſunt. Periculoſa vita! proditoria mors! Quarè? Quia videntur theſaurizare

blandè sibi iram Dei per vitam, & tandem mori certâ & pessimâ peccatorum morte. Deploranda sors! O conscientia falsa! abyssus multa! *S. Ber.*

Nonne & tu, charissime Frater, ex illis es, vel non obediendo veritati & definitionibus Ecclesiæ Romanæ, vel non loquendo quæ decent sanam doctrinam, vel disseminando libros suspectos & pestiferos, vel citò imponendo manus, & nondùm probatos ad regale sacerdotium exaltando, vel absolvendo indignos, nec non compartem & complicem in materiâ luxuriæ; & sic, fovendo impudicitiarum & abominationum monstra, vel reputando in eâdem materiâ tanquam parùm quod non est parùm, vel habendo te circa venerea merè negativè, vel versando in proximâ ejusdem peccati occasione, & pusillos sic multifariàm scandalizando?

Nonne ex illis es, non instruendo populum, nec eum de peccato arguendo; vel confessionis sigillum, saltem indirectè, violando; vel non recitando Officium, & non cantando Missas, Anniversaria, attentè & devotè, &c. vel possidendo plura beneficia, vel ea indignis conferendo, rejectis dignis, aut ea nequiter & simoniacè resignando; vel fundationes & legata pia adimplere negligendo; vel non celebrando pro populo juxta mensuram redituum tuorum; vel differendo ad longius tempus Missarum celebrationem; vel accipiendo pro unâ Missâ plura justo stipendia, & his pluribus acceptis, per unã Missam satisfaciendo; vel

accepto pinguiori ſtipendio, ſacra per alios exſolvendo, dans illis conſuetum ſtipendium, & reliquum retinendo; vel non incumbendo reparationibus faciendis domui presbyterali, aut agris tuo beneficio annexis? Quid hìc tua tibi objicit conſcientia?

Nonne ex illis es, Miſſam non niſi rariſſimè, præ falsâ humilitate, celebrando; vel non reſidendo, per fraudem, in choro, in Parochiâ, & in Eccleſiâ tuâ; aut reſidendo perfunctoriè & velut phantaſma; vel non notando abſentes, aut corpore tantùm præſentes, eiſque diſtributiones elargiendo; vel diſſipando luxu, ludo, comeſſationibus, & nimio erga parentes affectu, res eccleſiaſticas, quæ Dei & pauperum ſunt; vel faciendo domum Dei domum negotiationis?

Nonne ex illis es, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ; vivendo è contrà tepidè, molliter, & ſecundùm carnem; quinimò jejunium, levi de causâ, frangendo, aut non jejunando juxta regulas ab Eccleſiâ ſtatutas? Nonne, modica ſpernendo, paulatim decidiſti, & in profundum peccatorum tandem veniſti? Quoties, propter invidiam, odia, diſcordias, ſchiſmata, rixas, detractiones, contumelias, calumnias & lites, factus es Deo odibilis & hominum abominatio? Nonne propter otioſitatem, ignorantiam, ſocordiam, omiſſiones, & inconſiderationes voluntarias, communicaſti imprudens peccatis alienis? Nonne propter negligentiam reparandi hono-

rem proximi, vel restituendi fructus, quos quibusdam in casibus non debuisses facere tuos, lethaliter lapsus es? Nonne propter avaritiam Dominum prodidisti, sicut perfidus Judas, & pauperum necator fuisti, sicut dives.

Quoties peccati mortalis, quàmvis occulti, conscius, nec illud confessus es, nec illud tantillùm, tuâ culpâ, percepisti; & tamen, absque prçviâ confessione, ad sacrum altare introisti, & sic judicium tibi manducasti & bibisti? Nonne ergò cæcus à nativitate, & usque ad mortem cæcus, sacrilegia super sacrilegia ad mortem usque appones? Quoties, operando cum conscientiâ practicè dubiâ, mortaliter peccasti? Quarè? *Quia omne quod non est ex fide, peccatum est*: Rom. 14. Quid enim per *fidem* ibi intelligitur, nisi certa de bonitate actûs persuasio? Quoties, defectu sufficientis examinis, veri doloris, sinceri ac firmi propositi, fœdam egisti pœnitentiam?

Quid ad hæc respondes? Nihil times, ubi omnia sunt formidinis plena? Ecquid? Nemo scit an amore, an odio sit dignus; omnes, vel ipsi sancti, de propitiato peccato timęre debent. Apostolus Paulus, vas electionis, nihil sibi conscius erat; attamen non se credebat omninò justificatum; tu verò, charissime Frater, qui tibi ipsi imponens, sęculi viam spatiosam sequeris; tu qui habes conscientiam adeò sauciatam, & reptilibus quorum non est numerus corrosam; tu qui inter mille labyrinthos intricatus, non cogitas corde, quin potiùs,

timoratorum conſcientiam ſcrupuli accuſas; tu, inquam, non times? Quinimò, ſecurè vivis? Illuſoria tranquillitas! Credis-ne quòd ex hâc vitâ ſecurè exiturus ſis, & quòd poſt mortem viſurus ſis Deum ſalvatorem tuum, illo in æternùm fruiturus? Erras. Quarè? Quia illi ſoli videbunt Deum qui mundo corde, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ ſerviunt illi.

Verùm, hæc quia locuti ſumus tibi, triſtitia forſan implevit cor tuum. Attamen, etſi hæc omnia contriſtaverint te, non nos pœnitet; imò verò gaudemus, non quia contriſtatus es, ſed quia ad pœnitentiam jamjàm contriſtandus es. Ad hanc pœnitentiam excitare te volumus, non verò ad ſcrupulos, anxietates; multò minùs ad inſaniam aut deſperationem te adigere.

Quapropter, redi ad cor, chariſſime Frater; hæc omnia ſigillatim & ſeriò expende coram Chriſto judice; quippè hæc & alia ducunt Clericos in falſam conſcientiam. Nonne & te in laqueum diaboli inopinantem detruſerunt? Statue te contra faciem tuam; conſcientiæ ſinus & latebras diſtrictiùs explora; hæc tua conſcientia te in conſpectu judicis accuſabit ſimùl & condemnabit, ſi tibi blanditus fueris.

Quàmvis autem in his omnibus non offenderis, quid prodeſt tibi? Nonne qui offendit in uno, factus eſt omnium reus? Cave ergò, ne lùmen quod in te eſt, tenebræ ſint; ſcito quia Dominus intuetur cor, & quòd in eo tenebræ non ſint ullæ. Fode parietem hujus cordis tui; ibi vide-

bis forsan abominationes pessimas : accipe lucernam in manibus tuis. Surge ergò qui dormis, & illuminabit te Christus ; surge velociter, & te ipse scrutatus, age pœnitentiam super tot peccatis nec recogitatis, imò nec notatis, in thesauris tamen Dei signatis & conditis. Roga enixè ipsum Deum ut te ab occultis mundet ; sed & tu gratiâ ejus adjutus, rectas facito vias tuas, & sequere deinceps viam arctã quæ ducit ad illam pacem quæ exsuperat omnẽ sensum, & indè ad vitam æternam. Cave & iterùm cave ne tibi nimiùm blandiaris ; nec innitaris prudentiæ tuæ, sed habe pastorem & ducem juxta cor Dei, cui docibilis sis corde ; dà & tu operam ut *ante omnia opera tua, verbum verax præcedat te ; & ante omnem actum, consilium stabile ;* Eccl. 37. Quapropter, nihil agas quod conscientiæ rectoque Dei judicio non sit consentaneum, quodque jamjàm moriturus fecisse nolles. Hæc erit gloria tua : testimonium bonæ conscientiæ. Quid optabilius ?

ARTICULUS XII.


Difficultas conversionis Sacerdotum, & summum eorum damnationis periculum.

GRandis dignitas Sacerdotum ! sed grandis ruina eorum si peccent ! S. Hier. Cùm sint Angeli Domini, amici Dei, scientes bonum & malum, quodammodò Dii & verè filii Excelsi omnes, ac gratiarum ubertate inebriati ; quandò ipsi peccant, inex-

cusabiles sunt. Hinc fit ut eorum conversio sit admodùm difficilis, sivè quia tenet eos superbia, adeò ut omne consilium respuant; sivè quia deliciis affluentes, vitæ asperioris labores perhorrescunt; sed, sicut scriptum est, incrassati & dilatati, recalcitrant; sivè quia in Scripturis exercitati, ad nullum Dominicæ comminationis tonitru expergiscuntur. *Nihil ergò impossibilius*, inquit D. Chrysostomus, *quàm corrigere eum qui omnia scit; nam, quidquid terribile est in Scripturis, usu vilescit; propterea Clericus, si cœperit eas contemnere, numquàm excitatur ut illas timeat. Quis umquàm vidit Clericum citò pœnitentem? Laïci delinquentes, facilè emendantur; Clerici autem, si mali fuerint, incorrigibiles sunt.*

Heu, charissime Frater! nonne & tu id ipsum experiris? Et verò, frangit-ne cor tuum illa vox Domini confringentis cedros libani? Emollit-ne duritiam tuam mors peccatorum pessima? Numquid te movent alia tremenda nimis Dei oracula, quæ ipse legis ac predicas, & quæ Laïcos ac rudes ad pœnitentiam excitant? Quomodò ergò ad Deum converteris? Quomodò effugies à judicio gehennæ! Audi, audi D. Chrysf. sic rectè concludentem: *Non temerè dico, ut affectus sum ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multos esse qui pereant.* Sic sentit de cunctis Sacerdotibus: ecce nunc quid de Parochis sentiat idem Doctor. *Miror an fieri possit ut aliquis ex Rectoribus sit salvus.* A talibus verbis non formidat cor tuum? Hoc

barathrum tibi imminens non effugies? Non contendes magnis tuis fletibus & laboribus ad vitæ novitatem & integritatem renovari? Non curabis, post acceptam justitiam, dignis & assiduis pœnitentiæ fructibus in eâ perseverare, ut nulla tibi deinceps dominetur iniquitas, & ne quid deterius contingat tibi? O stupiditatem tuam, damnationis æternæ prenuntiam!



CAPUT QUARTUM.

Obligationes seu munia & exercitia Clericis omnibus communia.

ARTICULUS I.

Zelus propriæ salutis & perfectionis.

HÆc meditare, in his esto; hæc meditare die ac nocte: *Unum est necessarium; hoc est omnis homo.* Quapropter *à te incipiat consideratio tua, & in te finiatur; quòcumque evagetur, ad te revocaveris eam cum salutis fructu: tu tibi sis primus, tu tibi ultimus; nemo tibi germanior unico matris tuæ.* S. Ber.

Eïa ergò, charissime Frater; si multùm das actioni, laudo te; si considerationi nihil, in hoc non laudo. *Idem.* Nam, quàmvis predicaveris Evangelium omni creatu-

ræ, quàmvis ïeris & fructum attuleris, quid prodest tibi, si ipse reprobus efficiaris? Quid prodest tibi, si universum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? Quam pro animâ tuâ commutationem dabis?

Attamen, heu! licet in vineis te posuerint custodem, vineam tuam non custodis, tu te ipse negas. *Idem.* Nonne animam tuam in vanum accepisse videris? Semper quidem dicis, sed ad scientiam veritatis numquàm pervenis. O stulte!

Verùm, si linguis hominum loquaris & Angelorum, charitatem autem non habeas, quid es? Nihil. Quid tandem audies, ô serve tibi inutilis & nequam? Quid audies? Audies & senties istorum tonitru verborum, nimirùm: *discede à me, operarie iniquitatis; dixisti & non fecisti; discede, ex ore tuo te judico.* Quid post tam formidabilem sententiam supererit tibi? Quid? Fletus, & stridor dentium, timor horribilis, vermis non moriturus, ignis inextinguibilis, ignis æternus, sempiterna desperatio. O cæcitas lacrymis sanguineis deploranda! O inconsideratio desolatione desolans ipsam Sanctorum terram!

Dic, amabimus, charissime Frater, intellexisti hæc omnia? Verùm, si hæc intelligas, cur non primùm misereris animæ tuæ, placens Deo? Cur animam tuam salvare non contendis? Usquequò claudicabis in duas partes? Ecquandò tandem dices: *dixi, nunc cœpi?* Ex nunc ergò ad pietatem te ipsum exerce; pietas enim ad om-

nia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.

Scias idcircò quid tibi deſit; & dùm tempus habes, operare bonum; noli negligere gratiam quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum; ne conformeris huic ſęculo; cum timore & tremore ſalutem tuam operare; ſequere arctam viam; cor tuum omni curâ cuſtodi; caſtiga etiam corpus tuum, ne fortè, cùm aliis prędicaveris, ipſe reprobus efficiaris; quænam ſatis magna ſecuritas ubi periclitatur æternitas?

Memento proindè reddere teipſum tibi; nec ſemper dare actioni; ſed conſiderationi, aliquid tibi & cordis & temporis ſequeſtrare. S. Bern. Undè, ad meditationem & lectionem, ad conſcientiæ examen, ad animi recollectionem, ad cętera pietatis officia, & ad jugem in virtute progreſſum viriliter incumbe.

Tandem, vide miniſterium quod accepiſti à Domino, ut illud impleas; ſed priùs adipiſcaris ſcientiam Sanctorum iterùm monemus; vim in illud facias, quia vim patitur regnum cœlorum, & violenti rapiunt illud. Ad mortem eſto ſemper paratus; nam ſi Domino ſervias in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo omnibus diebus tuis, tunc aliis efficaciùs proderis, & ſic teipſum ſalvum ſecuriùs facies, & eos qui te audierint. Utinam hæc omnia intelligere vellent Clerici! Sed heu! Hæc omnia uſu vileſcunt.



ARTICULUS II.

Perfectio proprii statûs.

QUid à te, chariſſime Frater, exigit Deus ut illum verè diligere agnoſcaris, ut ille in te ſibi benè complaceat, & det tibi immarceſſibilem gloriæ coronam? Quid? Ut ſerves ejus mandata. Quid inſuper à te poſtulat, ut ſis perfectus ſicut ille perfectus eſt? quid? Ut facias voluntatem ejus, ſicut ille deſcendit de cœlo, Patris ſui voluntatem facturus, & illam fecit: ideò miſſus eſt. Vis ergò voluntatem ejus ſemper & ſecurè facere, ac ſummum perfectionis apicem adipiſci? Miniſterium tuum imple perfectiori quo poteris modo; in hoc conſiſtit ſanctificatio tua. Hæc meditare; in his eſto, ut profectus tuus ſit omnibus ſecurè manifeſtus, & ſecuriùs coram Deo. Quid ampliùs exoptes?

Iterùm monemus, & idem monitum uſque ad mortem, ſi neceſſe ſit, inſinuabimus tibi: incumbe in minutiſſima tui ſtatûs munia; ne turberis erga plurima, chariſſime Frater; anhelent alii ad ſplendida miniſteria; tu verò intra limites tui ſtatûs, licèt obſcuri, libenter quieſce; intra te erit regnum Dei.

Cave & iterùm cave ne Angelus Satanæ transfiguret ſe in Angelum lucis, ut te ſeducat; dignè ambula vocatione quâ vocatus es; euge, ſerve bone, ſis in hæc pauca fidelis; hæc enim agens, in his fidelis uſque

uſque ad mortem, quæ placita ſunt Deo facies ſemper; morieris plenus dierum & divitiarum, ac à vanitate tutus. O quàm lætè morieris! Suprà multa te conſtituet miſerator & miſericors Dominus. Quàm bonus Iſraël Deus his qui illum quærunt in ſimplicitate cordis ſui!

ARTICULUS III.

Horæ canonicæ.

JAm ſcis, chariſſime Frater, ſacris initiate, te ad horas canonicas quotidiè recitandas, ſub peccato mortali teneri; inſuper ad illas recitandas dignè, attentè, & devotè. Cave ergò ne opus tanti momenti omittas, aut perſunctoriè peragas. Memineris multos Sacerdotes revelari damnatos, non quidem dumtaxàt propter omiſſum Officium, ſed propter malè recitatum. Time ne, ſicut Patres tui, ita & tu.

Quapropter, ante hanc divinam orationem, præpara animam tuam, ſcope ſpiritum tuum, ac ſtude recollectione animi internâ, divinum prævenire Officium, ne ſis quaſi homo qui tentat Deum.

Pſalle Deo tuo; & ut jucundum ſit ei eloquium tuum, pſalle in conſpectu Angelorum, pſalle ſapienter, pſalle ſpiritu & mente: ſi ores linguâ, mens tua ſine fructu eſt, & de te benè prophetatur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longè eſt à me.* Cave ne oratio tua fiat in peccatum. Recollige interdùm mentem, & renova

ſæpè attentionem ; vim in illud facias ut ſis attentus : recitare enim Officium cum diſtractionibus directè vel indirectè voluntariis, eſt admodùm periculoſum ; quid loquimur ? Eſt peccatum mortale. Quarè ? Quia oratio ſine attentione, non eſt oratio, ſed orationis ſimulatio.

Quoties tamen hoc adiiſti periculum, recitando horas poſt ſerias ſeculi ſollicitudines non depoſitas, & hinc continuò reviviſcentes ; vel inter conſortia vana & riſus facetos ; vel inter externas occupationes animo ſemper & cordi defixas ; vel inter alternas confabulationes ; vel propter nimiam præcipitationem & nauſeam ; vel propter tædium & oſcitationem ; vel ob negligentiam propulſandi animi divagationes ? Nonne hæc omnia impediunt interdùm attentionem ? Ecquid ? Ipſi ſanctiſſimi viri orantes ſoli cum Deo ſolo, vix à diſtractionibus liberi ſunt ; tu verò homuncio, tu qui vel ipſum vitæ interioris nomen ignoras, ſuperbè preſumis te poſſe dignè horas perſolvere inter tumultuaria colloquia, conſortia, negotia, & ſomnia ? Verè à ſatanâ te tentari ſinis ; verè ipſum Deum tentas ; verè peccati mortalis & æternæ damnationis periculum incurris. Et deinceps non caveas tibi ? O excors !

Inſuper, recita officium diſtinctè, continuè, integrè, & ordinatè. Diſtinctè, ne verbum maſticando, vel exiliter proferendo, vel nimiùm feſtinando, dicenda confundas. Continuè, ut interruptiones in eo non facias interloquendo, niſi urgente ne-

cessitate. Integrè, ut de dicendis nihil omittas. Ordinatè deniquè, in substantiâ, tempore, & modo exsequi studeas; postpositiones, implicationes, variationes facilè non admittas. *S. Bonav.*

Modestam quoque totius corporis compositionem, quam rubricæ, & Dei tremenda quam alloqueris majestas exigit, præ te ferre satage. Hęc omnia sunt imagines fidei ac pietatis, & signacula religionis. *Trid.* Hinc S. Carolus totum officium flexis genibus recitabat.

Tandem, tempus congruum serva, nec facilè, pręter necessitatem, horas converteris. *S. Bonav.* Memento S. Zepherinum referri in Purgatorio punitum propter anticipatum ob negotia Aulæ horarum tempus. Heu! quanta tibi imminet pœna propter hanc & alias fœdas inordinationes! Væ tibi, si pręterita non lugeas, & futura non pręcaveas!

Sacra Rituum Congregatio facultatem concedit Matutinum recitandi post meridiem, horis infra notatis.

MENSES.	*HORA.*
1. Januarii	2 cum quadrante.
1. Februarii	2 cum mediâ.
1. Martii	2 cum trib. quadran.
15. Martii	3
1. Aprilis	3
15. Aprilis	3 cum quadrante.
1. Maii	3 cum mediâ.
1. Junii	3 cum trib. quadran.
1. Julii	3 cum trib. quadran.

Menses.	*Hora.*
1. Augusti	3 cum mediâ.
1. Septembris	3 cum quadrante.
15. Septembris	3
1. Octobris	3
15. Octobris	2 cum trib. quadran.
1. Novembris	2 cum mediâ.
15. Novembris	2 cum quadrante.
1. Decembris	2

ARTICULUS IV.

Frequens Missæ celebratio.

QUare nos sumus Sacerdotes in æternùm, secundùm ordinem Melchisedech ? Nonne ut offeramus panem & vinum, & ut, fungentes Sacerdotio, habeamus laudem in nomine ipsius ? Hæc est mens Concilii Tridentini Sess. 23. c. 14. ubi dicit : *curet Episcopus ut ii*, Sacerdotes, *saltem diebus Dominicis*, *ac Festis solemnibus*, *Missas celebrent*. Hùc spectant ista Conc. Mediol. verba : *qui Sacerdotes estis*, *Missæ sacrificium facite sanctè ac religiosè*. Quare, quia Sacerdos, non legitimè impeditus, celebrare omittens, quantùm in se est, privat sanctam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, & seipsum medicinâ & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates. *Beda*.

Quot tamen sunt Sacerdotes qui pinguè

beneficium poſſidentes, rarò celebrant Miſſam; non quidem præ humilitate, at potiùs præ nauſeâ, & quò liberiùs conformentur huic ſeculo? Sed heu! nonne illa diù protracta Miſſæ celebratio, aliquem illius contemptum denotat? Nonne grave detrimentum infert animæ ipſius Sacerdotis? Nonne majorem inducit peccandi licentiam? Nonne interdùm puſillos ſcandalizat? Indè tandem accidit, ut diù elongantes ſe ab altari, non habeant vitam in ſe, & tandem pereant.

Quot ſunt etiam Clerici, qui ſolius indigentes tonſuræ, vel Ordinis Subdiaconatûs aut Diaconatûs, ut augeantur beneficiis, non curant; imò reſpuunt aſcendere ad Sacerdotium, quò effrænatiùs ſecundùm carnem vivant; & qui tamen, præ ignaviâ, præ faſtidio, & præ falsâ humilitate, rariſſimè accedunt ad ſacram communionem, ut non arceantur à pravâ vivendi conſuetudine? Ecquandò aberit à loco ſancto illa abominatio deſolationis? aberit & illud ſeminarium malorum?

Si optaret ſacro-ſancta Tridentina Synodus ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectione, ſed Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent, quoad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior proveniret. Seſſ. 22. cap. 6. quantò magis optare videtur ut hi qui ſtant aſſiduè in atriis domûs Dei ſui, & qui ſe ejus obſequio manciparunt, ſæpè communicent, ut de Deo ſaginati, ſancti in dies ſint, quoniam ipſe ſanctus eſt?

Forsan dicet aliquis Sacerdos aut Clericus : hæc omnia vera sunt, sed heu ! non sum dignus ut adeò tremendum tractem mysterium. Non es dignus ? quis dubitet ? ecquis est dignus ? *Si haberes Angelicam puritatem, & sancti Joannis Baptistæ, non esses dignus hoc Sacramentum suscipere, nec tractare ; non enim hoc debetur meritis hominum quòd homo consecret & tractet Christi Sacramentum, & sumat in cibum panem Angelorum*, à Kempis. Attamen, vult interim Dominus, qui suâ benignitate supplet quod ex nobis deest, ut sincero cordis affectu & reverentiâ, non ex aridâ consuetudine aut necessitate, tantæ actioni pietatem præparemus, & ut deindè adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ ; hoc vult & præcipit Dominus Jesus.

Tu autem, charissime Frater, præ humilitate accedere non vis ? & interim Christi pręceptum de observantiâ hujus Sacramenti contemnis ? Interim has ejus minas parvipendis : *nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* ? Interim sic vivere non satagis ut quotidiè merearis accipere ? quinimò, inordinatè vivis ? O pręclara humilitas ! Imò potiùs, detestanda & odibilis coram Deo & hominibus hypocrysis ! O monstruosa humilitas !

Accedere quidem indignè, horrendum est judicium ; sed non accedere ex falsâ humilitate, vel notabili negligentiâ, vel contemptu, damnabilis est culpa. *Beda.*

Absit etiam ut approbemus temeritatem periculosam plurium Sacerdotum, qui in-

terno corporis animique languore voluntariè laborantes, & variarum illecebris voluptatum libenter servi, corpus Christi febriente manu attingunt. *S. Amb.* Profectò dolemus hos Sacerdotes, qui non dijudicantes corpus Domini, ferè quotidiè celebrant, non tam propter Christum, quàm propter nummum; turpi potiùs usu, quàm amore & spiritu divino; & qui adhùc cibos, vel crapulam pręcedentis diei ructantes, primo diluculo consurgunt, & altari se sistunt, vix lectis matutinis horis, sine pręviâ aliquâ oratione; sicque celeriter, cursim, perfunctoriè omnia peragunt, ne distributione careant. Utinam hi tepidi & mercenarii Sacerdotes hoc Apostoli pręceptum diligentiùs observarent: *probet autem seipsum homo, &c.* ne fiat eis mensa Domini in laqueum, in retributiones, & in scandalum; & ne tamdiù imbecilles, judicium tandem sibi manducent & bibant inscii!

Verùm, charissime Frater, si, Deo propitio, nihil tibi conscius sis; si cupiditates vel minimas tibi dominantes refrænare contendas, quare evacuas divinum cultum & latriam Creatori debitam, ingratus de beneficiis? Quare te privas fructibus ex sacrâ communione provenientibus, quæ sunt peccatorum remissio, fomitis concupiscentiæ mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi & corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei servitudo, spei elevatio, charitatis exercitatio, devotio-

nis augmentatio, & Angelorum convitatio? *S. Bonav.* Quare, præ falsâ tuâ humilitate, fideles à sacrâ communione arces, quos tuo exemplo compellere ad intrandum deberes, ut sępè & ferventer, celebrantium vel communicantium multitudine, impleatur domus Domini, & sint filii ejus sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ cœlestis?

An credis Deum magis tuâ humilitate glorificari, tuamque ac fidelium animam majori pinguedine repleri, quàm hoc divino sacrificio & sacramento? Es-ne humilior quàm D. Apostolus Andreas, qui tamen Agnum immaculatum in altari quotidiè immolabat? Es-ne humilior & prudentior quàm S. Ambrosius, quàm S. Thomas Aquinas, quàm B. Laurentius Justinianus, & quàm innumeri alii, qui nullo die sacrificium Deo offerre neglexerunt; non quidem arido usu, torpidâ intentione, & perfunctorio modo, sed ex impulsu Divini amoris & diligenti pręparatione? Nonne his exemplis & aliis rationibus allatis devoratur sapientia tua? veriùs dicamus: nonne propter transgressionem Dominici pręcepti, propter scandalum, & sterilitatem animæ tuæ, in peccati & mortis barathrum falsâ humilitate excæcatus, te pręceps detrudis?

Væ illi qui suo sensu, hâc in re, pertinaciter abundat, & qui non manducans, manducantem judicat & spernit! nonne audiet & sentiet pondus istorum verborum? *Si quis mundus est, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis,*

quia sacrificium non obtulit Domino tempore suo. Num. 13. Et istorum? *dico vobis quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, & qui cœperunt simul omnes excusare, gustabit cœnam meam.* Luc. 14. Qui legit intelligat & timeat.

ARTICULUS V.

Exercitia ante Missæ celebrationem.

Monita salutis.

Paratur nobis mensa Domini, in quâ fecit memoriam suorum mirabilium, ubi divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, & in quâ ipse sanctitatis auctor sumitur tanquàm antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Trid. *Verùm, undè fit ut nos qui divina mysteria toties frequentamus, simus infirmi, imbecilles, & dormientes multi? undè fit, ut nos, qui panem Angelorum toties manducamus, delectemur siliquis porcorum, fiamus forsàn, propter peccata occulta & aliena, rei Corporis & Sanguinis Christi, & ut habentes quidem speciem pietatis, veritatem autem ejus abnegantes, judicium tandem nobis manducemus & bibamus? Heu! nimirùm quia obiter & persunctoriè opus grande gerimus, usu potiùs & turpis lucri gratiâ, quàm effectu ducimur, non dijudicantes corpus Domini. Caveamus, charissimi Fratres, ne lumen quod in nobis est, tenebræ sint; quapropter cogitemus hæc gravissima verba.*

Grande opus! neque homini præparatur habitatio, sed Deo. Pavete ad sanctuarium meum. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Sacerdotes sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus; incensum enim & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.

Memores etiam istius, quod ad nos spectat: Mundamini qui fertis vasa Domini; *ità ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quàmvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Trid. *Quinimò, peccata venialia, quæ contristant Spiritum sanctum, & quæ uberiorem hujus Sacramenti fructum præpediunt, lugeamus; & ea, tamquàm à facie colubri, fugere conemur. Hoc Christus Dominus docuit, cùm discipulorum pedes lavit, antequàm reciperent & manducarent corpus ejus. Deniquè, quàmvis adeuntes cum fiduciâ ad thronum gratiæ, habeamus vestem nuptialem; attamen, operæ pretium ut actualem animi devotionem omni curâ excitemus, ut gustare & videre possimus quàm suavis sit Dominus.*

Proderit etiam meditari sapienter: quis sit qui in Sacramento venit; ad quos venit; quarè; quomodò; quoties veniat? Effundamus coram illo corda nostra: cum simplicibus sermocinatio ejus. Eum ergò quæramus in simplicitate cordis nostri; & cùm varietas arceat fastidium ex crebrâ unius & ejusdem

præparationis repetitione oriri solitum, adhibeamus, si spiritus spiret, breves sed ignitas aspirationes, velut diversa fercula in eâdem mensâ; sed corde potiùs quàm ore proferendas. His ignitis aspirationibus idemtidem per diem & medias inter occupationes elicitis, sæpè magis conditur pietatis opus, & ardentiùs inardescit animus, quàm prolixis orationibus & exercitiis. Da amantem, & sentit quod dico; da desiderantem; da esurientem; da in hâc solitudine peregrinantem atq; sitientem, & fontem æternæ vitæ suspirantem; da talem, & scit quid dicam; si autem frigido loquor, nescit quid loquor. S. Aug. *Excutiamus, Fratres charissimi, pulverem terrenum, & spiritu ferventes, corde & animo parvuli, istam sequamur methodum & praxim.*

I. Intentio rectificanda.
II. Christi passio memoranda.
III. Amor excitandus.
IV. Humilitas concipienda.
V. Assistentia sanctorum flagitanda.

Actus jaculatorii & igniti, quos de corde expedit elicere manè ante Missam; inter ipsa negotia; inter confessiones audiendas; & inter cæteras ministerii functiones implendas.

Cogita Angelum custodem te sic alloqui & monere.

Ecce Magister adest & vocat te; festinans descende, quia hodiè in domo tuâ oportet illum manere. Hæc est dies quam fecit tibi, exultes & læteris in eâ. Ecce sponsus venit, exi obviam ei: veni & propera; mirabitur & dilatabitur cor tuum:

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus: holocausta medullata offeras illi, ut domum tuam scopis mundatam inveniens, hanc benedictionibus dulcedinis repleat. O si scires donum Dei, & quis sit ille qui venit ad te! quantò celeriùs properares? quantò ferventiùs præparares cor tuum in adventu illius! Verùm, accede, & illuminare.

Excita fidem.

O Jesu! tu ipsa veritas, dixisti: *hoc est corpus meum.* Credo, Domine, verè tu es Deus absconditus; tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, & quem pastores & reges procidentes adoraverunt. Adauge fidem meam, ut te cognoscens Jesum Christum, præparem cor meum, ac eâ quâ potero te recipiam reverentiâ & humilitate: præstet fides supplementum sensuum defectui.

Deum adora.

Rex regum & Dominus dominantium! Dominus meus & Deus meus! Rex meus & Deus meus. Tu solus altissimus, & substantia mea tamquàm nihilum ante te. Tibi Regi sęculorum immortali, soli Deo, honor & gloria. Adoro te ut principium & finem; omnis terra adoret te & psallat tibi. Adorate eum omnes Angeli ejus, &c.

Admirare.

Magnus Dominus & laudabilis nimis, qui parasti in dulcedine tuâ pauperi; Deus! Quàm suavis est spiritus tuus! Caro tua verè est cibus, & sanguis tuus verè est potus. O res mirabilis! Reverà, non est alia Natio tam grandis, quæ habeat deos ap-

propinquantes ſibi, ſicut tu Deus noſter ades nobis.

O dulciſſime Jeſu! undè hoc mihi ut tu Dominus meus venias ad me? Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò minùs domus hæc? Quid eſt homo quia magnificas eum, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Quàm bonus Iſraël Deus!

In ſpiritu humilitatis accede ad Deum, qui humilibus dat gratiam.

Tu Rex cœli & terræ, Sanctus, Sanctus, Sanctus, in cujus nomine omne genu flectitur, tu ad me venis qui pulvis ſum & cinis? tu me invitas pauperem, ſervum, & humilem? quis audivit umquàm tale?

Tu candor lucis æternæ, tu ad me venis? ad me, qui apponens iniquitatem ſuper iniquitatem, millies te mihimetipſi crucifixi? confuſio faciei meæ cooperit me.

Exi à me, Domine, quia peccator ſum; verè non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; quinimò, non ſum dignus vocari filius tuus, quia peccavi in cœlum & coram te, gratiam tuam, tuumque Sacramentum in vacuum recipiens, & ſervire te faciens iniquitatibus meis.

Exi ergò à me, Domine. Verùm, ſi propter nimiam charitatem tuam, deſiderio deſideres intrare in cor meum; tu Domine, qui ornaſti cœlos, fac cor meum immaculatum, ut non confundar; aſpice in me, & miſerere mei, ô Deus, miſericordia mea!

Accede ad Dominum cum tremore.

Hortaris nos, ô Jesu, ut frequenter comedamus panem & bibamus vinum quod miscuisti nobis; sed vicissim tuæ severitatis exempla me absterrent. Nonne metuere debeo ne cum Ozâ & Bethzamitibus pereum ad contactum & conspectum arcæ sanctissimi tui corporis? Timeo ne non habeam vestem nuptialem, & ne eâ exutus, mittar in tenebras exteriores. Ecquid ergò faciam miser? si me elongaverim à te, peribo; si indignè manducaverim & biberim, judicium mihi manducabo & bibam; quid faciam? undiquè mihi sunt angustiæ, & quid eligam ignoro.

Charissime in Christo Frater, spera in Deo, gaude in Jesu tuo, qui non venit vocare justos sed peccatores; vocavit ad cœnam magnam pauperes ac debiles, cæcos & claudos, hos compulit intrare; ille est Jesus. Modicæ fidei, quarè dubitas? nonne bonitas ejus præstabilis est super malitiâ tuâ? Surge igitur & veni, tu qui laboras & oneratus es, ille reficiet te. Ecce tibi panis cœli adversùs omnes qui tribulant te; verè trepidas timore, ubi non est timor; accede cum fiduciâ; culpæ quotidianæ, quas ille permittit ut sis fervens & humilis corde, non debent te absterrere; præsertim si absit affectus, & adsit vincendi conatus. Surge velociter; grandis enim tibi restat via; comede, ut in fortitudine cibi illius ambules usque ad montem Dei; hoc cibo confortatus, ab inimicis salvus eris, & vives in æternùm. O verba bona! ô verba consolatoria!

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: quarè triſtis es anima mea, & quarè conturbas me? Nonne audiſti vocem dilecti tui pulſantis? Annon te ad ſe ſuaviter trahit? Quid times? O Jeſu! Quis intelligit miſericordias tuas? Quis ſimilis tibi?

Nunc ſcio quia areret cor meum, & prævaleret inimicus meus adverſùs me, ſi obliviſcerer comedere panem meum: igitur introïbo ad altare tuum, quoties, te propitio, nihil mihi conſcius ero.

O Jeſu, refugium meum! ad quem irem? Tu ſolus verba vitæ æternæ habes; tu ſolus conſolaris nos in omni tribulatione noſtrâ. Unus ergò ſit dolor meus, hâc eſcâ privari. *S. Chryſoſt.*

Fiducialiter agam in te, & non timebo, ô Salvator mi! tu es ſpes mea, tu es vita animæ meæ; beatus homo qui ſperat in te!

Accede ad Dominum in animo contrito.

Infelix ego homo! tibi ſoli peccavi. Quid vilius? Quinimò, iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei. Væ mihi! cùm eſſem notus tuus, dulces tecum capiens cibos, magnificavi ſuper te ſupplantationem, nec cognovi tempus viſitationis meæ; ego nequam fui, quia tu bonus: quid deteſtabilius? Quis ergò dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte?

Doleo, Domine, quia peccavi nimis in vitâ meâ; doleo de peccatis, quia bonus es tu, & quia non Deus volens iniquitatem tu es; doleo propter te, ô dilecte mi; ſed quia parùm doleo maximè

doleo : doleam vehementiùs. Miſerere mei, Deus, quoniam in te confidit anima mea ; ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo ; & quàmvis, ut confido, jam mundatus ſim, ampliùs lava me ab iniquitate meâ, ut introïre idemtidem poſſim ad altare tuum, ubi, ut confido, renovabis juventutem meam : ne confundas me ab expectatione meâ.

Nolo ampliùs peccare, etiamſi oportuerit me millies mori. Deducat me ac teneat dextera tua, Domine Jeſu ; diffidam mihi, & fidam in te qui cognoſcens figmentum noſtrum, das fortitudinem plebi tuæ.

Dilige Dominum Jeſum, qui cùm dilexiſſet te, in finem dilexit te.

O dulciſſime Jeſu ! deliciæ tuæ ſunt eſſe cum filiis hominum ! Sacramentum hoc inſtituiſti ut cum illis eſſes uſque ad conſummationem ſeculi ! O Jeſu ! tu me amanter invitas ad tuum Sacramentum, ut manducans hunc panem qui confirmat cor hominis, & bibens illud vinum germinans virgines, maneam in te, & tu in me, ac vivam in æternùm ! Dulcis amor ! quis non diligat te, ô totus deſiderabilis ! Anathema illi qui non amat te, ô totus amor, ô totus amabilis !

O ignis qui ſemper ardes & numquàm extingueris, accende cor meum ! O amor ! da ut anima mea liquefiat tui amoris igne ! O Jeſu, amor mi, pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt ut mors di-

lectio. Diligo te, ô dilecte mi, ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, & ex totis viribus meis; diligo te, ô fortitudo mea, ô Jesu, quia es totus amabilis, & quia prior dilexisti me. Moriatur cor meum, si non vivat amore tui.

Ecce voluntariè sacrifico tibi & præbeo cor meum; omnia mea tua sunt; sis tu dilectus meus mihi, & ego tibi. Quid mihi hâc mutuâ dilectione charius? quid mihi suavius?

O Deus charitas! ô vita animæ meæ! diligam te, non verbo tantùm & linguâ, sed opere & veritate. Idcircò paratus sum & non sum turbatus, ut custodiam judicia justitiæ tuæ, & animam meam ponere pro te.

O amantissime Jesu! utinam nec vita, nec mors separent me à charitate tuâ! Diligo etiam proximum meum sicut meipsum; diligo & inimicos meos propter te: ne statuas illis ullum peccatum.

Ardenter desidera quem diligit anima tua.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria tua: in te, Rex meus & Deus meus, in te exultant cor meum & caro mea. O panis Angelorum! quò sæpiùs edo te, eò ardentiùs esurio. Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; ita sitit in te anima mea, ô desideratus cunctis gentibus!

Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? O Deus cordis mei, ô centrum animæ meæ? Quàm bonum est

adhȩrere tibi Deo meo ! cætera vanitas & afflictio ſpiritûs. Veni ergò , & noli tardare , ô requies mea , & dulcis hoſpes animæ meæ : anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi ; ſed apud te eſt fons vitȩ : veni , ô Jeſu , ut hauriens ego in gaudio de fontibus tuis aquam ſalientem in vitam æternam , non ſitiam in æternùm.

O Jeſu , fructus benedictus ventris Virginis Mariæ ! In toto corde meo exquiſivi te ; veni , veni , dilecte mi ; veni , & jam me nemo deſpiciat.

O Jeſu , pater orphanorum , judex viduarum , & defenſor vitȩ meȩ , vide afflictionem meam , quoniam circumdederunt me mala quorum non eſt numerus. Veni , Domine Jeſu , ſalva de ore leonis & de neceſſitatibus animam meam ; ſi tu Deus pro me , quis contra me ?

Ecquandò conſolaberis me , ô Deus totius conſolationis , & convertes planctum meum in gaudium mihi ? Si moram feceris , expectans expectabo te quidem Dominum meum ; ſed tandem urgebo meipſe , ut te inveniam , & teneam quem diligit anima mea ; tunc pleniùs gaudebo & exultabo in te Jeſu meo. Exurge ergò , Chriſte , adjuva me ; anima mea exultabit in te , & delectabitur ſuper te ſalutari meo ; plenum erit gaudium meum. Veni, refugium meum, veni ; paratum cor meum , Deus ; aut ſaltem , ô Jeſu , qui ſanctificaſti tabernaculum tuum , prȩpara ipſe cor meum ; prȩparationé cordis mei audiet auris tua, & mirificabis miſericordias tuas, quæ à ſȩculo ſunt.

CONSIDERATIONES UTILES.

Die Dominica.

Conſidera Chriſtum ut Regem.

O Rex gentium, & deſideratus earum, tu ſolus es dignus accipere divinitatem & honorem.

O Rex meus & Deus meus! bonorum meorum non indiges, & tamen deſiderio deſideras ut Paſcha novum manducem. Eïa ergò, ô Rex pacifice, procede & regna; dominare in medio inimicorum tuorum. Adveniat regnum tuum, ô Princeps pacis!

Nonne tibi ſubjecta erit anima mea? Imò, ô Rex Regum, obediens ero tibi uſque ad mortem; da quod jubes, & jube quod vis.

Feria II.

Conſidera Chriſtum ut Patrem.

O Abba Pater! tu vides quomodò miſereatur pater filiorum ſuorum. Nemo tam pater quàm tu; manus tuæ fecerunt & plaſmaverunt me; redemiſti me in ſanguine tuo, & cibas me ex adipe frumenti, nempè corpore & ſanguine tuo: grandis miſericordia!

O Pater miſericordiarum, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat: veni; ſed veniat tecum ſuper me miſericordia tua, ut repletus adipe & pinguedine corporis tui, electorum fru-

menti, te patrem meum honorificare, & tanquàm filius sapiens te lætificare possim. Quid ampliùs à filio pater exoptet?

FERIA III.

Considera Christum ut Magistrum.

O Jesu, via, veritas, & vita; ô Jesu, veni in cor meum; bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me; loquere ad cor meum cùm intraveris sub tectum meum; audiam quid loquaris in me Dominus meus; eloquia tua, eloquia casta; ignitum eloquium tuum vehementer; quidni servus tuus diligat illud? Nonne illud est super mel ori meo? Interim, ô præceptor, ecce sto secùs pedes tuos, audiens verbum tuum; da servo tuo cor docile, ut custodiam sermones tuos, &c.

FERIA IV.

Considera Christum ut Medicum.

O Jesu, verè languores nostros tuo livore sanasti; ego sum infirmus ille ad quem sanandum de cœlo descendisti; ecce languet tepida anima mea; ecce jacet in domo meâ paralyticus animus meus; sana animam meam quia peccavi tibi.

Ecce quem amas infirmatur: descende priusquàm moriar; non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus; veni ergò, & dic animæ meæ: salus tua ego sum. O pie Samaritane, infunde vulneribus meis vinum contritionis, & oleum misericordiæ.

O lux vera, quæ illuminas omnem hominem, miserere mei; fac, Domine, ut videam.

O Jesu, salus mea! ecce me leprosum; sed si vis, potes me mundare: dic ergò: *mundare*; vivet anima mea, & laudabit te.

O Jesu! si solummodò pertransiens curabas omnes; si umbra Petri curabat infirmos; nonne ego confidere debeo, quia intrante te sub tectum meum, & in me inhabitante cum plenitudine divinitatis, sanabor ab infirmitate meâ, quàmvis sit ad mortem. Adauge fidem meam, ut fides mea me salvum faciat.

Veni ergò, Deus salutis meæ; jam imperante te morbis meis, derelinquet me febris superbiæ, iracundiæ, teporis; exultabit cor meum in te salutari meo.

Verùm, ne quid deteriùs contingat mihi, da, ut postquàm sanus factus fuero, non ampliùs peccem. Væ mihi! quàm vilis fierem iterans vias meas? Heu, heu! hoc periclitor; operi manuum tuarum porrige dexteram.

FERIA V.

Considera Christum ut Pastorem.

O Jesu, Pastor bone, qui cognoscis oves tuas, & pro illis animam tuam posuisti, easque in gremio cordis tui pinguedine tuâ reples; quære servum tuum; erravi sicut ovis quæ periit; video lupum venientem, & jamjàm me rapientem. Eia ergò, veni defensor vitæ meæ, propera; rege me, &

nihil mihi deerit in loco pascuæ, in circuitu mensæ tuæ ubi me collocasti. Salva à cornibus unicornium humilitatem meam; custodi me, Domine, ut pupillam oculi; dulcissime protector mi! ô Jesu, tu es refugium meum in hâc terrâ desertâ, inviâ, & inaquosâ. Jacto super te omnem curam meam; contendo ego semper sequi viam arctam & bonam per quam ambulem, & tu dux meus, propter nomen tuum deduces me & enutries me; sub tegmine alarum tuarum sperabo, donec adducas me ad pascua vitæ æternæ.

FERIA VI.

Considera Christum ut Redemptorem.

O Jesu, Redemptor piissime! dilexisti me, tradidisti te ipsum pro me, & lavisti me in sanguine tuo, ut me redimeres ab omni iniquitate: mirabilis misericordia!

O Agne immaculate! non solùm redemisti me pretioso sanguine tuo; sed etiam hunc sanguinem tradidisti mihi bibendum, ut ampliùs lavarer ab iniquitatibus meis, & ut super nivem dealbatus, jam in hoc deserto, torrente voluptatis potarer, & mundus corde te viderem in cœlo. O magnum pietatis Sacramentum!

O Redemptor clementissime, redime me & miserere mei; vides quia non est qui redimat, neque qui salvum faciat; sed apud te, Domine Jesu, misericordia, apud te est copiosa redemptio; proba me, & scito cor meum, & si via iniquitatis in me

eſt, lava me in ſanguine tuo antequàm accedam ad altare tuum, ne bibens indignè ſanguinem tuum, bibam judicium meum. Nefandum ſcelus! bonum mihi eſſet ſi natus non fuiſſem. O Jeſu dilecte, candide, rubicunde, admitte me propitius intrantem in ſancta ſanctorum per ſanguinem tuum; calicem ſalutaris accipiam; nomen tuum invocabo, & ſalvus ero.

SABBATO.

Conſidera Chriſtum ut Sponſum.

O Sponſe ſanguinum! ſponſa me tibi hodiè in miſericordiâ & miſerationibus.

O Jeſu amator, ſpecioſe præ filiis hominum! trahe me poſt te funiculis charitatis tuæ.

O Jeſu, zelator animarum; Deus meus, ignis conſumens, qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem, veni, ure renes meos & cor meum; ignem veniſti mittere in terram, & quid vis niſi ut accendatur?

Veni, ô Sponſe mi, veni, quia amore langueo; ecce aret cor meum, refrigeſcit charitas mea; idcircò ecce venio obviam tibi, ut veniente te, ô dilecte mi, ardens ſit cor meum, & liquefiat tui amoris igne.

Veni, Domine Jeſu; & ſicut igne examinatur & probatur argentum, ita amoris tui igne examina cor meum, ut non inveniatur in me iniquitas. Amo te, mi Jeſu; & ſi adjuveris me, Deus ſalutaris meus, aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.

Specta fines ad quos, ex vi institutionis, sacrificium, adeòque Sacramentum offerri debet.

I. *Est latreuticum, seu holocaustum offerendum Deo, in agnitionem supremi ejus dominii, & tamquàm summus cultus supremæ ejus majestati debitus.*

O Pater æterne, ex quo, per quem, in quo sunt omnia, & cujus Filius, non propriam quærens gloriam, tradidit semetipsum oblationem & hostiam tibi, in odorem suavitatis; ego quoque, quemadmodùm ille fecit, ita & faciens, immolo tibi hodiè sacrificium laudis, & reddo tibi altissimo vota mea. Tu es Dominus altissimus super omnem terram; vitæ & mortis potestatem habes; in te vivo, moveor, & sum; præbeo tibi cor meum in sempiternum & rationabile obsequium. Servus tuus sum ego; eligo te hodiè in hoc sacrificio in Regem & Deum meum qui facis mirabilia magna solus; in manus tuas commendo spiritum meum; quod bonum in oculis tuis est, facias semper.

II. *Est Eucharisticum, seu pacificum, offerendum Deo in gratiarum actionem pro innumeris ejus beneficiis.*

Deus misericors & patiens, sic dilexisti mundum ut filium tuum unigenitum dares; proprio filio tuo non pepercisti, & cum illo omnia nobis donasti; donasti siquidem filium, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; formam servi accipiens, semetipsum exinanivit, factus pro me obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;

crucis; & qui pridiè quàm pateretur dedit mihi corpus & ſanguinem, ut hæres quidem tui, cohæres illius eſſem. Mirabilis Deus! Benedictus in donis ſuis Pater miſericordiarum!

Benedic ergò, anima mea, Dominum, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Verùm, ô Pater æterne, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Quid? ecce calicem ſalutaris accipiam, & nomen tuum invocabo. Dediſti mihi unigenitum Filium tuum, & cum eo, omnia mihi donaſti: ego quoque, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, creationis, redemptionis, vocationis, conſervationis, gubernationis, &c. offeram tibi hunc dilectum Filium, in quo tibi benè complaces, & cum illo, cor meum.

III. *Eſt propitiatorium, offerendum Deo in propitiationem peccatorum.*

O Pater miſericordiarum! tibi ſoli peccavi! Hei mihi! iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; ſed habeo apud te advocatum Jeſum Chriſtum, qui factus eſt propitiatio pro peccatis meis; reconciliavit me tibi in ſanguine ſuo. Reſpice ergò in faciem Chriſti tui, qui peccata mea portavit in corpore ſuo ſuper lignum; quàmvis iratus fueris, miſericordiæ recordaberis, & propitius eris mihi peccatori. Quapropter, copioſam ejus redemptionem offero tibi in hâc Miſsâ, in quâ idem Chriſtus incruenter immolatur, qui in arâ crucis ſemel ſeipſum cruenter obtulit. *Trid.*

IV. *Est impetratorium, offerendum Deo ad impetranda bona animæ & corporis, & avertenda quæcumque mala; idque pro nobismetipsis, amicis, & inimicis, justis, & peccatoribus, vivis, & defunctis.*

O Pater amantissime, cujus voluntas sanctificatio mea, memento hujus quod suggerit Filius tuus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; ecce nomen ejus, *Jesus*, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem; ecce nomen in quo oportet me salvum fieri: hic est Filius tuus dilectus: igitur, propter gloriam nominis ejus, propter ejus merita infiniti valoris, da mihi cor contritum & humiliatum; da mihi hanc charitatem quæ operit multitudinem peccatorum; concede mihi ut sim pastor juxta cor tuum, fidelis dispensator mysteriorum tuorum, ut sim mitis & humilis, & quæ placita sunt tibi faciam semper, ut cum timore & tremore salutem meam operer, ut inhabitem in domo tuâ omnibus diebus vitæ meæ, &c.

Operæ pretium est, ut tibi præfigas unum finem particularem; scilicet, vel extirpationem illius vitii quo laboras, & quod aliorum est origo; vel assecutionem illius virtutis cujus præcipuè eges.

V. *Quia hoc mysterium institutum est à Christo in memoriam Passionis suæ, perutile est, Deoque gratissimum, speciali directione intensionis illud offerre in memoriam & venerationem Passionis Dominicæ.*

Denique, quia omnis nostra diligentia, & omnis præparatio, minor est, quàm ut

tantis mysteriis sufficiens esse queat; meritò opem à Deo, à Beatâ Virgine, Angelo tutelari, SS. Patronis, & Cœlitibus omnibus, subsidiumque postula.

I. *Itaque, roga Deum per merita Filii, & omnium Sanctorum, ut gratiam tibi præstet dignè celebrandi Missam, & suscipiendi hoc Sacramentum.*

II. *Repræsentatis Christo peccatis, imperfectionibus, omnibusque necessitatibus tuis; per merita Passionis, & sanguinis ejus, pete veniam, & piè celebrandi ac communicandi gratiam.*

III. *Ad Spiritum sanctum humiliter convertere, ut donis suis, Christo Jesu dignum in te præparet habitaculum, sicut fecit in Virgine Deiparâ.*

IV. *Implora opem Sanctorum, ut tibi gratiam sanctæ Communionis impetrent.*

O Sancti Dei omnes, per eum vos rogo quem facie ad faciem, nos autem hìc per speculum videmus, & velatum in hoc Sacramento suscipimus, succurrite mihi, quæso, vestris precibus apud Deum, ut sic illum nunc in Sacramento possim recipere, ut aliquandò eum in propriâ specie vobiscum merear videre.

Tu præcipuè, ô sacratissima Virgo Maria, cujus illam humilitatem respexit Deus ex quâ beatam te dicent omnes generationes, & fecit tibi magna qui potens est; discam à te, & à Filio tuo qui humilibus dat gratiam, esse mitis & humilis corde, ut magnificet anima mea Dominum, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo.

O Maria Virgo, quæ Spiritu Sancto cooperante, gratiâ plena, Deum & hominem purissimis visceribus concipere & portare meruisti, impetra mihi, quæso, gratiam Spiritûs Sancti per amorem Filii tui, ut & ego eum dignè in hoc Sacramento excipere & portare valeam.

Adsis, ô Angele custos, & clientem tuum pio ductu dirige, ut panem illum Angelorum, Dominum cœli & terræ, decenter excipiam.

O Patroni mei, aulici Dei, succurrite, & Domino vestro hospitium cordis mei congruenter adornate.

V. *Offer Regi tuo venienti humilitatem, & sanctitatem Virginis matris Mariæ, fervorem & devotionem omnium sanctorum, ut illorum merita suppleant quicquid humana tua non valet infirmitas.*

Ascende ad altare tanquàm ad calvariæ locum, ubi Jesu-Christi confixus cruci, crucifigas carnem tuam cum vitiis & concupiscentiis; & sic ejus mortem efficaciùs annuntiabis donec veniat. Omnem curam & diligentiam in eo ponas ut quàm maximâ fieri potest cordis munditiâ, atque exteriori pietatis specie, hoc sacrificium peragatur, ut monet Trid. ità ut qui viderint te Ministrum altaris, Dominum ipsum venerentur. S. Amb. *& ad rerum quæ in sacrificio latent, contemplationem excitentur.* Trid. *Memineris ergò istius quod scriptum est:* ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna manè per singulos dies. *Lev. 6. Ignis ille non est alius, nisi ille quem Christus*

secundùm ordinem Melchisedech venit mittere in terram. Sit perpetuus iste ignis in corde tuo, & quem nutries piis ac crebris affectibus. Erumpat in adstantes divinus ille ignis, ut omnes amore Christi inflammentur. Cogita quo animi fervore S. Martinus, S. Philippus Nerius, S. Ignatius, & alii, divina tractabant mysteria; time ne divinissimum hoc opus adeò negligenter faciens, maledicaris.

ARTICULUS VI.

Exercitia post Missam, & Communionem.

Monita salutis.

PEractâ Missâ & Communione, cave ne tanto hospiti qui visitavit te oriens ex alto, mox tergum obvertas, ad ludibria & inania te convertens, immemor beneficii, non curans cum eo paulisper conversari. Quid est hoc? nisi vilipendere hospitem, imò etiam graviter offendere, delicias ejus respuere, & scandalizare pusillos. Nonne sacrilegium est, linguam tremendis ministrantem mysteriis, tali sanguine purpuratam, factam aureum gladium, ad scurrilia transferre? S. Chrys. *Ac proindè, nonne hoc est hujus divini hospitis se indignum præbere deliciis? Ingratitudo enim, est ventus urens, gratiarum fontem exsicans.* S. Ber.

Oportet ut non solùm præpares te ad devotionem ante communionem, sed ut etiam te sollicitè conserves in eâ post Sacramenti perceptionem: nec minor custodia post exigitur,

quàm devota præparatio priùs ; nam bona postmodùm custodia, optima iterùm est præparatio ad majorem gratiam; ex ea quippè redditur quis valdè indispositus, si statim fuerit ad exteriora nimis effusus. Imit. Chr.

Quid ergò sic properas? quid quæris præter Deum tuum? Plus ille te docebit quàm omnes libri; plùs delectabit quàm omnes amici; plura præstabit commoda quàm omnes mundi artes, opes, scientiæ, &c. Ex illo siquidem audies arcana quæ non licet homini loqui. Sanctæ Theresiæ à Jesu, id expertæ, credito.

Igitur, ne defrauderis à die bono, & particula boni diei non prætereat te; duc tantum hospitem in cubiculum interius, id est, cor tuum: cave à multiloquio; mane hîc secretò, & fruere suavissimo hospite tuo; ipsum enim habes quem totus mundus tibi auferre non potest. Delectare tunc in Domino; vaca, & vide quoniam est Dominus; exalta magnitudinem ejus, gusta saporis ejus dulcedinem; & licèt pulvis sis & cinis, loquere ad Dominum tuum; loquere fiducialiter ad eum, sicut solet amicus ad amicum loqui; fruere sine strepitu loquentis intùs veritatis, sorbearis in illo silentio. S. Aug. *Tribulationem tuam ante ipsum pronuntia, & effunde coram illo cor tuum; pete & accipies; hauri tunc ex Dominico fonte aquam salientem in vitam æternam, & scientiam salutis; ac gloriam illi dans, indue novum hominem, sentiens in te quod & in Christo Jesu; & tamquàm leo ignem spirans ab hâc mensâ recede, factus diabolo terribilis.* S. Chrys.

MEDITATIONES
POST MISSAM.

I. QUis est ille qui venit ad me?
II. Ad quem venit?
III. Cur venit?
IV. Quomodò venit?
V. Quid à me tantus hospes requirit?
VI. Quid hactenùs propter ejus amorem feci?
VII. Quid nunc volo facere?
VIII. Volo illud sincerè?
IX. Quid facere debeo ut promissis stem?

Aliæ.

I. Amplexus.
II. Beneficium ponderandum.
III. Admirari.
IV. Gratiarum actionis imparem se fateri.
V. Patri Filium pro gratiis offerre, & se utrique.
VI. Gratiam ejus petere.
VII. Necessitates aperire.
VIII. Proponere.
IX. Media proposito efficaci congrua inquirere, & strenuè exequi, ut indè vera & sincera cognoscatur voluntas.

Amplexus.

Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, ut fiducialiter dicere queam: vivo ego; jam non ego: vivit verò in me Christus.

Nunc, ô Jesu requies mea, nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi

mei ſalutare tuum: in te nunc deficit anima mea; in te nunc exultat cor meum. Verùm, quis mihi det, ô Deus cordis mei, ut in amplexu tuo, & in oſculo pacis lætus moriar?

Admirare.

O Jeſu! ô ſancte, innocens, impollute, à peccatoribus ſegregate, cœlis excelſior! tu veniſti ad me? in me, malevolam animam, intraſti? Quis loquetur potentiam & miſericordiam tuam? Ecquid tibi Domine, Rex gloriæ, cum hoc fœtido ſterquilinio? *Gerſon.*

O Jeſu mi! Quàm admirabile eſt nomen tuum in universâ terrâ!

Venite, audite omnes qui timetis Deum, & narrabo quanta fecit animæ meæ: ſuſcepi miſericordiam Dei mei in medio templi ejus; quinimò, ipſum Angelorum Dominum ipſumque gratiarum fontem, in medio cordis mei ſuſcepi. Stupendum beneficium! Annuntiate hoc in universâ terrâ, ut omnis ſpiritus laudet Dominum meum.

Adora.

Dominus meus & Deus meus! O Altiſſime ſuper omnem terram, mortificans & vivificans, deducens ad inferos & reducens! Adoro te; tu enim ſolus es dignus accipere virtutem, & divinitatem, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem; undè omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?

Magnus Dominus & laudabilis nimis! Adorate eum omnes Angeli ejus, &c.

Gratias age.

Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus quæ retribuisti mihi, & præsertim hodiè? Sollicitus mei, dedisti mihi corpus tuum in cibum, & sanguinem tuum in potum, & utrumque in pignus futuræ gloriæ. O sacrum convivium!

Jam misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo tuâ in longitudinem dierum. Ideò exultabunt labia mea cùm cantavero tibi, & anima mea quam redemisti. Sed & lingua mea totâ die meditabitur justitiam tuam, cùm confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mihi. Repleatur os meum laude, ut cantem totâ die gloriam tuam.

Magnificat anima mea Dominum, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Noli, anima mea, noli oblivisci omnes retributiones ejus qui visitavit te, & fecit tibi redemptionem, sanans infirmitates tuas. Laudate Deum meum omnes gentes, quoniam confirmata est super me misericordia ejus. Laudate eum omnes Angeli ejus, &c.

Offer Deo Patri Filium.

O Pater æterne, Pater misericordiarum, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium, & in cibum; cum eo omnia mihi donasti; respice in faciem Christi tui in quo tibi benè complacuisti. Hunc ego dilectum Filium, & cum eo, cor meum retribuo tibi pro his quæ hodiè retribuisti mihi: complaceas tibi, Pater, hodiè in

illo; ac per eum, indignationem tuam averte à me.

Ecce mediator Dei & hominum, Christus Jesus, Advocatus & Pontifex, qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi; ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi, & languores nostros suo livore sanavit.

Igitur, suscipe, ô sancte Pater, sanctam hanc & immaculatam hostiam Filii tui, in laudem & gloriam nominis tui, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis, in expiationem quoque peccatorum meorum, & in supplementum omnium defectuum meorum.

Dilige Jesum qui prior dilexit te.

Deus misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax, qui das escam timentibus te; jam verè diligo te, fortitudo mea, quem inveni & teneo. Quis mihi hoc tribuat, ut jugiter diligam te, qui ultrà quàm facere debueras, fecisti? Pereat cor meum, si desinat amare te, qui semper & ineffabiliter amâsti me.

O Domine Jesu! ô dilecte mi! quid me vis facere ut placeam tibi omnibus diebus vitæ meæ? Doce me facere voluntatem tuam, abnegare meipsum, & adhærere tibi. O quàm bonum mihi illud erit!

O Jesu! ô amor mi! da ut diligam te in toto corde meo; nihil aliud posco; scio enim quoniam diligentibus te omnia cooperantur in bonum; & licèt pauper sim & inops, laudabo nomen tuum, & tanquàm nihil habens, omnia possidebo; tu es Deus meus & omnia.

Offer teipſum Chriſto, qui ſe tibi tam amanter offerre dignatus eſt.

Suſcipe, Domine, univerſam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem; quidquid habeo vel poſſideo, mihi largitus es; id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorsùs voluntati trado gubernandum; amorem tui ſolum cum gratiâ tuâ mihi dones, & dives ſum ſatis, nec quicquam ultrà poſcam. *S. Ignat. Loy.*

Spera in Deo ſalutari tuo: theſaurum infinitum opum cœleſtium, & ipſum gratiæ fontem hîc habes: avidè pete quantum vis; pete veniam peccatorum, ac virtutes chriſtiano homine & tuâ potiſſimùm vocatione dignas; confide, & fides tua te ſalvum faciet.

O clementiſſime Salvator! Quid mihi nunc denegabis, poſtquàm temetipſum tradidiſti mihi in cibum & potum, & in pignus futuræ gloriæ? O quanta erit fiducia mea, cui cognita eſt tanta pietas tua! Igitur miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam; ſi iniquitates obſervaveris, Domine, Domine quis ſuſtinebit? quis accedere ad altare tuum audebit? Ab occultis meis munda me, Domine, ab alienis parce ſervo tuo, & ignorantias meas ne memineris; parce mihi, ſi eâ quâ par erat preparatione & animi devotione non tractavi hoc myſterium ipſis Angelis tremendum.

O Jeſu, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, da Domine, ut videam, ô lumen oculorum meorum, ut ſciam quid deſit

mihi. Noverim te, noverim me, ut exaltem te & humiliem me.

O Jesu, qui cùm in formâ Dei esses, temetipsum exinanivisti, formam servi accipiens; & qui in hoc sacramento enutriens & exaltans filios, te sperni à multis, & conculcari à canibus sinis, discam à te esse humilis corde; da ut abominer vel minima superbiæ signa.

O Jesu, qui factus es obediens usque ad mortem, & qui in hoc Sacramento obediisti voci hominis, da ut cibus meus sit facere voluntatem tuam, & obedire Prępositis meis propter te. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei: da quod jubes, & jube quod vis.

O Jesu Rex regum, qui cùm dives esses, propter me egenus factus es, non habens diversorium, nec ubi caput reclinares.

O Jesu! qui cum plenitudine divinitatis habitas in templis pauperibus, tanquàm mortuus à corde. O Jesu, qui pauperum desiderium exaudire soles, inclina cor meum in testimonia tua & non in avaritiam, ut delecter in viâ testimoniorum tuorum sicut in omnibus divitiis. O Jesu, tu thesaurus meus es, in te unico fixum sit cor meum; nec divitias, nec paupertatem dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria, ut habens alimenta, & quibus tegar, his contentus sim. Quid ampliùs exoptet anima mea?

O Agne sine maculâ! O Jesu, Fili Mariæ Virginis, qui pasceris inter lilia, qui mihi dedisti hodiè illud vinum germinans

Virgines, cor mundum crea in me; tu ſcis quia non poſſum eſſe continens, niſi tu Deus dederis mihi. Verùm, quàmvis Angelus ſatanæ me colaphizet, ſufficit mihi gratia tua. Da ergò ut ſim, ſicut Angeli tui in cœlo, ſollicitus tantùm de iis quæ Domini mei ſunt; ut anima mea, tota pulchra, ſine maculâ & rugâ, audire tandem mereatur: *veni, veni de libano, ſoror mea, ſponſa; veni, coronaberis.*

O Jeſu, qui ſitiens, felle & aceto potatus es, & qui omnis ſaporis ſuavitatem in hâc mensá parâſti mihi, aufer à me ventris concupiſcentias; da ut tibi ſoli ſerviam, non ventri, aut voluptati; ſim verò ſobrius, ne umquàm gravetur cor meum crapulâ & ebrietate.

O Jeſu, quì in horto, cum ſudore ſanguinis prolixiùs oraſti, & qui, ipsâ nocte quâ tradebaris, parâſti mihi hanc menſam, oro te ut tibi Domino ſerviens, ſpiritu fervens ſim; accende me hodiè illo igne quem veniſti mittere in terram; renovabor, ut confido, ſpiritu mentis meæ; jam curram viam mandatorum tuorum cùm dilataveris cor meum.

O Jeſu, vide afflictionem meam; patientia mihi neceſſaria eſt ut reportem repromiſſionem. Tu es patientia mea; diſcam à te eſſe mitis corde: æquum eſt ut, qui calicem ſalutaris toties accipio, bibam paſſionis calicem quem tu bibiſti.

O Jeſu, qui pro inimicis tuis oraſti, & qui inſtituiſti hoc Sacramentum tanquàm ſymbolum charitatis, *Trid.* ut diligam pro-

ximum ſicut meipſum, benefaciam his qui oderunt me: da mihi hanc charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, & ſine quâ nihil ſum.

O Jeſu! da mihi ſcientiam ſanctorum, ſcientiam ſalutis, & ſcutum bonæ voluntatis; cuſtodi animam meam ut pupillam oculi; da ut ſanctus ſim ego, quia tu ſanctus es, ac ſerviam tibi in ſanctitate & juſtitiâ omnibus diebus meis. O unum neceſſarium! Unum volo, unum quæro, unum deſidero, unum mihi eſt neceſſarium: ſalvum me fac, Salvator mi; da mihi amorem tui, contemptum mundi, odium mei, & zelum animarum. Si ergò inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi placet tibi, dona mihi animam meam pro quâ rogo, & populum meum pro quo obſecro; cætera tolle tibi.

Poteris etiam hîc rursùs conſiderâre Chriſtum ut Regem; ut Patrem; ut Magiſtrum; ut Medicum; ut Paſtorem; ut Redemptorem, & ut Sponſum.

I. *Ut Regem.*

O Rex meus, & Deus meus, veniſti ad me manſuetus! O Rex ſæculorum, dominare per reſiduum annorum, dominare in medio inimicorum tuorum, & in medio cordis mei. Vivas ergò, Rex, in æternùm; tuum, Domine, eſt regnum; non mea voluntas, ſed tua ſemper fiat, ſicut in cœlo, & in terrâ. Verùm, ô mi Rex, undè veniet auxilium mihi, niſi à te qui feciſti cœlum & terram? Adjuva me, ne moreris.

II. *Ut Patrem.*

O Pater miſericordiarum ! ego ſum infelix ille prodigus qui iniquè egeram ; ſed tu longanimis & multùm miſericors , ſuſcepiſti me , delectaſti ſuper me , & ſatiaſti me hodie , non hircorum ſanguine , non ſolùm de rore cœli , de pinguedine terræ , & de vitulo ſaginato , ſed pretioſo corpore & ſanguine tuo , & coronaſti me in miſericordiâ. Sed quoniam miſertus es mei quomodò miſeretur pater filiorum , ne reminiſcaris delicta mea , ſed reminiſcere miſerationum tuarum quæ à ſæculo ſunt. Rogo te , ut obediens ſim tibi uſque ad mortem. Ita Pater , quod placitum erit tibi faciam ſemper.

III. *Ut Magiſtrum.*

O Magiſter ſapientiſſime , qui docuiſti me à juventute meâ ; loquere nunc ad cor meum ; paratus cuſtodire ſermones tuos , in corde meo abſcondam eloquia tua , ut non peccem tibi ; conſervabo omnia verba tua , conferens in corde meo ; ignitum eloquium tuum vehementer , & ſervus tuus diliget illud. Beatus homo quem tu erudieris , Domine ! Da ſervo tuo cor docile.

O anima chriſtiana , velut Magdalena ſtans retrò ſecùs pedes Domini , & audiens verbum illius ; audias pariter in ſilentio , & cuſtodire coneris quid loquatur in te Dominus Jeſus. Eloquia ejus in corde tuo abſcondere ſatage.

IV. *Ut Medicum.*

O Jeſu , pie Medice , qui hodiè deſcendiſti priuſquàm morerer , & qui non ſolùm

imposuisti mihi manum, sed etiam voluisti languores meos tuo ipso livore sanare, sana animam meam quia peccavi tibi. Ingressus aliquandò Zachæi domum, dixisti: *hodiè huic domui salus facta est.* Ingressus jam es, ô Christe, domum animæ meæ; dic ei, quæso: *salus tua ego sum*; ab omni specie malâ sana eam; da illi integram sanitatem in conspectu omnium, & exiliens laudabo te, & dicam semper: *magnificetur Dominus qui benè omnia fecit, & mutos loqui, & surdos audire*, &c.

Hic revela Domino viam tuam & infirmitates tuas quas ipse portavit; ora eum ut te sanet ab illo languore quo tepidus es, &c.

V. *Ut Pastorem.*

Erraveram sicut ovis quæ periit, sed conversus sum ad te Pastorem animæ meæ; & tu, ô Pastor bone, qui pascis me à juventute, imposuisti me in humeros tuos, & in loco pascuæ, id est, corporis tui, me hodiè collocâsti. Quid mihi deinceps deerit? Jam super aspidem & basiliscum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem.

Ne discesseris à me; custodi me ut pupillam oculi, donec perducas me ad pascua vitæ æternæ.

VI. *Ut Redemptorem.*

Redemisti me, Redemptor meus, & misertus es mei; solvisti vincula colli mei; jam excussus sum de pulvere; ego, ô Jesu Christe, vinctus tui sum; servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ; custodi animam meam, ut iterùm jugo servitutis non continear. Tuus sum ego, in manus tuas com-

mendo ſpiritum meum, redemiſti me, Domine, Deus veritatis in ſanguine tuo, ac eodem hodiè lætificaſti cor meum.

VII. *Ut Sponſum.*

O Jeſu! tanquàm ſponſus procedens de thalamo tuo ſponſaſti me tibi hodiè in ſempiternùm: ego viciſſim ſponſo me tibi; pone me ut ſignaculum ſuper te, quem recepi hodiè, & elegi ut eſſes mihi Deus. Deficiat in te anima mea, ô Jeſu vita mea; liquefiat amore tui; mihi vivere, Chriſte, ſis, & mori lucrum.

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Pete ergò ut corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuā in vitam æternā.

O Jeſu! tu verè dixiſti: *qui manducat hunc panem, vivet in æternùm.* Hodiè manducavi hunc panem: ſit ille mihi pignus gloriæ perpetuæ; da ut anima mea moriatur morte juſtorum.

O Jeſu, corona mea! quis me ſeparabit à charitate tuâ? An tribulatio? an gladius? Hæc omnia ſuperabo propter te, qui dilexiſti me. Pono te Deum adjutorem meum; te, inquam, ſine quo nihil poſſum facere, & in quo confortatus, omnia poſſum.

PACTA,

ET PROPOSITA AMOROSA,

NOn quidem ſimul & coacervatim, ſed ſigillatim per hebdomadas ineunda, & ſingulis diebus alternatim exercenda.

Propono.

I. Omnia facere in gloriam tuam.

II. Non conformari huic sæculo.

III. Esse mitis corde, ut possim compati infirmitatibus proximi, & condolere iis qui errant; ac indè, possidere terram, ac in patientiâ possidere animam meam.

IV. Excutere omnem teporem, & esse fervens spiritu.

V. Manere in solitudine, quoad fas erit; sepire aures meas spinis; pangere fœdus cum oculis meis.

VI. Sobrius esse, & mortificari propter te in tali occasione N. tali modo N. &c.

VII. Ambulare coram te. Offero tibi adorationes Sanctorum pro omnibus momentis quibus non cogitabo de te.

VIII. Promovere gloriam tuam, & omnibus omnia fieri, ut omnes faciam salvos.

IX. Emendare illud vitium ad quod pronus sum.

Expende quodnam sit illud vitium, & illud, in gratiarum actionem, & Jesu, quem possides, cooperante, extirpare contende. Adhibe & tu aliquam mortificationem huic victoriæ congruentem, & quam offerente se per diem occasione, exercebis.

Deniquè, juro & statuo custodire judicia justitiæ tuæ. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui. Adjuva me, Deus salutaris meus, & propter gloriam nominis tui libera me, & salva me.

O Jesu! mane mecum, Domine, quoniam advesperascit; venit nox in quâ nemo potest operari; mane mecum, ô Jesu, ne me tenebræ comprehendant.

Sed saltem, non dimittam te, donec

benedixeris mihi. O utinam accipiam benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari meo, quatenùs eam de virtute in virtutem, donec facie ad faciem te videam Deum Deorum in Sion, quem velatum in sacramento, & per speculum, in ænigmate video.

Per manus & merita beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, commenda Deo sacrificium, aut communionem tuam; & eorum ope & intercessione pete ab illo fructum ejusdem sacrificii & communionis, ac tui propositi efficaciam.

Pete quoque gratias pro proximis tuis vivis & defunctis, pro his præsertim quos habes singulariter commendatos.

Vade in pace, ô Christiane, ô Sacerdos: descende jam justificatus pœnitentiâ, & pane Angelorum confirmatus; jam non tibi vivas, sed Christo; ne obliviscaris Domini Dei tui; elice per diem actus jaculatorios sacrificio & communioni congruentes; eos præsertim quos suggeret unctio Spiritûs.

Çogita idemtidem quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris. S. Chrysos.

Et verò, si cum sancto sanctus esse facilè quis potest; quidni sanctus eris, charissime Frater, tu, inquam, qui panem cœli ferè quotidiè manducas, in quo habitat corporaliter plenitudo divinitatis & sanctitatis? Heu tibi! quot ad salutem viæ? Sed væ tibi, si nihil horum te à malis avertat, & si manens in Christo, non vivas propter Christum, & non sis conformis imagini ejus!

ARTICULUS VII.

Alia brevior ad Missam præparatio.

Monita salutis.

ACcipite & comedite, dicit Magister bonus: hoc est corpus meum. Accedamus ergò frequenter ad hoc altaris Sacramentum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Hic est panis qui de cœlo descendit; & qui manducat hunc panem, vivet in æternùm. O sacrum convivium! quis ad illud non properet? Unus ergò sit dolor noster hâc escâ privari. S. Chrys.

Absit tamen ut accedamus ad altare nauseâ, usu, perfunctorio modo, turpis lucri gratiâ, cum affectu ad peccata venialia, & præsertim, cum conscientiâ peccato mortali gravatâ; qui enim manducat & bibit indignè, fit reus corporis & sanguinis Domini. Proh abominatio! judicium sibi maducat & bibit, non dijudicans corpus ejus. Stupenda desolatio! Quis ergò seipsum non probet antequàm de pane illo edat & de calice bibat?

Insuper, cum sancta sint sanctè tractanda, & cùm ipse Dominus Jesus mundis corde & serventibus spiritu affluentiùs det, accedamus ad thronum gratiæ maximâ quâ poterimus reverentiâ, fide firmâ, fiduciâ securâ, humilitate profundâ, ardenti desiderio, flammanti charitate, vehementi dolore, & integrâ divinæ voluntati resignatione. Indè gustabimus & videbimus quàm suavis sit Dominus.

BREVES MEDITATIONES.

I. QUodnam est illud opus quod jam jam peracturus sum? Grande opus, omnium præcellentissimum opus; non enim homini præparatur habitatio, sed Deo.

II. Quis est ille qui venit ad me?

III. Quis sum ego, ad quem ille venit?

IV. Quoties venit?

V. Quomodò venit?

VI. Cur venit?

VII. Quo fine ad eum ego venio?

VIII. Quomodò ad eum venio?

IX. Accedo ad eum quasi ante tremendum ejus tribunal statim post sacrum manifestandus?

DIRECTIO INTENTIONIS.

EGo volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxtà ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

I. Ad laudem omnipotentis Dei, in agnitionem supremi ejus dominii, & tanquàm summum cultum supremæ ejus Majestati debitum.

Vi ejusdem intentionis, offer Deo Patri, in unione intentionis & meritorum Christi, cogitationes tuas, consilia, verba, operaque tua, labores & anxietates; uno verbo, universam libertatem tuam, nempè memoriam, intellectum & voluntatem; ei totum da à quo

omnia pendent, ac ejus prorsùs voluntati gubernandum trade.

II. In gratiarum actionem pro beneficiis creationis, redemptionis, vocationis, conservationis, gubernationis, & aliis innumeris beneficiis, ac præcipuè hujus sacrosancti beneficii & excellentissimi sacramenti.

III. In propitiationem & expiationem innumerabilium peccatorum & negligentiarum mearum, & in satisfactionem opprobriorum quæ Dominus Jesus perpessus est, sivè à Judæis in passione & morte suâ, sivè ab infidelibus, hæreticis, & malis christianis in hoc amoris sacramento.

IV. Ad impetranda bona animæ & corporis; idque pro memetipso, pro parentibus, amicis, & inimicis, pro ovibus mihi commissis, pro justis & peccatoribus, vivis & defunctis; sed præsertim ad hæresum extirpationem, ad exaltationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ militantis, ad pacem & concordiam inter Principes Christianos; tandem, ad salutem omnium eorum pro quibus Deus vult & scit me debere orare.

V. In memoriam & venerationem Passionis & Mortis Jesu Christi, quam annuntiari volo, & desidero donec veniat.

Hinc, Domino Jesu gratissimum erit, & tibi utilissimum, si ante Missam, unum Passionis & Mortis punctum quotidiè mediteris; præsertim, si hanc meditationem aliquâ, quàmvis levi, mortificatione condias.

VI. In honorem beatæ Mariæ Virginis, cui me devoveo, & cujus me tutelæ committo.

VII. In venerationem totius curiæ triumphantis, ad cujus præsidium fidens confugio.

Porrò hæc intentionis directio in singulos hebdomadæ dies, pro cujuslibet opportunitate & devotione, distribui potest.

ACTUS RELIGIONIS.

Actus Fidei.

O Jesu! Quàmvis te in hoc Sacramento non videam; credo tamen te esse ibi verè, realiter, & substantialiter præsentem; eumdem Filium Dei qui in hunc mundum venisti, & quem pastores & magi procidentes adoraverunt; eumdem Deum & hominem qui sedes ad dexteram Patris; hoc firmiter credo, quia tu ipsa veritas dixisti: *hoc est corpus meum.* Adauge fidem meam.

Actus adorationis.

Firmiter credens te esse in altaris sacramento præsentem, ibi te adoro ut Regem regum, Dominum meum & Deum meum. Adoro te eâ quâ possum animi & corporis reverentiâ, ut primum principium & ultimum finem; tu solus Altissimus, & substantia mea tanquàm nihilum ante te; & quoniam agnosco cuncta in ditione tuâ esse posita, protestor quòd tibi semper & in omnibus subjecta futura sit anima mea. Offero tibi adorationes pastorum, magorum, omnium Sanctorum & Angelorum, in unio-

ne earum quas tu Deo Patri in terris obtulisti.

Actus admirationis, humilitatis & timoris.

O dulcissime Jesu! tu ad hoc sacramentum nos amanter invitas? Quàm suavis est spiritus tuus! Sed quid est homo quia magnificas eum, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Præsertim, undè hoc mihi, ut tu Dominus venias ad me? Quàm bonus Israël Deus! Exi à me, Domine, quia homuncio & peccator sum; tu verò, Rex cœli & terræ, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Heu mihi! Timeo ne non habeam vestem nuptialem, & ne eâ exutus, reus fiam corporis tui, & judicium mihi manducem & bibam. Bonum mihi esset, si natus non fuissem. Quid ergò faciam miser?

Actus spei.

O Jesu! Sum quidem ego pulvis, cinis, & peccator; sed tu es Pater misericordiarum & Deus totius consolationis. Quis umquàm intellexit misericordias tuas? Nonne laborantes & oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? Ad quem ergò irem? Tu solus verba vitæ æternæ habes; tu solus consolaris me in omni tribulatione meâ. Sum quidem æger; sed tu es salus mea; non est opus benè valentibus medico, sed malè habentibus. Si solummodò pertransiens, curabas omnes; si umbra Petri curabat infirmos; nonne ego confidere debeo quia, intrante te sub tectum meum, & in me inhabitante cum plenitudine divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur,

Igitur, cùm nihil, te propitio, mihi conſcius ſim, ſurgo & eo ad te Patrem, Medicum & Refugium meum, & ſpero quòd hæc communio futura ſit mihi fidei, ſpei & charitatis augmentum; contra inſidias inimicorum meorum firmiſſima tuitio; turpium cogitationum effugatio; hujus defectûs & vitii N. exterminatio; operum tibi placentium, & præſertim hujus virtutis N. ſalubris efficacia; & tandem pignus futuræ gloriæ. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo, quia miſerator & miſericors es, ac in promiſſis fideliſſimus.

Actus pœnitentiæ.

Væ mihi! Peccavi in cœlum & coram te; quinimò, te in multis quotidiè offendo; confeſſus quidem ſum adversùm me injuſtitiam meam; mihi videor, miſerante te, juſtificatus: attamen, heu! inſcrutabile eſt cor meum. Tu ergò qui ſcrutaris renes & corda, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo; & licet, ut confido, mundatus ſim, ampliùs lava me ab iniquitate meâ, ut ſuper nivem dealbatus, & mundus corde, hoc tremendum ſacrificium dignè celebrare, te in hoc ſacramento ſanctè recipere, & te tandem facie ad faciem in cœlo videre valeam.

Doleo, Domine, quia peccavi; doleo propter te, ô ſumme dilectus & amabilis; nolo ampliùs peccare; malo, tibi dilecto, mori, quàm tibi offenſo, vivere. Adjuva me Deus ſalutis meæ, & ab inimicis meis ſalvus ero.

Actus charitatis.

O amantissime Jesu! deliciæ tuæ sunt esse cum filiis hominum. Corporis & sanguinis tui mensam nobis in dulcedine tuâ parasti, ut in æternùm viveremus. O amor! ineffabilis amor! quis non diligat te, ô totus amor? Moriatur cor meum, si non vivat amore tui. Væ mihi, si manducans te, non viverem propter te!

Diligo te, ô dilecte mi, diligo te ex toto corde meo, & quidem propter te; ecce voluntariè sacrifico, & præbeo tibi cor meum: sis tu in æternùm dilectus meus mihi, & ego tibi. Utinam adeò intimè tecum hoc sacramento uniar, ut neque vita, neque mors separent me à te, nec te à me. Quid mihi hâc mutuâ charitate charius? Quid mihi suavius?

Et quoniam sacramentum hoc instituisti tanquàm symbolum charitatis, (*Trid.*) protestor quòd diligam proximum meum & inimicos meos sicut meipsum, propter te. Radica, quæso, in corde meo hanc charitatem, utpotè vinculum perfectionis meæ, & plenitudinem legis.

Actus desiderii.

Est hoc sacramentum cibus animæ, non minùs ei necessarius & utilis, quàm suus corpori; & sicut cibus corporis prodest nutritque plurimùm si cum appetitu & fame sumatur, & alioquin interdùm noceat; pari ratione, animæ cibus, id est, sacramentum Corporis & Sanguinis Christi. Si ergò absit illa fames, hunc quidem cœlestem cibum sumes, sed gustum illius perexiguum habebis. Heu tamen! quàm sæpè

abest à Sacerdotibus hujus cibi fames ; ita ut, si non esset aliundè celebrandi obligatio, si non affulgeret lucri spes, quàm citò nausearet omninò anima eorum super cibo isto, tanquàm levissimo! Quid mirum, si non gustent quàm suavis sit Dominus in hoc cœlesti cibo, qui & si contineat omnem saporis suavitatem, tamen non nisi animam inanem & esurientem satiat bonis! Tu verò, charissime Frater, da operam ut piis meditationibus scias hoc excellentissimum donum Dei. O quantò hujus cibi cœlestis avidior fies, & ad illum cum fructu & augmento sumendum aptior! Ad hanc ergò famem, te his aut aliis aspirationibus ignitis excites optamus.

Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat ad te, & in te sitit anima mea, ô desideratus cunctis gentibus! In te, Rex meus & Deus meus, in te exultant cor meum & caro mea. Ecquid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, ô Deus cordis mei, thesaurus meus, & centrum animæ meæ? Noverim te, quò ardentiùs te desiderem, avidiùs me urgeam, citiùs te inveniam, & te arctiùs teneam quem diligit anima mea, & in quem desiderant ipsi Angeli prospicere.

Parce, Domine Jesu, parce frigido cordi meo. Trahe ergò me funiculis charitatis tuæ ad sanctuarium tuum ; veni, & noli tardare, defensor vitæ meæ, dulcis hospes animæ, Deus meus & omnia. Quî fieri potest ut te infinitum thesaurum frigidè cu-

piam, intereadùm ad caducas divitias insatiabili corde anhelant avari? O animalis homo, quàm parùm percipio quæ tua sunt! Numquàm-ne hoc donum omnium donorum pretiosissimum sciam? Suppleas, quæso, mi Jesu, modicæ fidei meæ; exurge, adjuva me, ut eò ardentiùs esuriam quò sæpiùs edam te.

Petitio gratiæ ad dignè celebrandum & communicandum.

O Pater æterne, per merita Filii tui concede mihi gratiam dignè celebrandi Missam, & recipiendi, non solùm sacramentum, sed etiam rem & virtutem sacramenti. Offero tibi humilitatem & sanctitatem Virginis Mariæ, fervorem & devotionem omnium Sanctorum, ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu, propitius esto mihi peccatori, & concede mihi piè celebrandi & communicandi gratiam, ut vivam in te, per te, & propter te, qui es vita animæ meæ.

Veni Sancte Spiritus, & dignum Christo Jesu, in me præpara habitaculum, sicut fecisti in Virgine Mariâ.

O sacratissima Virgo Maria, quæ Spiritu Sancto cooperante, Deum & hominem purissimis visceribus concipere & portare meruisti, impetra mihi gratiam, ut & ego eum dignè in hoc sacramento accipere & portare valeam, & ut habeam spiritum hujus dilecti Filii tui.

O vos Sancti omnes, per eum vos rogo quem facie ad faciem, nos autem hîc per speculum videmus, & velatum in hoc sa-

cramento suscipimus ; succurrite mihi, quæso, & Domino vestro hospitium cordis mei congruenter adornate, ut eum jam hoc in exilio possidere valeam.

MEMENTO VIVORUM.

I. MEi, parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, & amicorum meorum.

II. Omnium quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi.

III. Omnium benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus.

IV. Omnium mihi commissorum, in genere & in specie.

V. Omnium Sacerdotum & Ministrorum Ecclesiæ Dei Catholicæ.

VI. Omnium inimicorum meorum, ad dimissionem.

VII. Omnium hæreticorum & infidelium, ad conversionem.

VIII. Omnium pro quibus vis & scis me debere orare.

Memento etiam mortuorum.

I. Animarum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, & amicorum meorum.

II. Animarum quæ, occasione mei, purgantur in Purgatorio.

III. Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus.

IV. Animarum omnium mihi commissarum in genere & in specie.

V. Animarum omnium Sacerdotum & Miniſtrorum Eccleſiæ Dei Catholicæ.

VI. Animarum morte improvisâ corporibus exutarum.

VII. Animarum quarum non eſt ſpecialis memoria.

VIII. Animarum miſerrimè exiſtentium in Purgatorio, & omnium pro quibus vis & ſcis me debere orare.

Præfige tibi unum finem particularem, ſcilicet, vel extirpationem hujus vitii N. quo laboras, & quod aliorum eſt origo; vel aſſecutionem hujus virtutis N. cujus præcipuè eges.

Indue ſacra paramenta, quaſi moriturus & cum eis ſepeliendus. Accede ad altare tanquàm ad calvariæ locum, ad crucifigendum veterem hominem cum actibus ſuis, hoc N. præſertim tibi dominans vitium; & ad te ſacrificandum Domino Jeſu, qui pro te in arâ crucis ſe cruenter obtulit.

ARTICULUS VIII.

Aliæ breviores poſt Miſſam gratiarum actiones.

QUid frequentius pravâ conſuetudine Sacerdotum, qui ſtatim poſt Miſſam & Communionem, ad inania colloquia & ludibria ſe convertunt, & ad exteriora nimis effunduntur, non curantes cum dulciſſimo hoſpite pauliſper converſari? Quid eſt hoc, niſi hunc vilipendere, delicias ejus reſpuere, & ſcandalizare puſillos? Undè ſit ut non dijudicent Corpus Domini à cibo terreno, & ut amici

& præpotentis viri viſitationem pluris faciant, quàm Regis Regum? Ex arido celebrandi uſu, & ex modicâ fide. Hinc fit, ut in ipsâ mensâ Domini, fame pereant; in ipſis Salvatoris fontibus areant, & ut totâ vitâ tepeſcant, imbecilles & infirmi, ne quid pejus dicatur.

Tu verò, chariſſime Frater, fruere in ſilentio & in ſenſuum tuorum recollectione, ſuaviſſimo hoſpite tuo; ex illo ſiquidem audies arcana quæ non licet homini loqui. Guſta & vide.

MEDITATIONES

POST MISSAM.

I. QUis eſt ille qui venit ad me? &c. *ut ſuprà.* pag. 103.

Actus jaculatorii.

O Jeſu, dulcis hoſpes! proſperè proceſſeris ad hunc pauperculum & humilem ſervum; intraveris fauſtè ſub hoc anguſtiſſimum & vile tectum. Benedictus & ſuperexaltatus, qui veniſti in cor meum, oriens ex alto.

O Rex pacifice! fuga ex animo & corde meo catervas vanarum cogitationum, ut te ſolum pacis auctorem contemplari & diligere queat anima mea. Ecquid, præter te, ô pax, tranquillitas, & dulcedo cordis mei, quærat & guſtet anima mea? Silete ergò creaturæ omnes; ecce Rex meus venit mihi manſuetus. Abite, hunc ſolum volo regnare ſuper me. Abite ergò, ſinite me

audire Regem, Dominum & Magistrum meum, & me in illo benè complacere.

Hîc parùm loquere, & multùm meditare, ut totus in Jesu tuo absorbearis. Illo fruens, cætera exercitia liberè omitte; jam enim habes quod desideras.

Inveni quem diligit anima mea; teneo eum nec dimittam.

O Jesu! nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei & gustavit cor meum salutare tuum. Quid mihi nunc restat, nisi ut in amplexu tuo moriar? Claudantur interim omnes sensus mei omnibus rebus creatis, ut pro te solo vivant, & te solo delectentur.

O Jesu, sancte Jesu! tu venisti ad me? Quàm admirabile est nomen tuum! quàm grandis misericordia tua!

Dominus meus, & Deus meus! quis similis tibi? Adoro te. O vos Angeli & Sancti omnes, adorate pro me Dominum & Jesum meum, quoniam magnus est, & laudabilis nimis.

Domine Jesu! quid retribuam tibi pro omnibus quæ hodiè retribuisti mihi? Magnifica, anima mea, Dominum, & omnia quæ intra me sunt benedicite nomini sancto ejus. Laudate Deum omnes gentes, quoniam confirmata est hodiè super me misericordia ejus.

O Pater æterne, hunc dilectum Filium tuum, quem hodiè in cibum dedisti mihi, offero tibi, & cum eo cor meum, pro his quæ hodiè retribuisti mihi; tibi in illo benè complaceas. Gratiarum actioni me imparem

fateor ; quoniam inops & pauper ego sum.

O Jesu ! quid te ad me pauperculum traxit, nisi amor ? Quid à me exoptas, nisi amorem ? Igitur, diligo te propter te ; quid justius ? Quid dignius ? Offero me totum tibi in rationabile & sempiternum obsequium. Numquid sæculi vanitatibus rursùs aperirentur oculi mei, postquàm te, salutare Dei, viderunt ? Absit. Ad te, ô pulchritudo antiqua, ad te erunt semper deinceps oculi mei ; alioquin obscurentur & pereant oculi mei. Numquid os meum corpore tuo consecratum, tuoque purpuratum sanguine, vaniloquia & scurrilia, falsa, detractatoria, & turpia adhùc loqueretur ? Absit. Si enim locuturum sit, sermones tantùm tuos loquetur ; si quid esurierit & sitierit, te solum, Angelorum panem, esuriet ; te solum vitæ fontem sitiet ; solamque, propter te, justitiam esuriet & sitiet ex abundantiâ cordis os meum ; alioquin obstruatur & pereat os meum. Numquid istud cor meum, in quo propter nimiam charitatem tuam tibi sanctuarium parasti, ut jam te in hoc exilio possideam, aliud præter te, aut nisi propter te amaret ? Absit, mi Jesu, absit. Te solum, utpotè summè amabilem, diliget cor meum. Pereat ergò cor meum, si non amet te propter te summè dilectum. Indica mihi quid me velis facere, ut placeam tibi omnibus diebus vitæ meæ ; da quod jubes, & jube quod vis.

Hic aüdi quid loquatur in te Dominus

Jeſus; qui hunc tibi aperiet defectum & ſuaviter exprobrabit, mediaque ad ejus exterminationem affluenter ſuggeret; poſtulabitque pariter à te tale ſacrificium. N., vel talem mortificationem N. per diem exercendam. Si Dominum Jeſum totâ mente dilexeris, quâ fronte hæc ſacrificia denegabis illi qui ſemetipſum tibi totum tradidit? Vel potiùs, quâ animi alacritate, & fidelitate hæc adimplebis ſacrificia? Probatio enim amoris, exhibitio eſt operis. S. Gregorius. *Conſultiſſimum etiam eſt renovare hîc idemtidem caſtitatis votum, in odorem ſuavitatis. Ama, & fac quod vis.* S. Aug.

Quid mihi nunc denegabis, poſtquàm temetipſum tradidiſti mihi in cibum, in potum, & in pignus futuræ gloriæ? O quanta erit fiducia mea, cui cognita eſt tanta pietas tua!.

Igitur, miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam; noverim te; noverim me, ut exaltem te, & humiliem me; ut oderim me, & amem te; ut perſequar me, & ſequar te, & nihil cogitem niſi te; ut mortificem me, & vivam in te, ac in æternùm potiar te.

Diſcam à te eſſe mitis & humilis corde, & in patientiâ meâ poſſidere animam meam; doce me facere voluntatem tuam, & quæcumque eveniant, accipere à te.

Inclina cor meum in teſtimonia tua, in paupertatem tuam, & non in avaritiam. Nonne tu es theſaurus meus? In te unico fixum ſit cor meum.

O Jeſu! puritatis amator, ure renes

meos & cor meum, ut tibi casto corpore serviam & mundo corde placeam.

Da ut sobrius sim, & ut alimenta tanquàm medicamenta sumam, donec de necessitatibus meis me eruere digneris. Meus cibus sit facere voluntatem tuam, & adhærere tibi Deo meo.

Accende me hodiè igne illo quem venisti mittere in terram, ut tibi Domino meo serviens, spiritu fervens sim, & omnia agam in gloriam tuam, eamque pro viribus promoveam.

Vide, Domine, afflictionem meam, & quomodò multiplicati sint qui tribulant me; spiritus meus promptus est & ad malum pronus, caro autem infirma. Exurge ergò in adjutorium meum, & ne inducas me in tentationem, ut laudem dicam tibi, quia non est alius qui pugnet pro nobis & nobiscum, nisi tu Deus noster. Absconde me intra vulnera tua, & præcipuè intra cor tuum; ibi est tutissimum refugium meum, ibi requies mea; hoc in nidulo vivere volo, & mori desidero. Quem, hâc fortitudine vallatus & custoditus, timebo?

Sed quoniam sæpissimè nescio quid petam, da mihi quod mihi magis expedire scis ad gloriam tuam; da mihi scientiam Sanctorum, scientiam salutis, & scutum bonæ voluntatis. Custodi inter tot pericula animam meam; da ut sanctus sim, quia tu sanctus es; fac me dignum sacris altaribus tuis Ministrum, & Pastorem juxta cor tuum. Cùm sim Nazaræus, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, in nullo afficiar

nisi in te ; perdere sciam in hoc mundo animam meam, ut eam in vitam æternam custodiam.

Sed quid peto ? Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultra poscam.

O unum necessarium ! Hoc unum volo, unum quæro, Deum meum & omnia.

Heu mihi ! Illud vitium N., quo laboro, tibi multùm displicet, & mihi maximè nocet; illa virtus N. quæ mihi deest, tibi multùm placet, & mihi admodùm necessaria est. Da mihi ergò gratiam ut hunc defectum vincam, & hanc assequar virtutem; hanc à te spero victoriam. Ego quoque contendam hoc exterminare vitium, & istam acquirere virtutem ; quapropter exercebo per diem hanc mortificationem N., eliciam hunc actum N. huic vitio contrarium ; fugiam hanc occasionem N. Hæc omnia etiam præstare propono, in gratiarum actionem pro beneficio sacrificii & communionis hodiernæ. Da ut fidelis sim in proposito meo, & ut tandem victor, ac de manu inimicorum meorum liberatus, moriar morte justorum, & coroner in patriâ.

Et quoniam dives es in omnes qui invocant te & pro quibus te oramus ; & cùm te nunc possideam gratiarum fontem, illumina, quæso, infideles te ignorantes ; revoca hæreticos & schismaticos ; converte miseros peccatores ; indue Sacerdotes sanctitate tuâ, ut sancti ipsi, populos sanctificent. Famulum tuum Papam nostrum N.; Antistitem nostrum N., & Regem nostrum

N. & suam prolem regiam ab omni adversitate custodi. Adesto parentibus, propinquis, benefactoribus, & inimicis meis, ac ovibus mihi commissis. Miserere omnium pro quibus orare debeo, & tu rogari vis. Da vivis veniam, gratiam, & perseverantiam finalem; da fidelibus requiem lucemque sempiternam. Amen.

Memento per diem hujus immensæ charitatis propter quam Dominus Jesus visitavit te. Quapropter, elice interdùm actus jaculatorios sacrificio & communioni congruentes; hos præsertim quos suggeret unctio spiritûs. Cave aridum sacrificandi & communicandi usum; vilesceret tandem in te hoc maximum opus. Sed potiùs, ex sanctitate tuâ in dies crescente, cognoscant omnes qui te viderint, & quibuscum conversaris, te accepisse & quotidiè accipere ipsum sanctitatis fontem. Ecquid? Cum sancto sanctum non esse? O monstruosa res! ô res plena periculi! Cujus est imago hæc? Qui legit, intelligat & sibi caveat.

ARTICULUS IX.

Studium & scientia.

NUllus præsumat ad Clericatûs ordinem illiteratos promovere, quia litteris carens non potest esse aptus mysteriis. *Gelas.*

Attamen, charissime Frater, si jam sis sacris initiatus, memineris te esse Angelum Domini, in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, missum; & te debere illuminare hos qui in tenebris se-

dent ; undè , debent labia tua custodire scientiam , ut potens sis exhortari in doctrinâ sanâ , & eos qui contradicunt arguere.

Quis hoc neget ? In magnâ ergò temeritate Magisterium ab imperitis suscipitur , quia ars artium est regimen animarum. *S. Greg.* Si cæcus cæco ducatum præstet , nonne ambo in foveam cadunt ? O quàm multa malorum & hæresum monstra orta sunt ex Clericorum imperitiâ , in Ecclesiâ Dei ! ignorantia siquidem , cunctorum est mater errorum. *Conc. Tolet. IV.*

Dices forsan , te non egere studio & scientiâ , eò quòd animarum curam non susceperis ? Erras. Scias te non exiguâ egere scientiâ , ut ea quæ statum sacerdotalem concernunt , callere & adimplere possis. Nonne tamen nova , curiosa , vana , & faceta , avidè legis & disertè narras ; salutaria autem & necessaria fastidis & ignoras ? O præclarum Ministrum formidandis deputatum mysteriis ! Veriùs loquamur : undè profluunt tot Clericorum scandala , nisi quia , velut homines animales , non percipiunt ea quæ spiritûs Dei sunt , & quia nolunt intelligere ut benè agant ?

Quousquè tandem & tu ipse marcebis ignaviâ , & hinc laborabis ignorantiâ ? Nonne ignorans ignoraberis ? An-non , scientiam repellens , repelleris ipse ne Sacerdotio fungaris Deo tuo ? Tolle ergò ex nunc , tolle & lege hos libros quos tibi tuoque statui magis congruere noveris ; hæc volumina comede. Studium tamen orationе

condire satagas maximè expedit, & scientiam charitate ædificare contendas. Quarè? Quia tàm vitâ quàm doctrinâ clarere debet Ecclesiasticus Doctor; nam doctrina sine vitâ, arrogantem reddit; vita sine doctrinâ inutilem facit. *S. Isid. Hispal.*

ARTICULUS X.

Bonum exemplum.

HÆc meditare, in his esto, ut profectus sit omnibus manifestus.

Nihil est quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vitæ & exemplum qui se divino ministerio dedicarunt; cùm enim Clerici in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos, tanquàm in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ut ex iis sumant quod imitentur. Quapropter, sic decet omninò Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos ita componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant. Trid. Sess. 22. de ref. c. 1.

O nimis beatus populus qui hoc speculum præ oculis semper habet! *salus enim populorum, Sacerdotes boni.* Quapropter, charissime Frater, cùm sis lux mundi & sal terræ, in omnibus temetipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate; modestia tua nota sit omnibus hominibus; jam omnes qui viderint opera tua, glorificabunt Patrem tuum qui in cœ-

lis est? Quare? Quia approbata conversatio, & irreprehensibilis vita, prædicatio efficacissima esse censenda est. *S. Laur. Just.* Quinimò, bonum exemplum est veluti perpetuum quodquam prædicandi genus. *Trid. Sess. 25. de ref. c. 1.* Huic profectò prædicationi vix resistere possunt ipsi effrænati populi.

E contrà, si exemplo non firmaveris quod sermone prædicas, aërem verberabis, & fiet verum istud: *sicut tu Sacerdos nequam es, sic populus nequam erit.* Undè si dicis & non facis, te ne verba quidem facere convenit, sivè quia vix proficis, sivè quia te ridiculum præbes, & litteras mortis tuæ portas. Et verò, dùm in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondet: cur ergò hæc quæ dicis, ipse non facis? *S. Hier.* An decet avarum & latronem objurgare alium avarum & latronem? Sed heu! audi ipsum Deum te his verbis increpantem: *quarè tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, intereadùm ipse odis disciplinam? Ex ore tuo te judico, serve nequam.*

Hanc ut effugias divinam ultionem, da operam ut sis irreprehensibilis, lucerna lucens & ardens, bonus odor Christi in omni loco, forma gregis ex animo, & exemplum fidelium, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de te. Præterea, bonus pastor cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Si fueris pastor juxta cor Dei, eris quidem potens in

ſermone, ſed potentior in opere; nam ſi in Domino glorians, verè dicere poſſis: *In plateis, ſicut cinnamomum & balſamum aromatiſans, quaſi myrrha electa, dedi ſuavitatem odoris*, tunc, quàmvis parùm prædicaveris, erit populus ſanctus, quia tu Sacerdos ſanctus es.

Attamen, modis omnibus efficias ut vita tua abſcondita ſit cum Chriſto in Deo, & ut coram illo ſanctior ſis quàm coram hominibus. Quapropter, ſit opus tuum in publico quatenùs intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeas exemplum, & tamen, per intentionem, quâ Deo ſoli placere quæris, ſemper optes ſecretum. *S. Greg.*

ARTICULUS XI.


Canonum obſervatio.

SCiant univerſi, ſacratiſſimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indiſtinctè obſervandos. Quòd ſi urgens juſtaque cauſa, & major quandòque utilitas poſtulaverit cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id, causâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, atque gratis à quibuſcumque ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliter facta diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur. Trid. Seſſ. 25. de ref. c. 18. Hæc ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ad aliorum ædificationem.

Quot tamen ſunt Clerici qui Canones non modò numquàm legerunt, ſed etiam,

qui neque si existant Canones, audierunt. Quot sunt qui, ut Filii Belial, id est, absquè jugo, non erubescunt dicere in corde suo, & interdùm palàm omnibus : *projiciamus à nobis jugum ipsorum ; sequamur viam spatiosam?* O frontosa temeritas! Ecquid? Ipse Dominus Jesus non venit solvere legem, sed adimplere; numquid erit suprà Magistrum servus? Num erit impunitus Canonum & Statutorum transgressor? Minimè: Quarè? Quia Canones & Statuta sunt vitæ nostræ regula, & quia ex illorum transgressione, & præsertim ex illo contemptu, nascuntur tandem abominationes, scandala, vitia horrenda nimis in Ecclesiâ Dei. Hæc vitiorum monstra vident ipsi Laïci, & dolent; Clerici verò, nec ea dolent, nec advertunt. O periculosa caligo!

Divinorum Canonum prævaricator, time hanc desolationem, hancque abominationem quæ à minimis incipit. *S. Bern.* Sic censebis in horâ mortis? Tunc, heu! præ angustiâ gemes & ululabis. Erit-ne tunc lugendi tempus? Ingemisce nunc, & lege hos Canones qui ad te spectant, eosque accuratè observa, simùl & Statuta Diœceseos, quia obligant in conscientiâ. Fuisti aliquandò tenebræ, nunc sis lux in Domino. Utinam id protinùs fiat!



ARTICULUS XII.

Ritus, Cæremoniæ, & Rubricæ.

Audite, Sacerdotes, verbum Dei.

CUstodi præcepta & cæremonias, atque judicia quæ ego mando tibi hodiè ut facias. Deuter. 7. *Quòd si nolueris audire vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias mandata ejus, & cæremonias quas ego præcipio tibi hodiè, venient super te omnes maledictiones, & apprehendent te.* Ibid. 28. Hæ maledictiones venerunt super Nadab & Abiu, filios Aaron, eosque apprehenderunt; nam, arreptis thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat; egressusque ignis à Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino. *Lev. 10.* Hæc in figuris contigerunt illis. Quid fiet de Sacerdotibus novæ legis?

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Dei Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris, pro libito omitti, aut in novos & alios, per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. Trid. Sess. 7. can. 13.

Qui legit intelligat & paveat; præsertim, si ex rituum transgressione, oriatur contemptus, scandalum, &c.

Videte, Fratres modicæ fidei, videte quâ reverentiâ & magnificentiâ serviatur

Regibus terræ. *Si pater ego ſum, dicit Dominus exercituum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum.* Malach. 1.

Quòuſque tandem anſam dabimus gentibus dicendi: *ubi eſt Deus eorum?* Inhonoramus ſiquidem Deum ipſiſmet noſtris obſequiis. Maledictus tamen qui facit opus Dei negligenter: Deus non irridetur.

Præterea, fides eſt argumentum non apparentium. Si ergò nos Sacerdotes non demus operam ut inviſibilia Dei, per rituum, cæremoniarum, & rubricarum obſervationem intellecta conſpiciantur, quomodò fideles docebuntur res divinas? quomodò ad earum amorem, & ad eas dignè tractandas excitabuntur fervidi?

Eïa ergò, ſtudeamus rubricis & cæremoniis, eaſque adeò fideliter cuſtodiamus, ut ïota unum, aut unus apex non prætereat à lege. Luceant ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione Dei noſtri. Sancta ſanctè. Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant, in gloriam Dei, & in ædificationem Corporis Chriſti, ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.

Verùm, ſatagamus ut dùm ritibus & rubricis fideliter inhæremus, adoremus Patrem in ſpiritu & veritate, ne ſimus ſimiles ſepulchris dealbatis.



ARTICULUS XIII.

Vestis clericalis. Tonsura, & coma congruentes.

ETsi habitus non faciat monachum, oportet tamen Clericos veste proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitûs extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. *Trid. Sess. 14. de ref. c. 6.*

Vide in eodem capite, pœnas transgressoribus imminentes.

Totus Clericalis vestitus, ostentationem, luxum, & quidquid novum, inane, exquisitum, sumptuosum est, nesciat. *Conc. Nuceri.* Non pannosi, sordidi, aut laceri vestibus incedant. *Hier. conv. medol.* In omni vestitu color niger adhibeatur. *Conc. Mediol. & alia passim.* Habitu talari, tùm domi, tùm foris utantur. *Concil. Mediol.* Undique clausa desuper deferant vestimenta, tam retrò, quàm à lateribus, & ante. *Conc. Later. IV.* Comam & tonsuram, patentibus auribus, habeant congruentem. *Conc. passim.* Crines calamistratos & tetortos non habeant. *Conc. Bitur.* Comam ne studiosè nutriant; capillis simplicem cultum adhibeant. *Conc. Mediol.*

Ecce tibi quomodò Concilia & Statuta, decentiam, & simplicitatem Evangelicam commendant & præcipiunt. Quid est ergò cur eorum documenta & jussa parvipendis? Forsan, quia contraria consuetu-

do jam multùm viget? Misera & pestifera defensio! Commentitium vanitatis tuæ firmamentum! An idcircò consuetudini adhærendum est? Minimè. Quarè? Quia Christus se veritatem dixit, non verò consuetudinem. *Tert.* Si ergò salutem tuam in tuto collocare velis, certam veritatem omninò inquirere debes, & non respicere quid multi hoc tempore dicant aut faciant. *Bellar.* Quarè? Quia consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. *S. Cypr.* & spatiosa via ad perditionem ducens.

Intelligite etiam hæc, vos omnes qui erubescentes evangelium, non timetis conformari huic sæculo cui in Baptismate & in sacrâ Unctione renuntiastis. Nonne satiùs esset in sæculo manere, quàm in ipso sanctuario, & sub paupere ac nudo Christo, fatuum vanarum mulierum luxum ostentare, histrionum personam gerere, & vanitatem publicam ac ostentationem confirmare ac fovere? Nonne publicum subeuntes, compositi & circumornati ut similitudo templi, vos ipsi rudi populo ridiculos præbetis?

Verùm, ô insensati, quis vos fascinavit adhærere vanitati, veritati autem non obedire non induendo modestiam Electorum Dei, & Pastorum juxta cor ejus? Nonne expoliastis vos tunicâ vestrâ? Quomodò adhùc Induimini eâ? Verùm, audite oraculum Dei: *& erit in die hostiæ, visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrinâ.* Soph. 8. Super quem visitabit? Super actualem lectorem, si lectis & auditis

his Ecclesiasticis Sanctionibus, fatuas vestium pompas adhùc sectari temerarius velit. Numquid has pompas post mortem secum sumet? Heu! minimè; eas alienis, aut tineæ relinquet. Væ illi, si virtutum ornamenta ante tribunal Christi secum non portet! Quid sua sibi tunc proderit fatuitas? Hoc seriò secum cogitet.

ARTICULUS XIV.

Reverentia in Ecclesiis.

S*Anctuarium meum metuite, dicit Dominus. Pavete ad Sanctuarium meum.* Dignum & justum est; quippè terribilis est locus iste; non est hic alius nisi domus Dei, domus orationis, & porta cœli. Locus iste sanctus est, in quo orat Sacerdos pro delictis & peccatis populi. Nonne ergò decet hanc Dei domum sanctitudo in longitudinem dierum? Quis ambigat? Verùm, quis Deo, in Ecclesiis reverentiam præcipienti, non obediat?


Hæc & alia sæpè legunt & proclamant ipsimet Sacerdotes; nonne & tu, charissime Frater, eadem legis & proclamas? Nonne Laïcos in Ecclesiâ garrientes molestè interdùm fers & acriter objurgas? Profectò. Quâ ergò temeritate domum Dei ipse facis domum negotiationis, & speluncam latronum, ac scandalizas in Dei tui sanctuario eosdem Laïcos? Quodnam, supra illos, ibi garriendi privilegium habes? Nullum. Si ergò garrire velis, numquid

non habes domos ad confabulandum? Quid eſt cur ipſe, Dei dilectus, Eccleſiam ejuſdem Dei contemnis? Parùmne eſt quòd alibi pecces in Dominum Deum tuum, & delinquere facias populum ejus?

Verùm, quâ fronte ſic interdùm pſallis: *Introïbo, Domine, in domum tuam; adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo?* Nonne reprehendit te cor tuum? Deus, cui irridere videris, patienter nunc agit; ſed veniet tandem dies ultionis; ipſius ſanctuarii lapides clamabunt adversùs te. Ecquandò ergò aberit à loco ſancto illa deſolationis abominatio?

Sed, undè fit ut ſanctuarium Dei jam non ampliùs dijudices, & ut tandem vileſcat tibi terribilis ille locus? Undè? nonne hinc quia in illud non intras niſi ex arido uſu, aut niſi propter temporale lucrum? Ita ſanè. Id experientiâ conſtat.

Tuam ergò excita fidem. Si mediteris hæc omnia, chariſſime Frater, nonne tunc ages pœnitentiam, & fies in animo contrito, reconciliatio pro te & pro aliis quos in templo Dei ſcandaliſaſti? Nonne in poſterùm pavebis ad ſanctuarium Dei, ubi tremunt Angelicæ poteſtates? Annon modeſtia tua nota erit omnibus hominibus; maximè in Eccleſiâ, ut cæteri etiam paveant & glorificent Deum in hoc præſertim orationis loco? Imò, ad hæc omnia te viva ductura eſt fides.



ARTICULUS XV.


ARTICULUS XV.

Ecclesiarum nitor.

DIlige decorem domûs Dei. Quapropter, sollicitus sis si niteat altare; si parietes & pavimenta purgentur; si vasa luceant; si sacrarium, si linteamina sacra, fontes baptismales, & vestes sacerdotales sint munda & decora. *S. Hier.* Hæc enim sunt imagines fidei, & incitamenta pietatis. *Trid.*

Interdùm accidit ut privata domus Parochorum & aliorum Clericorum, eorumque vestes reluceant, intereadùm Domus Dei, purificatoria, & alia linteamina sacra, ac vestes quæ sacrificio divino inserviunt, sint pannosa, lacerata, & sordescant incuriâ eorumdem Parochorum & aliorum Presbyterorum. Proh pudor! Quid sapit illa negligentia? Quid redolet ille contemptus? Tu videris.

O charissime Frater! si fidem haberes, si Deum timeres, nihil certè negligeres. Igitur, resipisce, & da operam ut tota Ecclesia, vestes sacerdotales, & alia omnia ad cultum Dei tantillùm spectantia, perluceant: Quantùm poteris, tantùm aude. Quid hâc curâ diligentiâque dignius?



ARTICULUS XVI.

Eleëmosyna.

QUid sunt Ecclesiæ redditus? Quid? Vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum. *Concilia passim.* Quis hoc ignorat? Nemo. Hoc omnes proclamant Clerici. Nonne ergò sciunt se mortaliter peccare, saltem contra charitatem & contra Religionem, si partem fructuum honestæ sustentationi superfluam, in pauperes, vel in alios pios usus non impendant? Hoc quidem sciunt; attamen quot inter illos sunt qui illusionibus impleti, & qui aliis, sibique imponentes, se illius peccati mortalis, conscios numquàm credunt, quàmvis illis etiam specialiter dicatur: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

Has tu, charissime Frater, illusiones cave. Quapropter eleëmosynam in sinu pauperis conclude, & hæc orabit pro te. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, & illud libenter impertire. Cave ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresve tuos augere studeas, cùm & Apostolorum Canones prohibeant ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis dones; nec eas, eorum causâ, dissipes. Sed, si pauperes sint, eis ut pauperibus distribue. *Trid. Sess. 25. de ref. c. 1.* Absit etiam ne easdem res Ecclesiasticas, luxu, comessationibus, aleis, choreis & lusibus dissipes; hoc tibi omninò interdi-

citur. Undè, quot Clerici periclitantur ? Cave ne cum illis in falsam conscientiam, & in damnationis æternæ periculum prolabaris.

Memineris tuum esse, pauperum, aliarumque personarum paternam curam gerere. *Trid. Sess. 23. de ref. c. 1.* Væ tibi, si videns jacentes in januâ tuâ Lazaros, viscera misericordiæ ab eis inclemens clauseris ! Nonne hi egeni & pauperes, quos occidis. quia hos non pascis, stabunt in magnâ constantiâ adversùs te qui eos angustiavisti ? Nonne stabit pro eis Pater orphanorum & judex viduarum ? Nonne te confringent & conturbabunt hæc formidolosa verba qnæ incogitanter legis, nimirùm : *Quamdiù non fecistis uni de his minimis, nec mihi fecistis ; discedite in ignem æternum ; esurivi enim* ? &c. Quid cogitas ? Quid agis, si hanc capiti tuo imminentem sententiam avertere non satagas ?

Hanc ut evadas ultionem, declara in confessione tuam bonorum Ecclesiæ dilapidationem, tuamque in pauperes crudelitatem. Sis deinceps verus pater pauperum. Aufer, aufer superflua, & nulli deerunt necessaria. *S. Bern.* Duritiam tuam præteritam, & alia peccata, eleëmosynis redime ; eleëmosynas tuas enarrabit Ecclesia Sanctorum ; & de te verè dicetur : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* O verba bona ! O verba consolatoria ! O nimis beatus qui intelligit super egenum & pauperem !

ARTICULUS XVII.

Animarum zelus.

QUid ſublimius eorum vocatione qui ad ſalutem vel unius animæ procurandam feliciter deſtinantur? Quid enim eſt anima? Quam Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit, & quam Chriſtus Dominus, ex ardentiſſimo amoris ſui zelo, in ſanguine ſuo emit, deſponſavit & abluit. Quid eſt gratia Dei, in quâ ſalus animæ, hâc in vitâ conſiſtit? Quid ſempiterna felicitas, in quâ, poſt hanc vitam, conſummata ſalus ſita eſt? Quid verò, ex aliâ parte, eſt offenſa Dei & peccatum? Quid pœna ſensûs? Quid pœna damni? Quis hæc omnia perfectè intelligat? Ergòne, ignem devorantem & ardores ſempiternos ab animâ avertere, eique perfectam & interminabilem Dei fruitionem procurare, exigui poteſt eſſe momenti? Veriùs dicamus: quid hoc opere nobilius? Quid Deo charius? Quid tantæ ſatisfactionis, tantiq; meriti? Si magnam illi mercedem percipiunt, qui operibus miſericordiæ corporalis ſe impendunt; quantò majorem, qui admonendo & docendo, in viam ſalutis æternæ alios perducunt? Quantò enim anima corpore præſtantior eſt, tantò majoris meriti eſt auxilium quod animæ impenditur. Undè rectè aſſerit D. Dionyſius: *Omnium divinorum eſt diviniſſimum, Deo cooperari in ſalute animarum.*

Undè, administratorii Spiritûs, Apostoli, & alii veri homines Dei, zelo zelati pro Domino Deo exercituum, & in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, non faciebant animam suam pretiosiorem quàm se, dummodò consummarent ministerium suum, renovarent faciem terræ, & pararent Domino plebem perfectam. Væ mihi, inquit Apostolus, si non evangelisavero: necessitas mihi incumbit! Undè incitabatur spiritus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem.

Tandem, quicumque spiritum Christi habuerunt, animas, in Christo, magnâ charitate dilexerunt; & pro eisdem, utpotè sanguine Christi redemptis, sanguinem suum ultrò fuderunt. *Quale mihi damnum*, dicebat ex ardenti animarum zelo, sancta Theresia, *quale mihi damnum, aut cur conqueri debeo, licèt usque ad diem judicii pœnas Purgatorii sustinere mihi oporteat, modò per illud consequar quòd anima una salvetur; quantò ergò magis si agatur de plurium animarum lucro, id vereri nequaquàm deberem?*

Verùm, quonam fato refrigescit in nobis charitas & zelus Patrum nostrorum, quos zelus domûs Dei comedebat? Messis quidem multa, operarii autem pauci; cadit asina, & est qui sublevet; cadit anima, & non est qui reputet. *S. Bern.* Perit justus, & non est qui recogitet in corde suo! Proh dolor!

Tu verò, charissime Frater, vide & in-

tellige quanti valeat anima pretioso Agni immaculati sanguine redempta. Nonne tunc zelans zelum Dei, erues eos qui ducuntur ad mortem? Num, eos qui trahuntur ad infernum, liberare cessabis? Quantâ alacritate quæres Fratres tuos, & oves quæ perierunt? Quo fervore docebis iniquos vias Dei, catechisabis infantes & rudes? Quâ simplicitate, quo candore parvulus fies in medio eorum, tanquàm nutrix fovens filios suos? Quantâ benignitate, patientiâ, & doctrinâ argues, obsecrabis, & increpabis ipsos lumini rebelles? Quàm suaviter & fortiter omnibus omnia factus?

Domine, qui amas animas, da mihi amorem tui, ut posteà ferventer dicam: *Da mihi animas; cætera tolle tibi.* Excita insuper torpescentes Sacerdotes ad te sincero cordis affectu amandum; si enim amaverint te, nonne animas à te ita dilectas & in amorosis tuis visceribus pretiosas, ardenter amabunt? Nonne hunc prævium habentes amorem, illarum conversioni, sanctificationi, & saluti totis viribus vacabunt? Omnia siquidem vincit amor; nescit molimina amor. Utinam ergò, tuo excitati amore & adusti, agonizemur omnes pro justitiâ tuâ, consumamur certatim pro gloriâ tuâ, pro nostrâ omniumque salute. Amen.



ARTICULUS XVIII.

Signa puri gloriæ divinæ zeli.

I. SI in minifterium verbi te ipfe non ingeras ; uno verbo, fi nihil nifi vocante Deo, & fuadente Directore tuo, fufcipias, aut agas. Quidquid enim ex propriâ fit electione, propriam voluntatem redolet. Quò ducit propria voluntas ? Ad illufionum abyffum ; & hinc, quò ? Ad infernum, tefte D. Bernardo.

II. Si pueris, rudibus, & pauperibus æquè libenter evangelizes, ac fenioribus, doctis, & eximiis viris. Item, fi horum omnium confeffiones audiendi, omnefque infirmos & agonizantes tuis adhortationibus & precibus adjuvandi æqualiter avidus fis. Reverà, eft-ne apud Deum perfonarum acceptio ? Nonne tanto emptus eft pretio pauper quanto dives ?

III. Si ob audientium paucitatem aut duritiem, animo non cadas ; præfertim, quandò ex tuâ parte egifti quidquid ad iftorum converfionem neceffarium exiftimafti. Numquid curationem à te exigit Deus, Minimè. Cur ergò curâ tuâ contentus non effes ?

IV. Si zelus tuus fit pacificus, quietus, manfuetudine ac compaffione plenus ; fi verò in auditores acriter infurgas ; fi eorum infirmitatibus compati & condolere nefcias, numquid Dei fpiritum habes ? Minimè. Quare ? Quia non in commotio-

ne Dominus. Quid illo erga peccatores mansuetius fuit? Quid benignius?

V. Si Deo placere quærens, & non hominibus; si Jesum-Christum crucifixum prædicare intendens, & non teipsum, te auditorum captui, omnibus omnia factus, accommodes, quidquid dixerint magistri auribus prurientes; quidquid exigant auditores, lenociniis delectari & demulceri cupientes.

VI. Si æquè libenter prædicaveris quandò tibi datur retributio & stipendium, quàm quandò non datur. Et verò, quidni tibi sufficiat Deus, pro cujus gloriâ laboras? Nonne satis honorificum tibi est eidem procurandæ gloriæ vacare?

VII. Si animæ tuæ saluti & perfectioni, priùsquàm alienæ, provideas. Undè, si propter instituendas, ediscendas & prædicandas conciones, te ipsum sensuum ac cupiditatum tuarum mortificationem negligas; si ob eamdem causam, exercitia spiritualia, scientiam, casuum conscientiæ, rubricarum, &c. fastidias; nonne claudicat, malè olet, & suspectus est zelus tuus? Debes quidem diligere proximum tuum sicut teipsum, sed non magis quàm teipsum. *Prior est regula quàm regulatum.* Præterea, quid prodest homini si, &c.

VIII. Si in ovium tibi commissarum curam ferventiùs quàm alienarum incumbas. Undè, si pro salvandis extraneis, populum tibi demandatum derelinquas & negligas, nonne deplorandus est zelus tuus? Memineris Parochiam esse villicationem

illam de quâ, & non de aliis, ſtrictiſſimam rationem reddes. Quid ergò ad te de his qui foris ſunt, in tuorum detrimentum, judicare ?

IX. Si aliorum concionibus non interſis ob curioſitatem, vel eos in ſermone capiendi, te ipſis præferendi, eoſque aſpernandi causâ; ſed in ſimplicitate & humilitate parvuli, te ædificandi gratiâ.

X. Si læteris quòd ſocii in miniſterium verbi jungantur tecum; præſertim, ſi ob aliorum eminentiorem eloquentiam & uberiorem fructum, invidiæ livore non tabeſcas; è contra, ſi exemplo Moyſis, Præcurſoris, & Apoſtoli Pauli, de his omnibus ſimiliter, & plus ſi opus ſit, gaudeas, quaſi de datis tibi talentis, & de fructibus quos iiſdem talentis ipſe affers. Item, ſi fortiter & ſincerè aſſeveres te nihil aliud cupere, niſi ut omnes prophetent, & ut inde, qualicumque modo, cognoſcatur, ametur, & honorificetur Deus; & ſi ob eam cauſam, teſtificeris coram Deo & hominibus, te eſſe ſemper paratum ad media confratribus tuis exhibenda ut gloriam Dei promoveant; ita ut hæc media petentibus, hilari & aperto corde ſuppedites, quàmvis id non niſi cum gloriæ tuæ detrimento fieri certò ſcias. Durus eſt hic ſermo; durior praxis; ſed quibus ? Illis, qui Evangelicæ abnegationis excellentiam & meritum ignorant, ejuſque uſum non habent.. O inſanum gloriæ propriæ deſiderium ! Quot Clericos & concionatores illudis, faſcinas & perdis ?

XI. Si confratrum tuorum consilia, conciones, aliaque opera, utpotè rationi & recto proborum Deique judicio consentanea, & ut talia ab illis approbata, permagni tu etiam, ut propria facias, plurimùmque, si se dederit occasio, exaltes; tua verò opera defectibus referta existimans, parvi facias, aut saltem ea silentio prætereas, eaque abscondita esse desideres, ne scandalum pariant; & ut te servum inutilem, ore, corde, & animo omnes reputent, ac in minimis habeant. E contrà, si confratrum consilia, opera, &c. quàmvis à majori & saniori parte laudata, lividis & torvis oculis respiciens, improbes, eaque clam & palam asperneris: tua autem dumtaxàt, quàmvis forsan deformia, ad sydera usque exaltes; nonne petulans Pharisæi tibi dominatur arrogantia? Annon serpentina Cain & non moritura, constrictum te tenet invidia?

XII. Si propter infirmitatem, obedientiam, aut ob alia impedimenta, ab honorifico ministerio lætanter desistas, ut super doloris lecto patiaris multa, vel ut infima ministeria obeas, quàmvis hinc oblivioni dandus sis tanquàm mortuus à corde; quinimò, quàmvis si ita loqui liceat, faciendus posteà sis opprobrium hominum & abjectio plebis, feliciter ratus tuam perfectionem, omnesque cordis tui delicias, consistere in adimplendâ, juxta beneplacitum Christi, voluntate Dei, quoquo modo id fieri debeat.

XIII. Si vel vanitatis vel confusionis sti-

mulo, eò quod benè aut malè successeris non pungaris; nec benedictione movearis, nec maledictione. Quod si propter plausus tibi blandiaris & ad prædicationem anheles avidiùs; aut si propter aliquam quam passus es humiliationem, prædicationem fastidias, & ab eâ desistere cures; verè te ipsum, non Deum quæris.

XIV. Si in omnibus consiliis, propositis, & actibus tuis, beneplacitum Dei magis intendas quàm felicem exitum. Enim verò; si illud Dei beneplacitum quæsieris, quid tuâ interest, ut consilia tua infeliciter ceciderint? Nonne Deus tuâ contentus voluntate, hoc infausto exitu glorificari vult? Nonne tutius est tibi bonæ voluntatis homini, de fausto decidere exitu?

XV. Si ea quæ ex obedientiâ facienda sunt, æquè hilariter exequaris, ac ea quæ ex electione fiunt.

XVI. Si munia & exercitia tua non minùs diligenter & sanctè coram Deo solo adimpleas, quàm coram hominibus.

XVII. Si, quàmvis bonum exemplum præbere debeas, secretum tamen optans, modis omnibus efficias ut soli Deo innotescant opera tua, & molestè feras quòd populo nota fiant.

Vide nunc, charissime Frater, utrùm Deo placere hùcusque satageris an tibi & hominibus; utrùm thesauros tibi in cœlis thesaurizaveris, an paleas tibi coacervaveris ad comburendum igni in inferno, aut saltem in purgatorio. Nonne super ipsis bonis operibus tuis pœnitentiam agere forsan te-

neris? Si res ita sit, hanc protinùs pœnitentiam age, & semitas tuas rectiores inposterùm facito. Quid quæris præter Deum tuum, & animæ tuæ perfectionem & salutem?

ARTICULUS XIX.

Prædicatio verbi divini.

Quàm speciosi pedes evangelisantium pacem, evangelisantium bona? Quis non properet prædicare verbum omni creaturæ, ut ad Deum, ipso Domino cooperante, impios convertat, ad justitiam multos erudiat, & ut ipse, post confirmatos fratres, sicut stellæ, in perpetuas æternitates fulgeat? O utinam in omnem terram exiret Christi Ministrorum sonus, & in fines orbis terræ verba eorum! Quomodò enim audient populi sine prædicante? Verùm, post enucleata & inculcata, ubi de animarum zelo, ad hanc verbi divini prædicationem incitamenta, quid nunc superest, nisi ut piè & fructuosè prædicandi exhibeamus praxim?

PARAGRAPHUS I.

Regulæ ante concionem observandæ.

I. Cùm ad prædicationem Evangelii exigatur industria personarum pollentium ætate, gravitate morum, vitæ sanctitate, & sermone, juxta Conc. Ravennat. & cùm

periculoſum ſit neophytis & nondùm in ſanctâ Religione formatis, in publicum exire, & perfectorum officia uſurpare, ut loquitur Petrus Bleſenſis; cave, chariſſime Frater, ne ad prædicationis miniſterium admittaris, ſi trigeſimum non attingas annum. *Conc. Raven.* Illud inſinuat Apoſtolus, qui Timotheum inſtruens qualem in miniſterium verbi Dei eligere deberet, dicit: *non neophitum, ne elatus, in ſuperbiam incidat, & in laqueum Diaboli.* Idipſum confirmat exemplo ſuo Redemptor noſter, *qui cùm in cœlis ſit conditor, & oſtenſione ſuæ potentiæ ſemper doctor Angelorum, ante trigeſimum ætatis ſuæ annum in terrâ magiſter noluit fieri hominum, ut videlicet, præcipitatis vim ſaluberrimi timoris infunderet, cùm ipſe etiam, qui labi non poſſet, perfectæ vitæ gratiam non niſi perfectâ ætate prædicaret.* S. Greg. Papa.

Quid ad hæc reſpondes, præſumptuoſe, & præmature nimis concionator; qui multò veriùs quàm Jeremias dicere teneris: *a, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum?* Tu præſertim, qui è peſtilentiæ cathedrâ, ad ſeniorum cathedram, ſtimulante ſuperbiâ, effrænatè protinùs convolas? Nonne hoc exemplo devoratur ſapientia tua? Nonne hunc intempeſtivum & voracem prædicandi zelum ægrè ferre & dolere coguntur ſaltem interiores viri? Sed heu! Cùm te teneat ſuperbia, judicio tuo pertinaciter adhæres. Proh cæcitas? Nonne hæc te parvulum ad petram allidet præſumptio? *Vide dicta, ubi de Seminario.* pag. 5.

II. Quàmvis jam competentem habeas ætatem, cave ne in ministerium verbi te ipse ingeras. Quapropter, audi attentè divina oracula. *Pauperibus evangelisare misit me.* Luc 4. *Ego vos elegi ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Joan. 15. *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. Innumera alia hùc spectantia omittimus testimonia.

Quâ ergò fronte prædices, nisi missus fueris? Quâ temeritate, legem pro Apostolis & pro ipso Dei Filio conditam, transgrediaris? Numquid ad animarum salutem illo aptior es? Si non acceperis Apostolatum & gratiam à Jesu Christo, qui hos ad se vocat quos vult; è contrà, si stimulante desiderio teipsum mundo manifestandi, lucrandi, & loculos habendi, prædices Evangelium, an speras te multum allaturum esse fructum? Erras, præsumptuose, erras. Reverà, clama, ne cesses ad ravim usque vociferare, eris velut æs sonans aut cymbalum tinniens; planta & riga quoad volueris, Deus qui te non vocavit, non dabit incrementum; prædicationes & fatigationes tuæ cadent in sterilitatem & confusionem animæ tuæ, & in populorum detrimentum. Ne credideris id à nobis gratis asseri; ipse Dominus sic loquitur: *Prophetæ fuerunt in ventum locuti.* Jer. 5. Quarè? Quia *cùm ego non misissem eos, nec mandassem eis, nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.* Ibid. 23. Insuper, *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Ps. 126.

Unde, si non accepisti à Jesu-Christo Apostolatum, in vanum & tu laborabis. Quarè? Quia non accipies ab illo gratiam ad conversionem & salutem plebis adeò necessariam. Hæc omnia luce clariora sunt; quibus si non adhæseris, certè amore tui omninò excæcaris.

O! si humilitatem haberes, quantò veriùs & fortiùs sic te cum Moyse excusares? *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Obsecro, Domine, mitte quem missurus es; non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Exod. 3. & 4.

Igitur, intra te placidus sede & quiesce, donec Dominus eligat te, & ponat super te spiritum suum, ac te vel suis inspirationibus, vel per sui vicarios in vineam suam vocet; & interim, ad pietatem & ad humilitatem te alacriter exerce, ut deindè te efficaciùs salvum facias, & eos qui te audient. Quare? Quia tunc Deus ipse dabit verba sua in ore tuo, voci tuæ vocem dabit virtutis; dabit & sapientiam cui non poterunt resistere omnes adversarii tui; non timebis à facie eorum, quia tecum erit ut eruat te. Tandem, in nomine ejus facies mirabilia magna, & in templo ejus omnes dicent gloriam. Quid ampliùs exoptes?

III. Quis dubitet an ignorantia cunctorum errorum sit mater? Nonne ergò, maximè in Sacerdotibus vitanda est qui do-

cendi officium in populo susceperunt? *Conc. Tolet.* 4. Undè, *quamtùmvis irreprehensibilis sit Sacerdos, desinat locum docendi suscipere, si docere nesciat?* S. Isid. Quarè? Quia si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

Vis, charissime Frater, verbi ministerium dignè Deo adimplere? Attende priùs lectioni & studio; custodiant scientiam labia tua, ut potens sis exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt arguere; si verò scientiam repellas, certè periclitaris, & auditores tecum in exitium trahis. Hoc advertat Deus. Quidni & tu hæc exitia avertere satagas?

IV. Antequàm verbum prædices, teipsum ad pietatem exerce, ut teipsum præbeas exemplum bonorum operum. Cœpit Jesus facere, & docere; quidni & tu similiter facies, ut sic te existimet homo ut Ministrum Christi? Si dicis & non facis, quàmvis linguis hominum loquaris & Angelorum, quid eris? Æs sonans, & cymbalum tinniens. Prætereà, quâ libertate Laïcos corripere poteris, cùm ipsi respondeant taciti, eadem te admittere quæ corripis? *Trid. Sess.* 14. *de ref.*

Quâ ergò fronte enarras justitias Dei, cùm ipse oderis disciplinam? Ejice, hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam fratris tui. Sis quidem potens in sermone, sed in opere potentior; validior est enim vox operis quàm vox oris. *S. Ber.* Quinimò, bonum exemplum est veluti perpetuum quoddam

prædicandi genus. *Trid. Seff. 25. de ref. c. 1.* Hinc, quàm multos, verbo veritatis efficaciter & facilè gignes? Tandem, ficut qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; ita è contrà, qui docuerit & non fecerit, hic minimus vocabitur in regno cœlorum. Quid loquimur? Nonnè fervus nequam de ore fuo judicabitur fimul & condemnabitur? Hoc te in fpeculo infpicias, velimus, chariffime Frater.

V. Ad prædicationis officium exigitur guftatio fpiritûs per contemplationem; alioquin, quâ fronte ad æternorum defideria cæteros accendere præfumpferis, fi frigidus in te totus & algidus remanferis? *Joan. Gerfon.* Quapropter, infta orationi, ut audias ex ore Dei verbum, & ex eo annunties populis. *Ezech. 3.* Non eftis vos qui loquimini, fed Spiritus Patris veftri qui loquitur in vobis, dicit Magifter bonus; neque qui plantat, neque qui rigat, eft aliquid; fed qui incrementum dat Deus. Abundantiùs omnibus laboravi, inquit Apoftolus; non ego, fed gratia Dei mecum. Quapropter ora, fine intermiffione ora; fis homo internus; & quàmvis non fis fufficiens aliquid cogitare ex te; licet puer fis, infirmus mundi, & fervus inutilis; fperans tamen in Domino, mutabis fortitudinem, in Deo facies virtutem; jam Domino cooperante & fermones tuos confirmante, confringes cedros libani. Gufta & videbis quantò aptior fit ad verbi divini efficax minifterium fcientia fufficiens, vitæ interioris

indivisa comes, quàm eximia scientia, vitæ spiritualis expers; nonne id in rudibus visum est? Undè exclamare licet: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, &c.* Matth. 13.

VI. Habeas puram intentionem, ita ut nullum verbum nisi ad gloriam Dei, & salutem animarum referas. Oportet itaque ut præviâ oratione offeras Domino Jesu, ejusque spiritui, omnia dicenda; omnia illi subjicere, ut dirigat, amet, applicet juxta beneplacitum voluntatis suæ. Et quàmvis æquum sit ut Evangelium prædicans, de Evangelio vivas, istorum interdùm memineris: *Quàmdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Beatius est magis dare quàm accipere. Gratis accepistis, gratis date: ecce merces vestra copiosa est in cœlis. Gaudete ergò & exultate*, &c. Quid ad persuadendum efficacius quàm istud: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos?*

VII. Esto sit, turpis lucri gratiâ prædicationem non intendas; nonne tibi occurrit & alius periculosior scopulus? Adest & alius crudelior latro, superbia scilicet & jactantia. Heu! quantùm hinc periclitantur concionatores! Hei tibi, charissime Frater, si videri ab hominibus, eisque placere, & te ipsum glorificare cupias! Quid est tunc gloria tua? Nihil. Quam accipies mercedem? Nullam. Parùm est illud; audias quod scriptum est: *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Prov. 16. Quid mirum, si justo judicio dissipet ossa eo-

rum qui hominibus placent ; si spernat & confundat hos gloriæ suæ raptores ? Igitur, væ tibi, si superbiæ inflatus spiritu, & quanta scias auditoribus notificare volens, laudes eorum concupiscas ? Verùm, si sermones Dei locuturus sis, cur quasi de propriis tumes ? *S. Greg. Papa.* Nescis, insane, nescis te nihil habere quod non acceperis ? Si autem acceperis, quid gloriaris quasi non acceperis ? Nonne præstaret te in lecto ægrum & humilem jacere, quàm super cathedram superbum ascendere, & hinc fœdiori lapsu ad inferos detrahi ?

VIII. Cùm pro Christo legatione fungaris, propone tibi, in compositione concionis, loqui quæ decent sanam doctrinam, & docere secundùm beneplacitum ejus ; & in cordis tui simplicitate, non subtiliora, non curiosa, non incerta, *Trid. Sess.* 25 ; sed quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiareque fidelibus, cum brevitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. *Idem. Sess.* 5. *de ref. c.* 2. Talis erat Apostoli scopus, simul & prædicandi modus. *Misit me Christus evangelisare*, inquit, *non in sapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Christi.* 1. Cor. 1. Quapropter, *veni non in sublimitate sermonis & sapientiæ ;* undè *sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis.* 1. Cor. 2.

Ecce quomodò Apoſtolus hic, qui Spiritum Dei habebat, prædicavit in omni Evangelicâ ſimplicitate Jeſum-Chriſtum, & hunc crucifixum. Numquid es tu doctior, peritior, aut ſapientior illo ? Eamdem & tu ſequere formam. Quapropter, rationes morales & argumenta interdùm adhibe, quæ vel ex proprii ingenii meditatione, vel ex ſanctorum Doctorum lectione peti poſſunt; necnon exempla & hiſtorias quaſdam ſelectas, & ad movendum vel ad perſuadendum debitè applicatas; eas præſertim quæ in ſacris Scripturis, & in Actis Sanctorum leguntur. Non te pigeat etiam quaſdam interſerere ſimilitudines ex naturalibus rebus depromptas, in quibus mirificus eſt D. Chryſoſtomus, & ad imitandum copioſiſſimus & aptiſſimus, ut in ejus homiliis & orationibus videri poteſt.

Ecquid ? Ipſe Dominus Jeſus, inſpirator Prophetarum & Evangeliſtarum doctor, ſine parabolis non loquebatur; an te pudebit ſervum, iiſdem uti exemplis, eaſdemque adhibere comparationes ? Numquid perſuadendi rationes meliùs calles quàm ille in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei ? Veriùs dicamus: nonne hâc divinâ ſapientiâ devoratur carnalis tui ſapientia, qui elaboratæ declamationis pompâ, & ſermonis immenſitate, populos rudes potiùs opprimis quàm inſtruis ? *Conc. Aquiſgr.* Nonne hoc eſt teipſum prædicare, adulterare verbum Dei, evacuare Chriſti crucem, & ſtrictiſſimo judicio ac ſeveriſſimæ ultionis te exponere periculo ?

Verùm, ſubjiciet ille proprius quo excæcaris amor : nonne concionator etiam delectet auditores oportet ? Si delectationem intelligas eam quæ procedit ex cognitione veritatis, & amore virtutis, concedimus ; ſi verò aliam, quæ ex mundanâ quâdam & ſæculari eloquentiâ, ſermonumque artificiosâ concinnatione, quæ ad demulcendas aures, ad veritatum Evangelii vim enervandam, & Sanctionum Eccleſiaſticarum perſpicuitatem obumbrandam, ſolummodò apta eſt ; abſit hæc vaniloquentia omnis à concionatore chriſtiano, qui Chriſtum crucifixum prædicaturus eſt ; quique *ſectari debet, non lenocinia verborum, ſed virtutes piſcatorum.* 1. Tim. 4. Procul à ſacris exedris ejuſmodi *Magiſtri auribus prurientes.* Sanè, finitâ oratione, non expedit audire : *ô quàm diſertus Orator ! quàm doctus ! quàm copioſus !* Audiatur potiùs : *ô quàm præclara virtus ? quàm neceſſaria pænitentia ! quàm magnus & tremendus Deus ! quàm bonus & amabilis !* Cave tibi, chariſſime Frater, ſi non audiantur illa ! Quarè ? Quia aures demulſiſti, cor autem non moviſti. Auditorum lacrymæ, tui laudes eſſe debent. *S. Hier.* Reverà dic, amabimus, quiſnam eſt finis artis oratoriæ ? Nonne, juxta omnes, eſt perſuadere dicendo ? Ita ſanè.

Sed quomodò perſuadebis, ſi auribus prurientia dicens, cor non moveas ; imò, non intelligaris ? Et quomodò à populis intelligendus es, ſi pompoſa & parerga, illuſorio eos ad concionem alliciendi prætex-

tu, buccis crepitantibus loquaris? Nonne perſpicuitas eſt prima oratoris dos? Annon ergò meliùs eſt ut nos reprehendant grammatici, quàm ut non intelligant populi, inquit D. Auguſtinus? Quid ad hæc reſpondet tuus ille quo illuderis amor?

Attamen, juxta varietatem materiæ vel perſonæ, ſtylum ſermonis variare debes; ait enim Apoſtolus: *Sapientiam loquimur inter perfectos; inter vos autem, nihil judicavi me ſcire, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum.* Et iterùm: *non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus; tanquàm parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Sapientibus quoque & perfectis ait veritas increata: *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei.* E contrà, infirmis & rudibus ait: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Hinc ipſa prudenter injungit: *Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas mittatis ante porcos;* ſed mundis animalibus eſtote ſimiles, quæ ruminant pariter, & ungulam findunt. Sic debes & tu, ejuſdem Domini concionator, habere vinum & oleum, virgam & manna, ignem & aquam; ſingula ſuo loco congruè proferenda. *Innoc. Papa. 3.* id eſt, ſapias oportet cum ſapientibus, balbutias cum balbutientibus, rudis ſis cum rudibus, &c. An tibi vile nimis & abjectum videri poteſt quod ipſe Dominus Jeſus docuit & egit! Stupenda ſuperbia tua! Hinc tandem diſce, omnibus, ſivè doctis, ſivè rudibus, prædicare, gravi quidem & ignito zelo, juxta uniuſcujuſque captum & ſtatum præ-

sentem ; sed perspicuâ etiam & simplici methodo. Ecce tibi conformius Spiritui Christi ejusque Evangelio prædicandi genus, proindèque aptissimus persuadendi modus.

Optimus præparandæ concionis modus esset, præmisso aliquo studio, ea quæ aliis dicenda sunt, coram Deo attentè perpendere, & devotè meditari. Quod quidem, si coram Sanctissimo Sacramento, aut coram sacrâ Jesu-Christi è cruce pendentis imagine, fiat, vix dici potest quanta, quàmque mirabilis virtus & efficacia indè hauriatur. D. Thomæ & D. Bonaventuræ id expertis, crede.

IX. Post elaboratam & memoriæ mandatam concionem, te conjicias, velimus, in suavissimum Jesu-Christi cor ; hauri ex hoc saluberrimo fonte sacram illius unctionem animas convertentem, & piam aliquam orationem funde : *v. g. Munda cor meum & labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ*, &c. *Veni, Sancte Spiritus, reple*, &c. *Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix*, &c.

Cæterùm, consultissimum esset tibi nunquàm ad populum edocendum exedram conscendere, nisi post sanctissimum Missæ sacrificium celebratum, aut cum intentione celebrandi : dici enim vix potest, quantùm dæmones perhorrescant os illud quod sanctissimum Christi Corpus suscepit. Tunc siquidem cum Apostolo dicere potest : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ?* 2. Cor. 3.

X. Exedram ascensurus, da operam ut modestia in vestibus, in totius corporis compositione, & in cæteris aliis reluceat, & ut hinc emicet interior tui morum honestas. Nihil ergò in te reperire sit quod fastum, pompam sæcularem, & novitatem spiret; absint à te crines cirrati, calamistrati, & odorifero pulvere respersi; abigantur rugosæ, denticulatæ, & tumidæ manicellæ, splendidi annuli, collaria pretiosiora & vana; eliminetur omnis affectatio & artificiosa declamatio, omnis inepta gesticulatio, adulatoria sermocinatio, ridicula histrionum forma, quidquid tandem mundanum & aulicum redolet; hæc enim omnia, utpotè à vero concionatore Christum pauperem & humilem prædicaturo prorsùs aliena, rident, dolent, & horrent auditores. Omnia quidem quæ præ te fers, libera sint, oportet, nobilia, generosa, fortia & gravia; sed naturalia etiam, simplicia, modesta, moderata, & religione plena, secundùm ea quæ à Deo accepisti talenta; nihil magis ad ædificationem confert quàm hæc in omnibus simplicitas & ingenuitas candida. Porrò, quàmvis à concionatorum vestitu & habitu eliminandæ sint vanitates, incuriæ, & sordes; aliqualis tamen in his neglectus non dedecet. Auditorum benevolentiam & docilitatem tibi cupientibus, crede. Ad omnimodam ergò simplicitatem ante prædicationem te exerceas, optamus & suademus.

XI. Tandem, post renovatam puram placendi Deo intentionem, protestare quòd hanc

hanc per cuncta prædicationis momenta ratam & præsentem habere velis, & quòd nullum verbum nisi ex præviâ illâ intentione proloqui desideres. Hujus bonæ voluntatis scuto, & Domini exercituum auxilio armatus, exedram ascende, bellum humani generis hosti illaturus.

PARAGRAPHUS II.

Regulæ in ipso Prædicationis exercitio observandæ.

I. Siste tibi Christum præsentem, eumq; in terris prædicantem reverearis; nam, sicut verum est: licèt Petrus baptiset, tamen Christus est qui propriè baptisat; sic ipse est non solùm qui prædicat, sed & qui in nobis prædicat, & interiùs afficit animam & prædicantis & audientis. Ex hoc intuitu loquentes Apostoli, magnâ virtute testimonium reddebant resurrectionis Jesu-Christi. Ex eodem intuitu loquere & tu. Quo zelo, quâ reverentiâ & efficaciâ loqueris?

II. Peccatores liberè & importunè argue & increpa, sed opportunè etiam obsecra; opus quidem est ut sis prudens sicut serpens; sed simplex etiam ut columba sis, oportet. Eructans suavitatis abundantiam, instrue in spiritu lenitatis & in omni patientiâ; quòd si interdùm tabescere te faciat zelus tuus, & necesse sit ut irascaris, cave ne pecces; imitare S. Franciscum Salesium, & alios magnos Sacerdotes, quos Deus in fide & lenitate ipsorum sanctos fecit. Scias

ergò adimplere charitatem Christi ; hinc disces auditorum infirmitatibus compati & condolere, ne & tu tenteris. Nonne erga te patienter egit miserator Dominus ? Ita sanè. Quid est ergò cum fratri tuo nimiùm irascaris, quasi velles ut ignis descendens de cœlo consumeret eum ? Cujus Spiritûs es ? Jesu-Christi ? Minimè. Quarè ? Quia Filius hominis non venit perdere, sed salvare. Nonne oportet te fratris tui misereri, sicut bonus Dominus tui misertus est, & à Domino Jesu discere quia mitis est & humilis corde ? Hanc deinceps disciplinam tene, cùm plus agat benevolentia quàm austeritas ; plus exhortatio quàm comminatio ; plus charitas quàm potestas. *Trid.* Quòd si vigore opus fuerit, hunc mansuetudine statim temperes oportet, ut veritate & misericordiâ, justitiâ & pace sibi obviantibus & mirificè osculantibus invicem, fulgura in pluviam facias. Quid ad peccatores Christo lucrifaciendos efficacius ?

III. Sermo tuus sit sale conditus : undè cave ne peccatum particulare & secretum fiat, tuâ imprudentiâ, publicum ; quinimò quàmvis unius auditoris peccatum sit publicum, raro accidit ut in illud insurgere prudenter possis ; nonne hinc confunditur, & vehementiùs interdùm inardescit irâ ipse peccator ? Scias quia eadem charitas, quæ benigna est & patiens, dissimulare etiam scit, simul & observare tempus & modum fructuosæ correctioni consentanea. Nonne tamen in his omnibus sæpè peccasti ? Habuisti-ne charitatem & spiritum Dei ? Te

ipſe ſcruteris, velimus, & coercere amoris proprii & imprudentiæ tuæ rapidos fluctus. Abſit etiam ut ſuſurris facilè credas, & ut ex eis audita imprudenter palàm referas. Nullum pariter tibi inter prædicandum irrepat verbum quod aut popularem adulationem, aut tui laudem, aut adversùs inimicos tuos vindictam, aut in ipſum peccatorem odium redoleat. Quid vilius? Quid deteſtabiliùs? Eliminentur à Cathedrâ Evangelicâ hæ omnes fœtidæ nimis puerilitates, imprudentiæ, &c. quæ te hoc divino miniſterio indignum omninò præberent.

IV. In fine concionis, da operam ut fervor & affectus tuus auditoribus tuis ardenter pateſcat, eoſque ſimul vehementiùs afficiat. Quapropter, præſtat brevem veluti recapitulationem proponere eorum quæ audientium animis firmiùs hærere debent; poſtque illam, paucis aliquot verbis & documentis ſpiritu & fervore animatis, totam concludere orationem, omneſque auditores in pace dimittere, eoſque inter amoroſa Chriſti brachia commendare.

PARAGRAPHUS III.

Regulæ poſt concionem obſervandæ.

I. Concionem tuam, Deo ejuſque gratiæ commenda; eumque enixè roga ut ei incrementum dare dignetur, ſimul & confirmare quod in te & in auditoribus operatus eſt.

II. Si vanitatis ſtimulo pungaris quòd rectè ſucceſſeris ; vel confuſionis, quia non rectè, ſtatim Domino Jeſu quidquid boni fuerit, refer ; quidquid verò incongrui, cum humiliatione animi tribue tibi. Et verò, an tuum eſt quidquid in concione pii rectique expreſſeris ? A quo deſcendit peccatorum converſio ? Nonne à Patre luminum, qui dat verbum evangeliſantibus virtute multâ ? Quâ ergò fronte, ſervus inutilis, gloriam dabis tibi, & non nomini Domini, cujus manus fecit hæc omnia ? Numquid gloriam ſuam alteri dabit ?

Inter has proprii amoris titillationes & illecebras, ſic ſuadente D. Xaverio, dicito tibi : *Quot concionatores apud inferos cruciantur, qui plus habuerunt vel copiæ, vel leporis in dicendo quàm ego, pluresque à ſceleratâ vitâ ad piam honeſtamque traduxerunt ? Sed heu ! quoniam elatione & arrogantiâ inſolentes, divina dona non Deo retulerunt accepta, ſed vindicarunt ſibi, in opprobrium & exitium ſempiternum præcipites ruerunt ? Quid eis nunc ſuperbia prodeſt ? Nonne idem & mihi, gloriam meam quærenti, imminet opprobrium, imminet & idem exitium ? Quid mihi tunc proderit jactantia ?* His & aliis reflexionibus, inſanæ gloriæ deſiderium coercere & exinanire contende. Quid aptius ? Verùm jugiter vigila & ora ut non intres in vanitatis tentationem ; vigila. Quapropter, laborem tuum Deo ejuſque gloriæ ſtatim poſt concionem offer ; ut venientibus latronibus dicere queas : *Jam Deo, cui ſoli debetur honor & gloria,*

datum est totum ; vade retrò , *Satanas , recedite , fures.*

Attamen , tuam jampridem fragilitatem expertus , cave ne de concione tuâ gloriosè aut sinistrè umquàm loquaris ; nec de eâ , præsertim coram te , verba fieri cupias ; has elimina occasiones. Ne sciscìteris utrùm auditoribus placuerit aut eos commoverit concio tua ; illud enim est fœdos mendicare plausus. Quinimò , scire nolis quid de illâ sentiant ; illud est etiam vanitatis indicium , aut proditorium ad eam incitamentum. Adulatorum plausibus , & dæmonum illecebris te ad vanam gloriam fraudulenter & multifariàm allicientium , proindèque te deprædari cupientium , aures obtura. Nimiam prætereà fatigationis affectationem diligenter vites , suademus. Quid redoleret puerilis illa affectatio ? Quò te duceret ? Facile est illud intelligere , nisi tibi imponere velis. Si solius Dei gloriam quæras , sufficit ut illi soli innotescant fatigationes tuæ.

Porrò , ad hanc indefessam vigilantiam adde has aut alias ferventes & assiduas preces : *Domine Jesu , qui es principium & finis , averte oculos meos ne videant vanitatem ; non nobis , Domine , non nobis qui nihil sumus , sed tibi , à quo descendit omne donum perfectum , & in quo omnis nostra sufficientia est , da gloriam : adhæreat lingua mea faucibus meis , si tui , soliusque gloriæ tuæ non meminero ,* &c. *Adjuva me , Deus salutaris meus ; si enim à me discesseris , te gloriâ tuâ defraudabo , quod absit.*

III. Quòd si ex auditorum conversione tibi blandiri non debeas ; nec etiam, propter eorum duritiem, à prædicationis officio desistere decet ; *Nam sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, meritò pœnam deceptionis incurrit ; ita fidelis justitiæ prædicator, etiamsi ab omnibus respuatur, absit ut apud Deum sui officii mercede non fruatur.* S. Aug. Nihil ergò de merito decidis, sed pax quam indignis apprecaris, ad te revertitur. *Fac quod tuum est ; nam Deus, quod suum est, curabit. Planta, riga, & tuas implevisti partes ; sanè incrementum, ubi voluerit, dabit Deus ; ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil. Medici est medicamenta adhibere ; non est in medico semper ut relevetur æger. En plaga tibi incumbit, curam exigens, non curationem.* S. Bern.

Igitur, quàmvis tibi videantur auditores durâ cervice, & incircumcisis cordibus Spiritui sancto resistere, absis ut dicas : *non loquar, non nominabo nomen Domini.* Jer. 9. Verè à Satanâ, qui nihil aliud quàm ut à prædicatione desistas, ardentiùs exoptat, te tentari finis. Si agricola protinùs ab agriculturâ resiliret quòd semel atque iterùm, aut sæpiùs acciderit aëris inæqualitas, brevi fame periremus omnes. Idem de cæteris artibus dicendum est. Verùm, si opifices & mercatores, licet semel atque iterùm aut sæpiùs frustrati fuerint optato negotiorum in quibus versantur exitu, ab opere non desistant, sed denuò pari cum alacritate, ad idem opus redeant ; si illi tantam adhibeant curam studiumque

circa res ad præsentis usum vitæ pertinentes, licèt exitus sit incertus; tu, si loquens non auditus fueris, illicò desines? Et quam obtinebis veniam? Quid excusationis afferes? *D. Chrysost.*

Prætereà, vix fieri potest ut sermo omni fructu vacet; nam illi ipsi qui ad peccatum redeunt, cum aliquo timore, & non cum tantâ libertate id faciunt Ulteriùs, si non prodest sermo malis, bonos tamen in bonis confirmat propositis. Denique, si secundâ vel tertiâ vice non persuades, forsitan quartâ aut quintâ id facies: *Si percussisses terram quinquies, aut sexties, aut septies*, dicebat Elisæus ad Regem Israël, *percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam.* 4. Reg. 13.

Fac tu similiter pro exterminando peccato & peccatore salvando. Non est abbreviata manus Domini; tuum non est nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate; tuum est clamare & non cessare. Licèt piscator per totum penè diem in vacuum laborarit, nihil per rete attrahens; quandòque sub noctem piscem quæsitum involvit. Venator pariter diù perseverat, & tandem prædam capit quæ sæpiùs effugerat. *D. Chrysost.* Argue & tu, piscator hominum & animarum venator, obsecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ; & sicut Apostolus Petrus se ad Jesum non convertit post primum aut secundum galli cantum, sed post tertium; sic & tu, Deo adjuvante, tandem fra-

trem tuum forsan lucraturus es. Hos imitare medicos qui convitia & ineptias phrenetici tolerant, nec de ægritudine desperant.


Interim, omnem charitatis benignitatem & compassionem erga peccatores affectu paterno demonstra, sic eos interdùm alloquens cum D. Chrysostomo : *Vellem, si fieri posset, vestris oculis ostendere quam in vos habeo charitatem. Nihil est mihi, vobis, jucundius & desiderabilius, ne hæc ipsa quidem lux. Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas convertere : implete desiderium meum, animas vestras salvare conando*, &c.

Vis autem, Frater, efficaciùs corrigere? lacrymare, ora Deum ex corde. S. Chrysost. Sic se gerebant veri Patres & Pastores ; ubi erant inutiles sermones, ibi suspiria edebant ; orationes fundebant & lacrymas ; diris se cruentabant flagellis, ut Deus peccatores benigno suo vultu illustrare & reducere dignaretur. O veros Dei homines ! O quàm magni faciebant vel unam convertere animam & salvare ! Ubi est nunc zelus eorum ? Væ nobis, idolis & simulachris. ! Hanc ingeniosam charitatem pro nostrâ salute non habemus ; quid mirum, si hanc pro alienâ non habeamus ? Nam qui sibi nequam, cui bonus erit ? O ignavos & indignos Evangelii præcones ! Misereatur nostri Deus, misereatur nostri, & nos flammam ignis facere dignetur.

IV. Quod verbis prædicasti, hoc factis confirmare contende, ut te primum salvum

facias, & eos qui te audierint. Quapropter, inhæreant animo hæc divina oracula: *Tandem ego, imò ego ipse concionator moriar; post ista quæ nunc obeo magisteria, manifestandus sum ante tribunal Christi, strictam villicationis meæ ei rationem redditurus. Ecquid proderit mihi si universum mundum lucrer, animæ verò meæ detrimentum patiar? Quam, stultus, quam pro animâ meâ commutationem dabo? Quàm multi concionatores eximii, præclarè quidem dicentes, sed non facientes, detracti sunt è Cathedrâ Evangelicâ in profundum tartari? Quid monstri similius, quàm quòd, cùm plurimi salvi fuerint, ipsi miserrimè perierint? Proh pudor! Proh dolor! Proh desperatio! Nonne tamen sicut patres mei, ita & ego fieri periclitor?*

Si his & aliis tantillùm movearis, charissime Frater, nonne, placens Deo, misereberis animæ tuæ? Quo fervore castigabis corpus tuum? Quâ animi alacritate laborabis, dùm tempus habes, sicut bonus miles Christi, & operaberis bonum usque ad mortem; ne fortè, cùm aliis prædicaveris, ipse reprobus efficiaris? Sic se gerebat, ex propriæ damnationis periculo, Apostolus Paulus, quàmvis vas electionis esset; nos verò qui aliter agimus, quid sumus? Quid erimus?



ARTICULUS XX.

Studiosa puerorum catechisandorum cura.

PRæter eximium illud concionandi munus, est & aliud, quod quidem licèt paulò demissius videatur, non ideò tamen negligendum est, catechisandi scilicèt officium, & prima fidei rudimenta parvulis assiduè tradendi; imò, tantò potiori studio & affectu ei incumbendum est, quantò uberiores, ut plurimùm fructus animarumque proventus colligi possunt; ex hâc enim catechisticâ puerorum instructione pendet omnis posterioris ætatis fructus, sicut messis à semine. Quis ergò, pietatis & divini timoris semen in his tenellis cordibus seminare, illudque frequenti & familiari exhortationis rore rigare non curabit, ut germinans germinet & fructum afferat, eumque suo tempore videat & lætanter gustet?

Vide, charissime Frater, vide quomodò Dominus Jesus, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi erant, parvulos ad se venientes blandè excipere & erudire solebat: *Sinite*, inquiebat, *parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.* Matth. 9. *Offerebant illi parvulos ut tangeret illos; Discipuli autem comminabantur offerentibus: quos cùm videret Jesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos; talium est enim regnum cœlorum.* Marc. 10. Ex eodem erga pueros zelo, di-

xit Simoni Petro : *Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : etiam, Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei : paſce agnos meos.* Joan. 21.

Igitur, ſi ipſa æterni Patris ſapientia in terram deſcendit ut, in carnis noſtræ humilitate, cœleſtis vitæ præcepta nobis traderet; quem non compellat charitas Chriſti ut parvulus fiat in medio fratrum ſuorum, & tanquàm nutrix fovens filios ſuos? *Catech. Conc. Trid.*

O piiſſime Jeſu, exclamabat doctus & pius Gerſon, quis ultrà poſt te verecundabitur eſſe humilis ad parvulos? Quis tumeſcens & elatus de ſuâ vel magnitudine vel ſcientiâ, parvitatem deinceps parvulorum, eorum ignorantiam vel imbecillitatem audebit aſpernari, quandò tu, qui es Deus benedictus in ſæcula, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, uſque ad caſtiſſimos parvulorum amplexus beata brachia manſuetus inclinas atque circumligas? Procul ergò, procul ex hinc omnis elatio, ſeorsùm ſit omnis indignabunda quælibet parvulorum effugatio.

Deindè, ſermonem ad parvulos convertens, eos ſic amorosè allicit: uſquequò parvuli diligitis inſantiam? Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Venite fidenter, nullæ viarum inſidiæ, nullus latet anguis in herbâ; communicabimus mutuò bona ſpiritualia, quia temporalia veſtra nulla requiro: ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis; imò, orabimus pro

invicem, ut salvemur; sic Angelos nostros vicissim lætificabimus; sic misericordiam inveniemus apud Patrem nostrum dùm obediemus voci suæ in accessu nostro ad eum, ego provocando, vos exequendo, qui spiritu parvuli esse debetis: invitat ipse Jesus spirituali collocutione, & affatu jugiter inspirans & dicens: sinite parvulos venire ad me.

Hinc, non obstantibus amplissimis honoribus, doctissimus ille vir parvulorum gregem ad se in Ecclesiam advocare & erudire, scriptisque & exemplo alios ad idem invitare solebat.

Quâ ergò fronte eosdem parvulos instruere dedignaberis, fastidiose Frater? Gemebundos eorum, aut saltem matris Ecclesiæ audi clamores: *Parvuli petunt panem, & non est qui frangat eis.* Thren. 4. Ecce clamant post te; uberibus te jampridem lacrymis sustinent; quòusque eos, gravi corde, jejunos dimittes? Nonne, præ duritiâ tuâ, deficient in viâ? Annon, absque ductore positi, in viâ lubricâ & tenebrosâ ex facili cadent? *Gerson.*

Verùm, dic, amabimus, quæ tua mens? Quæ tua excusatio? An dices te necessariis ad id munus carere dotibus? Misera & pestifera defensio? Numquid eximiâ eges scientiâ ut fidei rudimenta Deique mandata pueros interrogationibus doceas? Veriùs dicas te omni prorsùs carere zelo.

Occupatio mea, subjicies forsan, in majoribus esse debet. Quid sibi hoc vult, nisi; *Aquila non capit muscas?* Certè, nec te

Deus superbum. Et verò, nonne hinc patet, fœtet, & serpit profunda, insolens, & contumax illa quæ te tenet superbia, & quæ, ex Angelo, diabolum fecit? Nonne, præsumptuose nimis, nonne vidisti ipsum Dominum Jesum hanc Deo & hominibus odibilem tuam profligare & confundere superbiam? An illo sapientior es, aut ad sublimiora vocatus? Quid majus esse potest quàm parvulorum animas plantare, rigare, easque ad virtutem pro reliquo vitæ tempore dirigere? Nonne scriptum est: *Adolescens, juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ?* Prov. 26.

Sublime quidem est, his rationibus convictus, inquies, & zelo meo dignum, pueros catechisandi & instruendi munus; verùm, nonne ista publicis prædicationibus meis magnificentiùs & efficaciùs præstare possum? Nos verò respondemus, id quidem fortè pomposiùs; sed, nostro judicio, nec adeò efficaciter & fructuosè. Quarè? Quia hujusmodi prædicationes puerorum captum superant; instructiones verò catechisticæ interrogationibus & familiaribus exemplis ac parabolis intermixtæ, imbutæ, & conditæ, proindèque eorum captui magis accommodatæ, imbecilli eorum memoriæ & tenello animo faciliùs & altiùs inculcantur. Prætereà, catechisandi, sese frequentiùs, quàm concionandi offert occasio, sivè quia ad catechisandum non requiritur tanta præparatio prævia; sivè quia parvulos ubique invenis, & imbuendos habes; hos enim non solùm in Eccle-

siâ, sed domi etiam, in vicis, in agris, in sylvis, in tuguriis; imò, medias inter eorum tui manuum occupationes, medias inter deambulationes & animi relaxationes erudire facilè potes. Si ergò, propter prædicationes etiam pro ipsis erudiendis pueris elaborandas, hanc familiarem & sese ubique offerentem instructionem fastidias, aut certè negligenter, perfunctoriè, & obiter peragas; quinimò, si idem munus quasi vile & abjectum respuas, ut ad splendida & honorifica, pueris tamen ferè omninò inutilia officia, libentiùs incumbas, verè te ipsum, non Deum quæris, & variis cor tuum illusionibus imples. Nonne vides quantùm in exedris, inter audientium plausus, plerùmque periclitetur humilitas? Quot præclari concionatores, postquàm pomposè prophetaverunt, tamen tot laboribus propter vanam gloriam frustrà exhaustis, audierunt miseri, & ad æternam ignominiam suam experti sunt & sentiunt istam formidabilem Domini sententiam: *nescio vos*? Nonne & tu superbiâ tumens & ebrius, idipsum periclitaris?

Absit ut te à prædicatione avertere velimus. Verùm, si Dei gloriam purè quæras, certè has novellas puerorum plantationes, absque prædicationis præjudicio, assiduè & hilariter rigabis; id est, in medio parvulorum parvulus fies; tanquàm si nutrix foveat filios suos, his utpotè in Christo parvulis, lac potum dabis, non escam; nondùm enim hanc sustinere possent. Quòd illam escam, adultis jam validis, robustis,

& viris factis, proindèque hanc sustinere valentibus, prædicatione tuâ suppedites, hoc concedimus, & in hoc laudamus te; verùm, quòd his in Christo parvulis lac illud inclementer deneges, hoc respuimus, & in hoc non laudamus te. Isto quidem molesto & obscuro exercitio non splendescit coram hominibus gloria tua; Verùm, quid tuâ interest, modò ut splendescat coram Deo, cui securiùs places, & cui, Angelisq; ejus spectaculum sis? Idcircò, huic instructioni quam plerique nequidem attendunt, eò libentiùs vacare debes, quò magis id fieri scis absque humilitatis dispendio, & cum ingenti ac tutissimo merito. Sileat ergò & absterreatur proprius ille qui te hùcusque fascinavit amor; incipe ex nunc fieri parvulus, imò & stultus propter Christum, erudiens infantes, & illos à pueritiâ studiosè, sine tædio curans. *Eccl.* 7. Eisque, præsertim si Parochus sis, ad Ecclesiam convocatis, fidei initia, singulis Dominicis, & aliis festis diebus sollicitus trade. *Conc. Mediol.* Et cùm, per novæ legis sacramenta, omnis vera justitia vel incipiat, vel incepta augeatur, vel amissa recuperetur, (*Trid. Sess.* 7.) nihil zelo tuo tuâque curâ dignius quàm pueros fidei rudimentis jam imbutos docere, eisque explicare vim sacramentorum, simul & dispositiones ad ea ritè & fructuosè recipienda; præsertim quandò ad primam instruuntur & ordinantur communionem, cùm ex eâ interdùm pendeat totius vitæ pia ad salutem directio. Quapropter, inhæreat animo istud ejus-

dem Concilii decretum. *Seſſ.* 24.

Ut fidelis populus ad ſuſcipienda ſacramenta majori cum reverentiâ atque animi demiſſione accedat, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolùm cùm hæc per ſeipſos erunt Populo adminiſtranda, priùs illorum vim & uſum, pro ſuſcipientium captu, explicent; ſed etiam, idem à ſingulis Parochis piè prudenterque, etiam linguâ vernaculâ ſi opus ſit, & commodè fieri poſſit, ſervari ſtudeant, juxta formam à ſanctâ Synodo, in catecheſi, ſingulis Sacramentis præſcribendam; quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus Populo exponi curabunt.

Verùm, ut hæc omnia officia catechiſtica efficaciùs peragas, hoc præſertim tibi proponere debes, ut eo animo eadem exequaris quo Apoſtolici viri, imó, quo ipſemet Chriſtus Dominus ea præſtitit; undè hæc ſequere documenta.

1°. Oportet ut pueros perfectâ humilitate, invictâ patientiâ, blandâ charitate, amoroſâ affabilitate & manſuetudine, ac variis ingenioſiſque illecebris ad catechiſmum ſuaviter allicias.

2°. Opus êſt ut, licèt doctor, magiſter, & ſenex ſis, repueſcas cum pueris, balbutias cum illis, eoſque quaſi modo infantes genitos humeris portes. *S. Hier.* Hoc eſt: oportet ut verba & conceptus mentis ad eorum captum accommodes. Quod ut aſſequaris, longa requiritur exercitatio prævia, crebræ & ferventes ad Deum qui linguas infantium diſertas facit, fundendæ

sunt preces. Hujusce præviæ & seriæ exercitationis & ad Deum recursûs defectu, plures Clerici, imò & Parochi, aliundè doctissimi, nihil, aut ferè nihil in catechisandis pueris proficiunt, eosque & se ab hâc instructione tandem fastidiosi avertunt.

3°. Cave quorumdam catechisantium methodum & praxim, qui continuato, prolixo, & rapido sermone pueros edocent; illud non est infantes illuminare & erudire, sed excæcare & opprimere. *Conc. Aquisgr.*; proindèque tempus & laborum perdere meritum, & vanitati fomitem interdùm præbere. At contrà, experientiâ compertum est, familiares & breves interrogationes in catechisticâ institutione multò utiliores esse; ac proindè, pueros longè magis in eo disciplinæ genere proficere, si sæpè, non quidem coacervatim, sed sigillatim & per partes ac vicissim interrogentur. Hanc tu, si fidelis catechista esse cupias, regulam tene. Eos tamen quos acriori adverteris pollere ingenio, primùm interroga; exindè, eadem ab iis qui minùs ingenio valent exquire; nec in iis sæpè repetendis & inculcandis fatigeris; ac præsertim rudioribus & magis hebetibus animum patienter adde; ita ut ad ulteriorem articulum non transeas, nisi priorem perfectè calleant. Operæ etiam pretium est ut cuncti sciant, & responsiones, simul & interrogationes, ut peractâ catechisticâ instructione, se deinceps vicissim & alterutrum interrogare, & hinc ediscita altiùs retinere queant.

4°. Ubi autem, rerum omnium quas ſcitu eis neceſſarias exiſtimaveris, ſimul & interrogationes & reſponſiones rectè didicerint; opus eſt ut non tantùm verba, ſed etiam ſenſum illis aperias; quod ut efficaciter & facilè agas, neceſſe eſt ut breves aliquas comparationes, pias hiſtorias, & familiaria exempla interdùm adhibeas; quas repetere indecorum non erit, donec eos te intelligere, mutatis ad hoc verbis, ipſe noveris. Porrò, eis apprimè ſuade & commenda ut eadem documenta & exempla, tùm domi, tùm alibi, parentibus, domeſticis, fratribus, & ſociis narrent; & ſi id expediat, piis aliquibus munuſculis, v. g. imaginibus, roſariis, libellis, &c. ad hanc æmulationem & fervorem allice & excita.

5°. Ex inſtructione catechiſticâ aliquem particularem pietatis fructum colligere, & aliquam tenere praxim, aut ſaltem unam, tenellos eorum animos edoce, de quá reddendam tibi poſteà eſſe rationem curabis, ut maximè à vitiis ætati illi teneræ affinibus, à mendacio ſcilicèt, inobedientiâ, furto, verbis obſcœnis, &c. maturè abſterreantur, & ut ad quædam chriſtianæ religionis officia, præcipuè ad veſpertinam & matutinam orationem, & ad Miſſam piè audiendam tuis excitentur monitis.

His piis quas adhibebis induſtriis, Dominus Jeſus benedicet, eaſque fœcundabit. Cùm enim mollia ſint, & inſtar ceræ, infantium ingenia, ſigillum quod primò eis impreſſeris, facilè, & quidem pro reliquo

vitæ tempore, ipso Domino Jesu cooperante simulque confirmante, suscipient; & postquàm tu ipse his pueris doctrinam christianam clarè, & ad eorum captum accommodatè, patienter & benignè, cum gaudio, fervore, & perseverantiá tradideris, huncque cursum, quàmvis obscurum & molestum, consummaveris, ipse Dominus qui justis mercedem laborum suorum reddit, deducet te in viâ mirabili, refrigerabit te, dabit quoque delicias animæ tuæ, te de fructu oris tui replebit bonis; & tandem, factus in medio parvulorum parvulus & absconditus, magnus vocaberis in regno cœlorum, & in æternâ eris memoriâ. Amen.

ARTICULUS XXI.

Diligens rudium & pauperum instructio.

Quod de adolescentibus in superiori articulo diximus, de quibusdam rudioribus etiam intelligendum esse censemus; hos, inter parvulos, jure merito adscribimus. Illis ergó, utpotè solidioris cibi incapacibus, doctrinæ panis frangendus est, imó masticandus, imó & in faucibus inferendus, & lacte, hoc est, simplicissimâ in doctrinæ rudimentis instructione pascendi sunt. Quid zelo nostro dignius? Nobiles & divites, cæterique urbium incolæ persæpè abundant panibus; pauperes veró & miserabiles personæ in agris & sylvis commorantes ab Ecclesiis remotæ, aut ad eas

absque decenti habitu, proindèque pudore affecti, inter alios discipulos publicè accedere non audentes, pecoribus interdùm pascendis divinorum etiam officiorum tempore detenti, persæpè fame pereunt, ideòque doctrinæ fidei incurii, in tenebris sedent, cæcâ ignorantiæ nocte delitescunt, & in paupertatis sordibus, & vitiis paupertati affinibus hærent miseri. Quis ergò hos eodem Jesu-Christi sanguine æquè ac divites redemptos, in salutis viâ instruere sollicitâ curâ non satagat?

Ad hanc indefessam & piam curam excitat nos ipsius Jesu Christi exemplum, de se dicentis: *Spiritus Domini super me, pauperibus evangelisare misit me.* Luc 4. Hinc nullum, quantumlibet vilem & abjectum, à se rejecit; quin potiùs benignè accepit omnes; quinimó, vel unicam Samaritanam, licèt extraneam, licèt conditione vilem, licèt conversatione impuram, catechisare, exhortari, & convertere non dedignatus est. *Cogitemus*, inquit S. Augustinus, *quid nobis prærogatum sit ab illo qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Cogitemus quâ charitate, quo zelo Salvator ille hominum, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ Dei erant absconditi, circuibat pagos & villas, ignarum & rudem populum, nunc in littore, nunc in montibus, nunc in locis campestribus erudiens; quomodò se ad eorum qui audiebant captum demittebat, familiari loquendi modo utens, eadem sæpiùs repetens & inculcans, similitudines

& parabolas vulgares adhibens? Quâ patientiâ, quo amore, turbas comprimentes se sustinebat? Quâ lenitate & mansuetudine, illorum quos alloquebatur tarditatem & stupiditatem juvabat, duritiem & contumaciam ferebat, & omnia omnibus fiebat, ut omnes redimeret & salvos faceret? *Sacer. Christ.* Quem non trahat adeò eximium Dei sapientiæ exemplum? Quis in hunc non currat odorem & zelum? Quis ad rudes & pauperes se demittere verecundabitur? Procul hinc, tumida superbia, procul odibilis præsumptio; nonne utraque hoc satis confunditur exemplo?

Ad hunc prætereà erga rudes & pauperes zelum invitat & allicit exemplum Apostolorum, qui quàmvis eximiâ sapientiâ, & Spiritûs sancti charismatibus repleti, nihilominùs cum rudibus agebant, cum vilibus conversabantur, illisque se omnimodè adaptabant, omnibus omnia facti, ut omnes Christo lucrifacerent. D. Petrus, apud Simonem coriarium in Joppe commoratus est. D. Paulus, licèt Doctor gentium esset, & Angelis sapientiâ æqualis, apud eos qui scenofactoriæ artis erant, hoc est, tabernaculorum & pellium artifices, libenter habitavit.

His præviis excitati exemplis & ardenti zelati zelo, alii, quibus dignus non erat mundus, Apostolici viri doctrinâ & sanctitate conspicui, quàmvis concionatores celeberrimi hactenùs fuissent, neglectis tamen urbibus & populosis civitatibus, rudium & pauperum instructionem libenti & hilari ani-

mo susceperunt. Hinc, prærupta, invia, solitaria, & horrida loca, quò non conveniebant concionatores, alacriter ipsi, inter nives, grandines, & glacies properarunt, ut ad inaccessos, rudes, imò & barbaros populos pertingerent. In his ergò montuosis locis, cum rudibus rudes & humiles ipsi facti, vulgaribus utentes vocibus, verba & conceptus mentis ad eorum captũ deprimebant; se inter eos exhibebant non solùm ut spiritu patres; sed etiam, ut matres & nutrices, ubera eis exhibentes veritatis, pietatis, & amoris plena, docentes quomodò se cruce signarent, quomodò Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, fidei Symbolum enuntiarent, quomodò mandata Dei servarent, Sacramentum Pœnitentiæ adirent, quomodó laborem diurnum, paupertatem, aliasque corporis & animi ægritudines ad Dei gloriam dirigerent & patienter ferrent, &c. Hâc mirificâ catechisandi & instruendi simplicitate & benignitate, hos rudes & pauperes ad admirabile fidei lumen & pietatis ardorem suaviter & fortiter alliciebant, & Jesu-Christo lucrifaciebant, patientiæ & amoris spectaculum facti, & Angelis & hominibus.

In hoc rudes & pauperes catechisandi & instruendi zelo se præcipuè commendarunt S. Carolus Borromeus, S. Franciscus Xaverius, S. Norbertus, S. Franciscus Salesius, S. Vincentius à Paulo, S. Joannes-Franciscus Regis, & alii innumeri qui spiritum Christi habuerunt; ad hanc familiarem & humilem tantò libentiùs incubue-

runt instructionem, quò uberiores fructus ex eá colligi sciebant, & quò firmioribus ad hanc impellebantur rationibus, quales sunt sequentes.

I. Cùm rudes & pauperes in postremis habeantur; hinc fit, ut quàmvis instructionis pane egeant, eumque avidè petant; his tamen derelictis, ab Ecclesiâ interdùm distantibus, inter pecora detentis, nullus persæpè est qui in tantá necessitate frangat eum, & sic in ignorantiæ tenebris jacent, ac miserè pereunt.

II. Quia familiares illæ exhortationes, comparationibus, parabolis, & vulgaribus exemplis intertextæ, quibus hos rudes imbuebant, ad instruendum & persuadendum efficaciores sunt quàm pomposæ conciones sublimibus humanæ sapientiæ verbis ornatæ. Reverà, Apostoli orbem converterunt, non eximiis concionibus, sed simplici & catechistico sermone, cum Spiritûs virtute. Hoc patet in sancto Petro, qui in die Pentecostes, simplici exhortatione & catechismo, tria hominum millia ad pœnitentiam convertit, & ad hunc numerum quinque millia sequenti die adjecit. Idem præstitit Apostolus Paulus, in medio rudium, infirmorum & parvulorum, factus ipse rudis, infirmus & parvulus. His exemplis, & experientiâ suâ, confortati illi de quibus loquimur Apostolici viri, ad hanc simplicem erga rudes & pauperes se libentissimè demittebant instructionem.

III. Quia hos ruricolas, utpotè simplices, rudes, pauperes, & docibiliores cor-

de quàm divites & urbanos, faciliùs, liberiùs, fiducialiùs, & efficaciùs catechisari & instrui certó sciebant.

IV. Quia ad hoc ministerium, utpotè obscurum & molestum, nihil aliud sæpissimè allicit quàm purus Dei zelus. Hinc tantó ardentiùs huic humili vacabant ministerio, quantó tutiùs humilitas, in exedris pomposis inter audientium plausus multùm & persæpè periclitans, hìc servatur illæsa; quantò etiam securiùs servatur & ingens meritum huic ministerio annexum.

Charissime Frater, si ad hæc audita & lecta non inardescat zelus tuus, cujus spiritus sis nescimus. Verùm, ecquandò senties in te quod & in Christo Jesu? Ecquandó amorosa pietatis erga rudes & pauperes, sicut electi, viscera sollicitus indues? Ecquandó saltem perfectioni & saluti tuæ hinc securiùs providere satages? Si hæc tandem sit mens tua, quid moraris? An non vides esse periculum in morâ? Nonne ergó tempus est tam altum, tam diuturnum, tamque periculosum excutere teporem? Exere nunc animum & ardorem, exere vires; zelum tuum erga hos pauperes & rudes protinùs depromas oportet; charitas Christi te nunc vehementiùs urget. Ne ergó te pigeat per vicos, per agros, sepes, sylvas, mappalia, agrestia, & deserta loca si necesse sit, pertransire; aut saltem hos quos in tuâ Parochiâ, vel in villis huic affinibus, pauperes & rudes habes, assiduè catechisa, & ardenter instrue, non solùm in Ecclesiâ, sed etiam domi tuæ, si illud exigat

exigat necessitas & permittat prudentia; præsertim quandò rudes, jam adulti & ætate provecti, sed multùm ignari, publicis Ecclesiæ conventibus, propter summam illam quâ laborant ignorantiam, interesse non audeant, ne pudore & confusione coram populo afficiantur. Hos & illos benignus amplectere, & patienter sustine, simul & imbue, ut doctrinæ veritatem, gratiæ lucem, pacis benedictionem omnibus impertiri, tibi etiam thesauros in cœlis thesaurisare valeas.

Vide in superiori articulo profligatas & funditùs eversas proprii illusiones amoris, ab hoc, utpotè humili & molesto ministerio, te avertere conantis. Vide etiam in eodem articulo, & in alio ubi de prædicatione verbi divini, *p.* 152, regulas in hoc ministerio, proportione servatâ, observandas.

ARTICULUS XXII.

Zelus, & modus administrandi Pœnitentiæ Sacramentum.

CUm Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum, ad salutem necessarium sit, ut nondùm regeneratis ipse Baptismus; (*Trid. Sess.* 14. *c.* 2.) ideòque à sanctis Patribus vocetur secunda post naufragium tabula; & cùm per idem Sacramentum, non solùm liberemur à peccatis, sed etiam his præservemur; & insuper, conscientiæ pacem ac serenitatem;

cum vehementi ſpiritûs conſolatione percipiamus, (*Ibid. c. 3.*) nihil Sacerdotum, & præſertim Parochorum zelo dignius, quàm animas ad hoc allicere Sacramentum, eaſque in illud benignè accipere; gaudium enim eſt ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonagintanovem juſtis qui non indigent pœnitentiâ.

Attamen: pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere: plures Sacerdotes, quinimó Parochi, adeó à confeſſionibus audiendis abhorrent, ut pœnitentes, quàmvis bonæ voluntatis, ab hoc Sacramento arceant, eoſque tandem in laqueum diaboli, & in damnationis æternæ periculum injiciant. Proh dolor! Væ illis tepidis, faſtidioſis, & mercenariis Miniſtris! Væ illis Paſtorum cæcorum idolis & ſimulachris, qui ad propria commoda, non ad labores & ſollicitudines pro Dei gloriâ & animarum ſalute, ſibi videntur vocati.

Tu veró, chariſſime Frater, ſi quem domûs Dei zelum habeas, libentiſſimè impendas & ſuperimpendaris ipſe pro peccatoribus ejus legem derelinquentibus, & ſub peccati ac dæmonis ſervitute miſerabiliter gementibus; aut ſaltem, pro animabus curæ tuæ commiſſis. In hoc apparebit benignitas tua & ferventior zelus tuus, ſi confeſſionum audiendarum avidiſſimus ſis. Quapropter, miſericordiâ motus, & accurrens, cadas, ſi neceſſe ſit, ſuper collum peccatorum, ut te ſuaviter & fortiter trahente, adeant cum fiduciâ ad thronum gratiæ. Quid enim prodeſt ut eos prædica-

tionibus & exhortationibus tuis ad conversionem & pœnitentiam impuleris, si, præ fastidio & negligentiâ, eos pœnitentes posteà audire nolis, & si eos, tanquàm molestos & importunos repellens, misericordiæ januam ipsis præcludas? Memineris te ovibus tibi commissis Sacramenta administrare teneri quoties indigent & rationabiliter illa petunt.

Cave etiam ne hujusmodi pœnitentes, in te, tanquàm Ananiâ fidentes, & tibi, gravem ob causam, confidendi cupidos, ad extraneos, imò & vicarios, præ nauseâ & desidiâ remittas. Nonne tu es pastor ovium? Nonne de iis tibi specialiter commissis tu præsertim redditurus es rationem? Bonus Pastor cognoscit oves suas, & suæ eum pariter cognoscunt; illa autem mutua cognitio ad tutam animæ salutem adeò idonea, per confessionem aptiùs exurgit. Si ergò ad mercenarios, ineptos, & nondùm exercitatos confessarios, pœnitentes, præ ignaviâ & turpi quiete remiseris, nonne periclitaris? An dignus es vocari bonus Pastor? Numquid hi extranei quorum humeris totum onus tuum, non verò honorem & emolumentum imponis, te de manibus Dei viventis liberabunt, aut te in inferno opitulabuntur, si ministerium quod illis, ignavus, imposuisti, perfunctoriè peragant? Minimè.

Renova ergò zelum tuum, aut ab officio desiste, ut ministerium tuum accipiat & digniùs impleat alter; si verò resipiscere velis & tuam salvare animam, pœnitentiæ

tribunal tanquàm centrum tuum deinceps habeas necesse est. Verùm, cùm id non sufficiat, ecce tibi & aliis securæ hujus Sacramenti dignè administrandi praxis.

PARAGRAPHUS I.

Regulæ ante administrationem Pœnitentiæ Sacramenti observandæ.

I. Ne te ingeras in hoc ministerium, humeris Angelicis formidandum, præsertim si ad illud non acceperis talenta. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*, dicit Dominus. Eccle. 7. *Vide quid facias; non enim hominis exerces judicium, sed Domini, & quodcumque judicabis, in te redundabit.* 2. Paralip. 19. Quis ad hæc lecta non formidet?

Verùm, si Dominus vocaverit te, tibique talenta dederit; quid est cur ministerium hoc fastidis & horres? An quia periclitaris ipse? O homo modicæ fidei! quarè dubitas? Nonne idem Deus qui vocat te, spiritu intelligentiæ te abundè replebit? Nonne tecum erit, ut te de tot tantisque periculis eruat, & ut te salvum faciat, & eos quos confitentes audies? An ministerium hoc reformidas, & accepta à Deo talenta, in terrâ, vel sub modio abscondita habes, quia Dominus austerus est judex? O misera defensio! Nonne de ore tuo judicaberis, servus piger & nequam? Cui enim multa data sunt talenta, strictior ab eo exigetur eorumdem talentorum ratio. Dominus locutus est; nùmquid ejus

verba præteribunt? Cave ergò ne à ſpiritu Satanæ ab hoc miniſterio te avertendi cupidi, te deinceps tentari ſinas, ut anguſtias te undique vallantes ſecurus evadas.

II. Cùm ſis, aut fieri debeas judex & medicus, eminens tibi neceſſaria eſt ſcientia, juxta illud: *Erudimini qui judicatis terram.* Pſ. 2. Præthereà, nùmquid medicina curare poteſt quod ignorat? Minimè. *S. Hier.* Ars artium eſt regimen animarum. In quantâ ergò temeritate ab imperitis ſuſcipitur miniſterium Paſtorale, *S. Greg.*! Si enim cæcus cæco ducatum præſtet, nonne ambo in foveam cadunt? Grande periculum! eò formidabilius periculum quò frequentius! Quod ut evadas, chariſſime Frater, volve & comede volumina ſcientiam tibi ad hoc miniſterium neceſſariam inſinuantia. Vide dicta ubi de ſtudio & ſcientiâ, *pag.* 153. Porrò, caſus reſervatos in promptu habe; ita ut rectè ſcias qui, jure Canonum, Summo Pontifici, qui Epiſcopo reſervati ſunt. Item, Cenſurarum rationem & vim rectè intelligas, & quibus criminibus annexæ illæ ſint. Præthereà, cùm pœnitentium medicus ſis, collige tibi pœnitentias medicinales, documenta & remedia unicuique conſentanea, ut ea opportuno tempore ad manum ſemper habeas; hæc enim particulária remedia mirificè proſunt ad extirpandas vitiorum radices, quia contraria contrariis curantur. *S. Greg.*

III. Cave ne eadem agas quæ judicas;

in quo enim alterum judicas, te ipſum condemnas, & in te jacitur iſtud: *Medice, cura te ipſum.* Alioquin, quomodò effugies judicium Dei. Vide dicta ubi de pravo exemplo, *pag.* 58; de bono exemplo, *pag.* 135; & de prædicatione verbi divini, *pag.* 156.

IV. Vis exiſtimari ut verus Chriſti Miniſter, fidelis inveniri hujus Sacramenti diſpenſator, & fructum afferre? Inſta orationi, meditare in lege Domini, ſis priùs internus homo & mortificationi addictus. Vide dicta infra ubi de Meditatione. (*Index paginam indicabit.*) De prædicatione verbi divini, *pag.* 156, & alia paſſim hùc ſpectantia.

V. Da operam ut maxima in te reluceat prudentia; non quidem prudentia carnis, quæ mors eſt; ſed prudentia ſpiritûs, quæ eſt vita. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne dubites ergò in multitudine ſtare Presbyterorum, & ſapientiæ illorum ex corde conjungi, ut ab illis, jam probatis & peritis, libenter erudiaris, & ut jam in te habens ſal, ſcias quomodò interrogandi & audiendi ſint pœnitentes; quandò abſolutionem dare, denegare, aut differre debeas; qualis & quanta injungenda ſit pœnitentia; quæ adhibenda remedia; quomodó agendum ſit, ſive cum viris & mulieribus; quæ cum piis, timidis, & verecundis, aut ſcrupuloſis; ſive cum pertinacibus, effrænatis, & obduratis, &c. quâ diſcretione infundendum ſit modò oleum, modò vinum, modò utrumque; quâ cau-

telâ ſervandum ſit ſigillum, &c. A Patre luminum deſcendit iſta cœleſtis prudentia. Si ergò optaveris ſenſum, dabitur tibi. Invoca, & veniet in te ſpiritus ſapientiæ; venient tibi cum illo pariter omnia bona; ſed contende & tu hanc ex fontibus Salvatoris haurire ſapientiam.

VI. His præmiſſis diſpoſitionibus præditus, necnon ab Epiſcopo approbatus, & juriſdictione ordinariâ aut delegatâ munitus, hunc judicialem actum graviter & decenter exercere debes, in habitu ſacerdotali, cum veſte talari & ſuperpelliceo, cui conveniens eſſet ſuperimponi ſtolam. Cave inprimis ne aliorum conſcientias purgare & mundare intendens, propriam negligas. Puritatem verò illius & munditiem, præcipuo curare debes ſtudio. Quare, antequàm in Tribunali pœnitentiæ ſedeas, priùs teipſum dijudica, & vel ſacramentali abſolutione, ſi opus ſit, vel actu contritionis præmiſſo, humili prece opem divinam tibi aliiſque quibus aderis implora; & abdicatâ prorsùs omni curioſitate, vanitate, avaritiâ, fragilitate, aliiſque dæmonis ſuggeſtionibus inter audiendas confeſſiones irrepere ſolitis, puram intentionem dirige, & zelum promovendæ gloriæ Dei, ſalutiſque animarum procurandæ in te ipſo diligenter exſuſcita, & jugiter fove.

Porrò, cave ne in privatis ædibus, niſi urgentis neceſſitatis causâ, confeſſiones, ſive maris, ſive fœminæ, præterquàm ægrotantium, excipias. *Concil. Mediol.* ſed in Eccleſiis duntaxàt, & in confeſſionali-

bus, quæ in aperto & non in obſcuro loco collocanda ſunt. *Concil. Aquenſ.* Mulieres autem, niſi ex causá neceſſitatis, ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum, quàmvis in Eccleſiâ ſint, confitentes non audias. *Concil. Mediol.*

Quinimò, earumdem mulierum confeſſiones non audies niſi in ſede pœnitentiali, quæ crateribus ferreis vel ligneis ſit munita, exceptis quibuſdam feſtivis diebus in quibus, occaſione concursûs populi, plures adhibendi fuerint Confeſſarii, quàm in dictis Eccleſiis ſint pœnitentiales ſedes. Eamdem cautelam ſerva dùm ipſæ ægrotant, cujuſcumque illæ fuerint ætatis. Ne ergò eas confitentes audias oſtio cubiculi ubi illæ decumbunt clauſo, locove obſcuro.

VII. Ad confeſſiones audiendas comparatus, iſtas, vel alias effunde preces:

Veni, ſancte Spiritus, reple, &c.

Cor mundum crea in me, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tuâ, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

ORATIO.

DOmine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut dignè poſſim

tibi gratias agere qui me indignum, propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officii Sacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, pro peccatoribus & ad pœnitentiam revertentibus. Ideòque, Dominator Dominus, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant, suscipe orationem meam quam fundo pro famulis & famulabus tuis qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, & resipiscant à diaboli laqueis quibus adstricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eumdem Dominum nostrum, &c.

PARAGRAPHUS II.

Regulæ inter audiendas Confessiones observandæ.

I. Sede pro tribunali, caput birreto opertus, vultumque præ te feras placidum ac benignâ quâdam gravitate temperatum; quem, quidquid tibi in confessione dicatur, nullatenùs immutabis, ne vel minimum sigillo confessionis præjudicium afferas. Modestiam autem singularem in totâ corporis compositione serva; oculos ne hùc & illùc circumferas, inprimis in mulierum pœnitentium faciem, ne & tu & illæ pariter tentemini.

IV.

II. Memento non esse apud Deum acceptionem personarum, nec esse distinctionem Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium. Igitur, si puram Dei gloriam quæsieris, *personarum distinctionem minimè facies; undè parvum audies ut magnum, nec accipies cujusquam personam, quia judicium Dei est.* Deuter. 1. Attamen, pauperum, rusticorum, & agricolarum, in sudore vultûs pane vescentium, confessiones libentiùs diebus festivis audias, quàm mulierum, multò minùs per hebdomadam occupatarum; vel minimam hâc in re te illusuram proprii amoris illusionem cave.

Sed quoniam ad Sacramentum Pœnitentiæ cum humilitate animi, & demissione corporis accedendum est, ideò quosvis nobiles & milites, armis præcinctos accedentes, nisi depositis priùs armis, non admittas; neque etiam mulieres vano cultu ornatas, fucatas, pulvere pigmentario conspersas; eas tamen suaviter & graviter reprehensas, hortare ut pœnitentis Magdalenæ vestigia legant; & fracto veluti alabastro, caput Christi in pauperibus & pedes, odoribus vitæ æternæ perfundant, & velo capita, ex Apostoli præcepto, obumbrent. *Concil. Burdigal.*

III. Memineris etiam pœnitentes te in Confessionis exordio vocare patrem; proindèque, corde, & amore paterno ipsos excipere & amplecti debes, eorumque ignorantiam, tarditatem, imbecillitatem, aliasque imperfectiones, exemplo Christi, cujus personam geris, patienter ferre. To-

lerandus quidem non est abusus illorum qui, nisi à Confessario interrogati, nullum umquàm faterentur peccatum; non obstat tamen quin, postquàm sese utcùmque explicaverint, eos ipse interrogationibus ad Confessionem perficiendam juvare possis, & etiam interdùm debeas, quandò scilicet eorum accusationem insufficientem judicas ad Confessionis integritatem.

Quandò pœnitentes seipsos accusant, licèt verbis interdùm minùs decentibus utantur, vel excusationes, narrationes inutiles, aliave similia Confessioni immisceant, eos patienter audi, nec ullo modo interturba; sed posteà eos benignè commoneas quâ ratione inposterùm decenter magis ac simpliciter peccata explicare debeant. Interim defectus illorum, si quis fuerit, interrogationibus supplendus, charitati incumbit tuæ.

Eâdem charitate & discretione mulieres adjuva in iis declarandis peccatis quæ pudorem afferunt, ut scilicet neque retineant ea quæ explicanda sunt, neque plus ab eis quæras quàm necessarium sit, ne illæ doceantur quod ignorant & ignorare debent, & ne ipse in periculosas curiositates, fœdas tentationes, & in laqeuum Diaboli te imprudens detrudas, quod avertat Deus. Elimina prorsùs hinc inutilia, & multò magis, tenera nimis & adulatoria verba, quæ tuum & illarum cor emollire, & ad obscœnas saltem cogitationes te & illas allicere possent. Quid hâc cautelâ necessarium magis.

Illos autem qui peccatis gravissimis implicati, conscientiæ terroribus exagitantur, ac in desperationem jamjam videntur prolapsuri, peculiari charitate adjuva, consolare, & viriliter, suaviterque conforta, eorumque spem in Deum, qui non vult mortem peccatoris, piis consideratio-nibus quas tibi suggeret spiritûs unctio, pro viribus exsuscita, ut ex illo horrendo & infelici statu emergere valeant.

Quòd si pœnitens, meretricis frontem induens, nullo neque pudore, neque timore permotus videatur, eum tunc acrioribus stimulis, quos semper ad manum habebis, variè & fortiter excita; cave tamen ne acerbis & duris increpationibus eum exacerbes, & ad desperationem adigas. Cujus spiritûs esses? Certè non Jesu-Christi, qui Publicanos & peccatores, non irâ exæstuans, sed in benignitatem erumpens, excipiebat. Quidni & tu hanc indues benignitatem? Nonne majorem in te demonstravit Dominus Jesus?

IV. Inter audiendas Confessiones sis Deo intentus; oculos & mentem in cœlum interdùm leva, undè tibi congruum veniet auxilium. Quapropter, elice actus jaculatorios juxta varias quæ sese offerent occasiones & difficultates, ut molestias huic ministerio annexas fortiter superes, & ut tentationes agminatim insurgentes illæsus evadas.

O quanta tibi necessaria est patientia, ut iis qui ignorant & errant, compati & condolere possis! Memineris te ideò mi-

ſericordiam aſſecutum eſſe, ut in te primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt in vitam æternam. Hanc patientiam poſtula, & viriliter oſtende; ita ut nullam impatientiæ ſuſpicionem pœnitentibus præbeas; patientia tua non peribit in finem; tuam verè pœnitentiumque animam hâc ſecurè poſſidebis patientiâ.

V. Ille eſt verè pœnitens qui dignos facit pœnitentiæ fructus; verùm, qui adhuc agit id quod pœnitet, irriſor eſt, & non pœnitens. *Trid.* Cave ergò & iterùm cave ne des ſanctum his canibus qui toto affectu ad vomitum ſuum revertuntur, & quorum noviſſima fiunt ſemper pejora prioribus; quàmvis tibi videantur contriti, ne eis facilè credas, præſertim ſi jampridem promiſſis non ſtent, ſi vim in illud non faciant ut *violentiæ pœnitendi cedat conſuetudo peccandi.* S. Aug. Si ergò emendationis media ſibi jam toties data adhibere non curaverint, prudenter judicare debes eos, tamquàm pigrum illum de quo Scripturâ, velle & nolle, eoſque proindè pœnitentiam fœdiſſimè agentes, à deſideriis ſuis brevì occidendos eſſe. Quarè? quia *ubi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana:* Tert. & quia ſine verâ pœnitentiâ omnes ſimiliter peribunt, aſſeverat ipſa Veritas. Ut autem tu cum illis non occidaris & in æternùm pereas, iſtam ejuſdem Veritatis regulam tene, ſcilicet: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Math. 7.

Eamdem, proportione ſervatâ, regulam

tene circa quosdam quos D. Augustinus falsos fallentesque sanctos vocat ; circa etiam mulierculas quasdam, imò & nonnullos Clericos, qui non nisi peccata venialia, quæ velut aquam bibunt, ex arido usu, absque vero dolore & sincero proposito confitentes, in falsam conscientiam & in sacrilegia prolabi imprudenter periclitantur. Ut autem hâc in re cautior evadas, memento & ne obliviscaris istorum, nimirùm : *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Ezech. 13. *Claves Sacerdotum, non ad solvendum duntaxàt, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt & docent.* Trid. Sess. 14. c. 8. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti.* S. Ambros. Nonne idipsum experientiâ constat ? Unde *non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Bellar. Dimittuntur quidem in pace plures pœnitentes ; sed quoniam non est pax in terrâ nisi hominibus bonæ voluntatis, sæpissimè *irrita & falsa pax est, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* S. Cypr.

Obsecramus te, charissime Frater, per viscera misericordiæ Dei nostri, ut tuæ pœnitentiumque animæ, quam Christus redemit & lavit in sanguine suo, miserearis. Cave ergò ne præcipitanter & indulgentiùs agens, te & pœnitentes interimere velis. Nullum quantùmvis importunum absolvas, de cujus verâ pœnitentiâ non sis moraliter certus. Confortare, pusillanimis, confor-

tare : noli timere eos qui occidunt corpus ; ſed potiùs eum time qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam ; hunc time ; & ille tunc erit tanquàm bellator fortis ut confortet te, nequandò dicat inimicus tuus : *prævalui adversùs eum.*

Circa hæc & alia hùc ſpectantia, vide morales & ſpirituales auctores, ut te ad majorem deinceps cautelam excitare valeas, eamque viriliter promas.

Quòd ſi pœnitentem ad percipiendam abſolutionem idoneum judices ; tunc, peractâ confeſſione, ad veram de peccatis contritionem concipiendam, ſi ita expediat, piis aliquibus motivis excita ; ac tandem, ſalutarem & convenientem, pro qualitate criminum & ipſius pœnitentis facultate, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, injunge pœnitentiam ; ne ſi fortè peccatis conniveas, & indulgentiùs cùm pœnitente agas, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis, injungendo, alienorum peccatorum particeps efficiaris. *Trid. Seſſ.* 14. *c.* 8.

Pœnitentias inſuper medicinales adhibere ſollicitus ſis : *Proculdubiò enim magnoperè à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt ; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.* Ibid. Hinc, ſapientis medici inſtar ages, ſi, ut habetur in Rituali Romano, avaris eleëmoſynas injungas, libidinoſis je-

junia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia, &c. Illud tamen præcipuo studio cavere debes ne tales imponas pœnitentias ex quibus alii, v. g. maritus, parentes, vel domestici in suspicionem peccati alicujus in confessione declarati venire possint.

Ut autem, non solùm crimine, sed ipsâ criminis suspicione careas, nihil unquàm in confessione, aut confessionis occasione petas à pœnitente, etiam charitatis aut pii alicujus operis prætextu.

Eleëmosynas pariter pœnitentibus injunctas, neque tibi, neque tuæ Ecclesiæ applices; sed, pœnitentis arbitrio, sivè Ecclesiis, sivè piis locis applicandas relinque; quinimò, Missarum stipendia etiam ultrò oblata, in ipsâ pœnitentiæ sede accipere non expedit. Injunctâ tandem & à pœnitente acceptatâ pœnitentiâ quæ ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, necnon ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum conferre possit, absolutionem illi cum debitâ intentione & reverentiâ confer; & post illam, vel ante, prout magis expedire videbitur, pia aliqua & salutaria monita ipsi pœnitenti suggeres, tùm ad vitæ emendationem, tùm ad profectum in virtute faciendum, & sic illum in pace dimittes.



PARAGRAPHUS III.

Regulæ post auditas Confessiones observandæ.

I. Gratias age Deo quòd te, licèt infirmum & inutilem servum, eligere voluerit ut tam sublimi ministerio vacares. Eum enixè roga ut defectus aut culpas quas pro tuâ fragilitate in hoc formidabili ministerio contraxisti, tibi dimittere dignetur. Ipsi Deo & gratiæ ejus, qui potens est ædificare & confirmare in finem sine crimine, commenda, præsertim in sacrificio Missæ, quos audivisti pœnitentes, ut pariter quod in te & in eis operatus est, confirmare, ac te & eos sub umbrâ alarum suarum usque ad mortem protegere dignetur. Virginis etiam Mariæ, & Angeli Custodis præsidiis, eos & te fidenter committe.

II. Cave ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo peccatorem prodas; quin potiùs, omnia peccata quæ in confessione audivisti, perpetuo & religioso silentio comprehensa teneas, quàmvis juramento vel censurâ aut aliquâ aliâ violentiâ manifestare jubearis. Quòd si quandòque, absolutâ confessione, necessarium erit de re aliquâ ad ipsum pertinente pœnitentem admonere, id absque ejus facultate & obtentâ licentiâ non exequaris. Cave etiam ne publicè vel privatim de defectibus pœnitentium de quibus extra confessionem notitiam habes, aliquomodo loquaris; plebs enim rudis, ignorans qualiter scias quæ refers, fa-

cilè decipietur, existimans te confessionem revelare, & exindè scandali occasionem sumet.

Schedulæ autem quas à te exigunt pœnitentes quos vel absolveris, vel non, uniformes esse debent; undè, si te priores absolvisse, posteriores verò confitentes dumtaxàt audivisse affirmares, nonne inæqualem horum pœnitentium dispositionem, proindèque sigillum, hoc schedularum discrimine revelares? Annon etiam hìc innotesceret profunda quâ laborares ignorantia, aut deploranda illa quâ excæcareris præsumptio?

III. Circa mulieres quas confitentes audis, quasve dirigis, opus est ut sis quidem simplex sicut columba; sed majorem da operam ut sis prudens sicut serpens, ne illæ sint tibi, & tu illis exitii & ruinæ causa. Quàmvis enim mulieres præclaro devoti sexûs nomine ab Ecclesiâ donentur; ex eo tamen quòd nimiâ fragilitate & proclivitate suâ, placere & demulceri naturaliter cupiant, laqueus venatorum, ipsorumque Confessariorum, & Directorum interdùm sunt; sagena est earum cor; venenum aspidum earum labia & oculi, earum scilicet blanditiæ, suspiria, fletus & lacrymæ; manus illarum vincula sunt imprudentium & incautorum, cor turpiter tandem trahentia simul & emollientia. Illis ergò jugiter fortiterque diffidas; scriptum est enim: *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Eccli. 25. *ipsa* siquidem, *etsi voce syren, visu basiliscus; utroque*

perdit & necat. Cornelius à Lapide.

Nec refert quòd sanctæ sint : *Quàmvis sanctæ sint, non minùs cavendæ sunt ; quò enim sanctiores sunt, eò magis alliciunt.* S. Aug. Ex mutuis siquidem colloquiis, ex assiduis, familiaribus, reciprocisque visitationibus, & ex vicariâ epistolarum relatione, erumperent tandem in eas & in te abominationes pessimæ ; aut saltem, affectus humani à verâ pietate alieni. Undè cautè sancitum est ne quisquam confessarius, absque speciali licentiâ, mulieres confitentes audiat, nisi quadragesimum annum attigerit, ne incautus & nondùm probatus, in laqueum & in foveam quam sibi faceret, infeliciter incidat.

Quàmvis eas tu, charissime Frater, tandem dirigas, cave ne cum illis familiariter, etiam devotionis prætextu agas ; nec permiseris ut te extra sedem pœnitentiæ adeant, & te alloquantur, nisi urgente causâ ; quæ si vera adsit, tunc *brevis & rigidus cum illis sermo est habendus.* S. Amb. Tu quoque eas, nisi necessitatis causâ, non adeas ; magnâ etiam tunc cautelâ utaris necesse est. Cave prætereà ne illas in aliquod tibi, sive benè valenti, sive ægrotanti necessarium aut utile opus assumas ; indè enim ingenerari facilè possent periculosi affectus, quibus, non Deo, sed tibi placere studerent, ac se & te seducere quærerent. Si quem, etsi levem, cujusquam erga te affectum adverteris, hunc protinùs quasi pestem eradicare & exterminare coneris, ut huic lethali principio

monstra parituro viriliter obstes. Quòd si non obstantibus monitis & increpationibus tuis, videris talem perseverare affectum, quinimò in dies crescere, eam ad alium Confessarium & Directorem doctum & pium statim & fortiter remitte, eamdemque pœnitentem ab ipso animo tuo eliminare contende, ut eam à pestiferis illusionibus tutam præstes, & te ab imminenti lue vindices.

Tandem, hanc Conc. Maclin. sanctionem attende : *Nemo aliquem ad perpetuò sibi soli confitendum obliget ; ejusmodi promissionem, etiam juratam, tànquàm irrationabilem & indiscretam hæc Synodus irritam esse declarat, &, quatenùs opus est, irritat.*

ARTICULUS XXIII.

Zelosa Ægrotorum, præsertim Agonisantium visitatio & cura.

PAsce oves meas, dixit Simoni Petro ejusque successoribus Dominus Jesus. Oves autem, eo præsertim temporis articulo pascendæ sunt, quo de summâ rei decertandum est, & ex quo totius pendet æternitatis causa. O res plena discriminis ! Ecquid, si æger in arenam solus descendat, congruis destitutus auxiliis ?

Undè meminisse debet Parochus non postremas esse sui muneris partes ægrotantium curam habere. *Ritual. Rom.* Nonne ergó Pastor ille qui videns lupum venientem periclitantes dimittit oves & fugit, suo

deest officio & mercenarius est ? Non est dubium quin in tam difficili luctâ descendat ad eas diabolus, magnam habens iram, sciens quòd modicum tempus habeat. His in angustiis, adversarius ille, tanquàm leo rugiens, eas tunc acriùs circuit ut eas crudeliter devoret. Quis hoc ignorat ?

Quid prodest, charissime Frater, ut oves tuas per vitam assiduè pascas, & superimpendaris ipse pro animabus earum, si, urgente summo periculo, id est, si, quandò eas mortis circumdant dolores, si, dùm eas inveniunt inferni pericula, si, dùm infestior morbus, caput debile, corpus languidum, ratio non perindè lucida, crebræ & feriores tentationum procellæ, facilem & liberum non dant pœnitentiæ agendæ, virtutum & salubrium exercendorum operum, nec de Deo cogitandi locum, frigeat zelus tuus, easque in tempore malo durè nimis deseras ?

Quid de exercitûs Præfecto diceres, qui milites toto pacis tempore ad pugnam exerceret assiduus, sed, instante bello, ignavè fugeret, & derelictum exercitum, hostibus trucidandum traderet ? Nonne hunc desertorem acriter deprehenderes, eumque gravi supplicio dignum putares ? Quid pariter de gregum custode censeres, qui oves, capellas, &c. dùm sanæ sunt & procul à lupo, sollicitè pasceret earumque diligentem curam haberet ; sed ægrotas non sanaret, confractas non alligaret, easque, veniente lupo, derelinqueret & ab eo vorari sineret ? Numquid eum fidelem gregum custo-

dem reputares ? Minimè profectò ? Nonne tamen es tu ille vir, & quidem tantò magis illo ignavo Præfecto & isto mercenario gregum custode reprehendendus & damnabilis, quantò præ cæteris mundi rebus præstantior est periclitans ægrotantium anima ?

Quoties tamen contingit ut, præ tædio, otio, ignaviâ, comessationibus, confabulationibus, & præ nimio quietis amore, manum periclitanti porrigere nolis, quàmvis totâ die gemebundus clamet: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici & pastores mei, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet?* Quoties auxilium pro morituro obsecrantes asperè dimisisti, imò & scandalisasti, ita ut te deinceps vocare dubitent, & minimè audeant ? Quoties personarum acceptionem fecisti, visitando quidem nobiles, divites & notos; rusticos verò, & inopes fastidiosos deserens ? Memineris quòd Dei Filius ad filium Reguli corporaliter ire noluerit; ad salutem verò servi venire paratus fuerit. O idolum zeli tui ! Nonne pretioso Agni immaculati sanguine redemptus est pauper, sicut & dives ? Bonus Pastor animam suam, si necesse sit, pro ovibus suis ponere debet; verùm, numquid pro illis tuam poneres animam, dum in summo periculo versantibus, opitulandi gratiâ, ab ædibus tuis exire renuis ?

Verùm, hæc tremenda Dei oracula trepidus audi, & attentus meditare: *Custodi virum istum, quia si lapsus fuerit, erit ani-*

ma tua pro animâ illius. 3. Reg. 20. Si igitur, præ ignaviâ tuâ, ipſe in iniquitate ſuâ moriatur, nonne ſanguis ejus de manu tuâ requiretur? In illis eſto, & in iſtis attende: *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, & quod confractum non alligaſtis.* Ezech. 34. *Oculum pro oculo, dentem pro dente reſtitues.* Levit. 24. *In quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Math. 7. *Infirmus eram, & non viſitaſtis me; diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Ibid. 25.

Quibus hæc imminet pœna? Nonne his Parochis qui poſtquàm infirmis ſacramenta adminiſtrarunt, eos inter inimicorum impetus, ſolos & periclitantes deſerunt? Nonne his etiam imminet Clericis quos, totâ die otioſos, infirmos viſitare piget? Quomodò charitas Dei manet in eis? Nonne manent in morte? Profectò. Quarè? Quia non diligunt. In quo charitatem Dei erga nos cognovimus? In hoc quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit. Nonne & illi, ut charitatem dignoſcantur habere, animas pro fratribus, quàmvis Paſtores non ſint, ponere parati eſſe debent præſertim quandò inſtat periculum, & non adeſt proprius Paſtor? In hoc etiam poſiti ipſi ſunt. Sed heu! diligunt verbo & linguâ, non opere & veritate. Hinc, quantus gemitus! quantæ quorumdam blaſphemiæ de Miniſtrorum tepidorum abſentiâ! Ecquandò tandem fratrum ſuorum zelum zelantes, illis facere ferventer properabunt quod ſibi, præſertim in horâ mortis, fieri volent? Si illud ſin-

cerè velint; si idem & tu, charissime Frater, toto mentis & cordis affectu concupiscas, hoc factis, & præcipuè istorum documentorum praxi, protinùs ostende.

1°. Ulula Pastor, simul & Clericus, & de tuo frigido zelo pœnitentiam age.

2°. Ne te inposterùm pigeat visitare infirmos, ex hoc in charitate firmaberis. Undè, si diligas proximum tuum sicut teipsum, ecce quem amas infirmatur, ecce nunc opportunius charitatem tuam in eum demonstrandi tempus.

3°. Hoc sentias in te quod & in Christo Jesu, qui visitavit infirmos, & qui ægrotationes nostras ipse portavit. Divi Pauli imitator sis, sicut & ille Christi. Quis, inquit, infirmatur inter vos, & ego non infirmor? Indue te, sicut electi Dei, Sancti, & dilecti, viscera misericordiæ; inprimis sicut D. Carolus, qui, grassante peste, nihil verebatur, nec faciebat animam suam pretiosiorem quàm se, omnibus omnia factus, ut omnes faceret salvos.


4°. Visita præsertim pauperes, & in nosocomiis agonisantes; isti siquidem interdùm magis deseruntur; in hoc enim purum præ te fers zelum. Quód si, propter infirmitatem, &c. in hæc per te non possis incumbere officia, roga alium misericordiæ virum, cujus pietas agonisanti non desit.

5°. Si in charitate maneas, hæc suggeret tibi verba bona, verba consolatoria. Memento tamen, hæc apud infirmos, non temerè & confertim, sed sensim, leniter, & per intervalla suggerenda esse; multùm

hâc

hâc in re peccant apud ægros illi qui, nimiùm legendo & alloquendo, sæpè etiam parerga, & quæ minùs ad rem ingerendo, caput eis obtundunt. *Vide ad hoc libros Spiritu Dei & cœlesti unctione refertos; sed præsertim consule librum vitæ, scilicèt Jesum crucifixum.*

Igitur, charissime Frater, per viscera misericordiæ Dei nostri qui visitavit nos oriens ex alto, visita infirmos secundùm beneplacitum Christi, cujus unctio loquetur in te; ut in horâ mortis fiducialiter, & Deo, non tibi dans gloriam, dicere possis: *Domine, cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit.* Joan. 17. & ut tu vicissim lætanter audias: *infirmus eram, & visitasti me: veni benedicte Patris mei, posside paratum tibi regnum à constitutione mundi.* Matth. 25. Amen.



CAPUT QUINTUM.

Obligationes particulares.

ARTICULUS I.

Munia Syndicorum & Præpositorum Capituli & Communitatum Ecclesiasticarum.

SI sis Syndicus aut Præpositus Capituli vel Communitatis Ecclesiasticæ, memento tui esse muneris præesse in sollicitu-

dine verbis & exemplo ; ac dare operam ut regularis disciplina ac statuta observentur, ut omnia honestè secundùm ordinem fiant, ut sancta sanctè tractentur, & ut fideles ad pietatem, & ad Dei cultum assiduè instruantur. Non licet tibi erubescere Evangelium, nec quærere hominibus placere, quapropter argue, increpa in omni sapientiâ delinquentes. Quòd si virgâ opus fuerit, tunc rebelles & morosos ad disciplinam ecclesiasticam mulctis pecuniariis, juxta potestatem tibi à summis Pontificibus traditam, coerce. Cave ne facias acceptionem personarum ; non est apud Deum talis acceptio.

Cogita, & iterùm cogita te communicare peccatis alienis, si præ ignaviâ, tepore, respectu humano, vanâ absentiâ, ac pravo exemplo, regularis observantia destruatur, ac si indè irrepant scandala. Nonne Deus requiret ista ? Profectò, & quidem strictissimè ; & adhuc accuratiùs non vigilas ? Officii tui honori & utilitati magis consulis, quàm obligationibus illi annexis & rationi de illo reddendæ ? Grande periculum ! Quis tuam intelligat cæcitatem.

Teneris insuper defendere & tueri jura, redditus, & emolumenta Capituli vel Communitatis cui præes, si eorum cura in te incumbat.

Memineris te forsan juramento teneri ad disciplinam Ecclesiasticam tuendam, & ad alia munia præstanda.

Igitur, si sis cæcus speculator, & canis

mutus. ; si blasphemans quodcumque ignoras, sis simulachrum habens os & non loquens, oculos habens & non videns, aures & non audiens ; si propter te fideles scandalisentur in lege, opus Dei fiat negligenter ; si propter incuriam tuam periclitentur ac pereant jura & redditus Capituli & Communitatis, ac fidelium legata & fundationes, nonne perjurus es ? Nonne peccata aliena, & forsan sacrilegia ac iniquitates quasi aquam hactenùs bibisti ?

Idipsum seriò cogita ; appende te in staterâ. Utinam salutari timore percussus, confitearis adversùm te injustitias tuas Domino, facias dignos pœnitentiæ fructus, & diligentiùs deinceps attendas tibi & aliis quibus præes ! In his esto, si velis in tuto tuam ponere salutem.

ARTICULUS II.

Munia Pastoralia.

SUscepistine animarum curam ? O quàm gravem & periculosam tibi imposuisti sarcinam ! O utinam saltem onus hoc humeris Angelicis, ut loquitur Tridentina Synodus, formidandum, à Deo vocatus & electus, ac à tuis Præpositis diù probatus, ad majorem Dei gloriam, & ad animarum salutem, non nisi invitus susceperis ! Memineris semper te ad fortia misisse manum, & te in altitudinem maris venisse ; cave ne tempestas demergat te ; nam hoc est maximum periculum te de factis alterius red-

dere rationem, qui pro tuis non sufficis. *S. Thom.* Undè fit verum istud: *Interdùm dominatur homo homini in malum suum.* Eccle. 8.

Quapropter, in omnibus labora sicut bonus miles Christi. Pensa, & iterùm pensa, præcepto divino mandatum esse omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum paternam curam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere. *Trid. Sess. 23. de ref. c. 1.* Si aliter agas, quid es? Idolum Pastoris, laqueus in ruinam multorum positus. Quid eris? Ipse videris.

Adimplere autem tuum ministerium te nequaquàm posse scias, si gregem tibi commissum mercenariorum more deseras, oviumque tuarum, quarum sanguis de tuis est manibus à supremo Judice requirendus, custodiæ minimè incumbas, cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem si lupus oves comedit, & Pastor nesciat. *Idem Sess. 6. de ref. c. 1.* O Pastor vagus! Intellexisti hæc omnia?

In te ergò reversus, attende tibi & universo gregi in quo te Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo. Gravissimum his qui præsunt judicium fiet. Formidabile judicium! Anima pro animâ. Terribilis sententia! Hæc seriò meditare, charissime Frater; ut accu-

ratiùs deinceps pervigilans, quasi rationem pro animabus tibi commissis redditurus, ac factus forma gregis ex animo, fias Pastor juxta cor Dei, & in domo ejus non servus inutilis, somno, luxui, quieti, jocis, avaritiæ & epulis deditus; non simulachrum & phantasma, sed oliva fructifera, lucerna lucens & ardens, in gloriam Dei & animarum salutem consumenda, ne in te vertatur istud: *Ut quid terram Sanctorum, sibi & aliis nequam, occupat? Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter.*

Error cui non resistitur, approbatur; & veritas, cùm non defensatur, opprimitur. *Jus. Can.. dist. 83.* Undè, si non annuntiaveris ut avertatur impius à viâ suâ impiâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur; sanguinem autem ejus de manu tuâ requiret justus Judex.

Credis hoc? Si illud credas, quid est cur populo scelera eorum incessanter non annuntias? Ecquandò eris canis mutus latrare non valens? Væ tibi quia taces!

Delinquentes verò, in misericordiâ sicut justus, corripe & increpa; superveniente enim mansuetudine, omnes corripientur. Quod si virgâ opus fuerit, da tunc operam ut vigor à mansuetudine numquàm separetur, nec justitia à misericordiâ; & quàmvis ex utrâque faciendum sit temperamentum, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur, ut loquitur D. Gregorius; expedit tamen ut ad lenitatem proclivior sis

quàm ad ſeveritatem ; plures enim melle capiuntur muſcæ, quàm aceto. Talis erat ſancti Franciſci Saleſii melliflua regula & praxis. Et verò, eſt-ne verus Paſtor, qui ovium infirmitatibus condolere & compati neſcit ?

Diſcordantium & periclitantium pedes in viam pacis & ſalutis dirigere contende ; ac proindè habeas oculos ante & retrò. Quarè ? Quia ſpeculatorem dedit te Dominus domui Iſraël. Igitur, væ tibi ſi ſis cæcus ſpeculator, videns vana & amans ſomnia ?

Circa ſtudioſam puerorum catechiſandorum curam, vide dicta, *pag.* 178. Hoc munus ad te præcipuè ſpectat, & eidem, tamquàm ſalutis ovium tuarum fundamento, accuratiſſimè vacare debes.

Verùm, ſufficit-ne ſtudioſa illa puerorum catechiſandorum cura ? Minimè ; jam enim vidiſti præcepto divino mandatum eſſe omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas verbi divini prædicatione paſcere. *Trid. Seſſ. 23. de ref. c. 1.* Igitur, *per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas, pro ſuâ & earum capacitate, paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, annuntiandoque eis, cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat ut pœnam æternam evadere & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, per cen-*

ſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad Epiſcopi arbitrium, cogatur; ita ut, ſi ei expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus, alteri qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum impleat. Idem Seſſ. 5. de ref. c. 2.

Reverà, hæc eſt vita æterna ut cognoſcant Patrem, & quem miſit, Jeſum Chriſtum; ſed quomodò cognoſcent Patrem & Filium? Quomodò mandata ſervabunt, niſi audiant? Et quomodò audient ſine prædicante? Quid ad hæc reſpondes cæcus ſpeculator, Paſtor teipſum, non oves paſcens; Paſtor tuæ utilitati, non ovium ſaluti conſulens; idolum Paſtoris, ſimulachrum os habens & non loquens? Nonne audis parvulos & adultos poſt te clamantes, panemque avidè petentes? Quid eſt cur fame pereuntibus non frangis eis? Quòuſque tandem eos jejunos, immiſericors dimittes? Nonne in viâ miſeri deficient? Annon & tu, præ duritiâ tuâ, pariter deficies & in æternùm peribis?

Verùm, dic, amabimus, quarè talentum in ſudario repoſitum habes? An quia Dominus eſt auſterus judex? O infelix! Ideò præcisè ad populum tibi commiſſum inſtruendum te alacriùs impellere debes, ne de ore tuo judiceris ſervus inutilis & nequam.

An inſtructionem faſtidis & hanc Populo denegas quia non eſt talis inſtruendi conſuetudo? O peſtifera defenſio! Numquid ignoras, conſuetudinem ſine veritate,

vetustatem erroris esse? *S. Cypr.* An tempor & negligentia aliorum Parochorum adversùs Evangelium, & Concilii Trid. Sanctionem prævalere umquàm poterunt? Veriùs dicamus, nonne cum his otiosis, repidis, & mercenariis Pastoribus in eâdem es damnatione? Profectò. Dominus locutus est.

Iterùm quærimus, quare hanc populis necessariam instructionem negligis? An quia credis te huic officio sufficienter satisfacere pueros catechisando? Erras.

Quomodò enim adulti servabunt mandata, & sacramenta dignè suscipient? Quomodò vitia declinabunt, & virtutes sectabuntur, si hæc omnia, ut præcipit Trid. loco citato, facilitate & brevitate sermonis eis familiariter non expendas, mastices, & inculces? Si catechises infantes, optimè facis, & in hoc laudamus te; si verò adultum & rudem populum non instruas, certè in illusionum & peccatorum alienorum foveam, quam tibi imprudens facis, brevi casurus es. Absit ergò ut te in hoc laudemus. An ignoras adultos catechismum interdùm fastidire, & ab eo ferè semper abesse, præsertim si post expleta officia ille fiat? Quarè? Quia iidem adulti sibi facilè persuadent se hoc catechismo non egere; ideòque illum ad solos pueros remittunt. Nonne illud tibi experientiâ compertum est?

Forsan non habes talentum ut sis Pastor, cùm instruendi dotibus careas. O insipiens! Si res ita sit, cur Pastoris suscepisti no-

men & onus? Cur in novissimo ovium loco non recubuisti, ut grex aptiori demandatus Pastori, salvaretur, & ut te quoque ovis nomine & loco contentus, teipsum securiùs salvum faceres?

Erubesce ergò, chariſſime Frater, erubesce excusare excusationes in peccatis; hæ omnes & aliæ excusationes quibus te illudit diabolus, & teipsum fascinas, Dominum tuum acriùs exacerbabunt; quinimò, omnes oves quas occidisti, quia non pavisti, stabunt in magnâ constantiâ adversùs te, vindictam requirentes, & condemnantes te. Proh desperatio! Tunc subfuisse & fodisse, quàm præfuisse sine dubio malles, sed frustrà.

Has ut justissimas evadere possis vindictas & desperationes, ulula Pastor mutus & inutilis, ac pœnitentiam age; lectioni in posterùm accuratiùs attende. Ut in doctrinâ potens sis exhortari & oves tuas verbi divini prædicatione pascere, instructiones familiares & breves infrà hebdomadam institue. Crede nobis, si Spiritum & zelum Dei habeas, has parare, & populo annuntiare facilè poteris, quàmvis modicis talentis præditus sis. Numquid eximiis eges talentis ut populum imprimis rudem & pauperem erudias?

Attamen Deus, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, supplebit quidquid tuæ deerit infirmitati; præsertim postquàm ex parte tuâ feceris quidquid ejus gratiâ adjutus facere potuisti. Quòd si id per te præstare nullomodò possis, tunc idoneum

coadjutorem ſumptibus tuis adhibe tibi, aut oneri & honori cedas, ut Deus Paſtorem juxta cor ſuum populo ſuo periclitanti det.

Vide dicta ubi de prædicatione verbi divini, *pag.* 156. Item de diligenti rudium & pauperum inſtructione, *pag.* 187.

Cùm Sacramenta ſint fontes Salvatoris, & inſtrumenta gratiæ, ad eorum frequentem uſum fideles tibi commiſſos, juxta uniuſcujuſque ſtatum, modis omnibus allice; ea tu quoque, præſertim rationabiliter petentibus, prompto, paterno, & hilari affectu miniſtra. Væ tibi ſi eos ab hoc uſu, præ faſtidio & otio arceas! Attamen eſto fidelis miniſter Chriſti, & prudens myſteriorum Dei, & præcipuè Sacramenti Pœnitentiæ, diſpenſator. Vide dicta, ubi de zelo & modo hujus Sacramenti adminiſtrandi, *pag.* 193.

Cùm præceptum ſumendi Eucharistiam obliget adultos in quovis probabili mortis periculo, vide nùm pueri qui numquàm eam ante ſumpſerunt, ſed qui in hoc mortis periculo verſantur, ſat diſcretionis habeant ut ad illam ſumendam tunc obligentur, ne tuâ culpâ tantum tranſgrediantur præceptum.

Plora idemtidem inter veſtibulum & altare, ut fias in tempore iracundiæ reconciliatio; apprehende diſciplinam nequandò in te iraſcatur Dominus, pereas ipſe de viâ juſtâ, & reprobus efficiaris.

Quid eſt parochus ſine oratione? eſt miles ſine armis; eſt animalis homo, non percipiens ea quæ ſpiritûs Dei ſunt. Inſta

ergò, chariſſime Frater, inſta orationi, & fies idoneus & potens inſtare miniſterio verbi; hauri ex fontibus Salvatoris, & præcipuè ex ejus ſuaviſſimo corde, lumina flammantia & ſacram illius unctionem animas convertentem.

Benevolentiam & fiduciam animarum tibi modis omnibus concilia. Quapropter, curam habe de bono nomine; ne agas familiariùs cum Laïcis, nec apud illos comedas; ſed præſertim opus eſt ut nuptiarum evites convivium. *Conc. Agath.* Ne exigas debita nimis aſperè; erga pauperes & ægrotos, præſertim verecundos, indue viſcera miſericordiæ. Vide dicta ubi de eleëmoſynâ, *pag.* 146.

Cùm è duobus malis minus ſit eligendum, neceſſe eſt interdùm tolerare aut diſſimulare, ſaltem ad tempus, aliquid mali ad præcavendum gravius. Qui diſſimulare neſcit, præeſſe neſcit. Cave, ne attendens exhortationi, prolixior ſis, ne ingeneres faſtidium, & ut auditores ſint ſemper ad te audiendum parati. Cave etiam ne cum fidelibus tibi commiſſis litiges, ſaltem quoad fieri poterit; nihil eſt quod à fiduciâ magis avertat; &, ſublatâ fiduciâ, nihil prodeſt.

Doce obſtetrices modum adminiſtrandi Baptiſmi Sacramentum; ex hoc pendet interdùm æterna infantium ſalus. Quid ergò hâc tuâ diligentiâ dignius?

Species Euchariſtiæ idemtidem renova; & ſæpiùs per æſtatem. Hùc ſpectant munia tua.

Invigila ut præceptor ſuo fungatur officio. Heu! Quot quantaque mala ex negligentiâ, ignorantiâ, & pravo exemplo pædagogorum oriuntur in Republicâ, & in Eccleſiâ Dei? Tuum eſt hæc prævenire mala.

Ne te pigeat viſitare infirmos, ut per verba bona, per verba conſolatoria, percipiant immarceſſibilem gloriæ coronam. Væ tibi, ſi in tam difficili luctâ, & in hoc tempore malo ex quo pendet tota æternitatis cauſa, illos deſerueris! Iterùm monemus & obſecramus te per miſericordiæ viſcera, ut agoniſantes dirigas in viam ſalutis æternæ; hinc tu ipſe in charitate Chriſti & fidelium firmaberis. Vide dicta ubi de viſitatione & curâ ægrotorum & agoniſantium, *pag.* 212.

Vide, ne redditus Fabricæ & Sodalitatum diſſipentur. Exige quotannis rationem ab his qui eorum adminiſtrationem habent, præſertim ſi ita præcipiat Epiſcopus.

Da operam ut Statuta Diœceſeos & decreta Viſitationis obſerventur; obligant enim in conſcientiâ. Interſis ipſe collationi ſingulis menſibus fieri ſolitæ; hæc enim eſt Clericis deſidioſis & ignaris ſtudendi incitamentum.


Defende jura tui beneficii, & fidelium fundationes. Cura pariter ut pia legata impleantur.

Tandem, ſi Deum timueris, cætera quantùmvis levia munia non negliges: in his eſto; in his ſiquidem ſita eſt ſanctificatio tua.

Quapropter, inhæreant animo hæc verba consolationis plena: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt. Qui benè ministraverint, bonum gradum sibi acquirent & multam fiduciam, quæ est in Christo Jesu.*

Igitur viriliter age & confortetur cor tuum; & licèt populi quos erudies ad justitiam, durâ cervice & incircumcisis cordibus Spiritui Sancto resistant, nec obediant veritati, percipies tamen coronam justitiæ; Deus enim à te non exigit curationem, sed curam. *S. Bern.*

Beatus populus qui talem habet qualem hîc descripsimus Pastorem! Nam sicut Sacerdotes & Pastores mali, sunt laqueus ruinæ Populi Dei, juxta *Ezech. c. 44.* ita, Pastores boni, ardenti zelo zelati, forma gregis ex animo, & omnibus ovibus omnia facti, ejusdem Populi sunt efficacissima salus, inquiunt passim sancti Patres & Concilia, & ipsa confirmat experientia. Utinam ergò de his juxta cor Dei Pastoribus cunctæ accuratiùs providerentur Ecclesiæ Dei! Certè, tot tantaque mala quæ per sinistræ promotionis ostium intrarunt, & quotidiè in Ecclesiam Dei agminatim irrepunt, non sentiremus. *Conc. Colon.* Videant hujusmodi beneficiorum collatores dicta ubi de Probatione ante ordines, *pag.* 19. & de Ambitione, *pag.* 37.



ARTICULUS III.

Munia Canonicorum & Beneficiatorum circa residentiam in Choro, & scientiam cantûs.

SCiant universi, ex Constitutione Bonifacii VIII. & ex Concilio Tridentino, *Sess. 24. de ref. c. 12.* illos qui non assistunt Horis Canonicis in choro, non acquirere dominium distributionum, exceptis illis quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat.

Verùm, si hæ causæ non adsint, si quæ interveniat fraus, quâ fronte fructus facis tuos? Numquid fraus & dolus debent alicui patrocinari? Minimè. *Innoc. III.* Quare? Quia qui facit in fraudem legis, contra ipsam legem videtur facere. *Glosa in C. Quanto.* Unde, non obstante quâvis remissione & collusione, his fructibus carere debes. *Trid.* Quòd si eos acceperis, hos restituere debes.

Insuper, cùm teneantur omnes, in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis reverenter & distinctè devotèque laudare Deum, *Trid.* & cùm cantus & soni graves & pii esse debeant, ut ad pietatem auditores excitentur, (*Concil. Mediol.*) nonne facilè contingere potest ut tenearis ad restitutionem, si officium irreverenter persolvas, ac si in cantandis Horis tibi nimiùm blandiaris; si hùc illùc rotans ocu-

los, & confabulans, vel præ tædio dormitans, vel diligens verba præcipitationis & voces inordinatas, recites aut cantes Horas Canonicas, & assistas Missis pro defunctis, & aliis functionibus, absque debitâ attentione? An tibi latet orationem absque attentione non esse veram orationem, sed orationis simulationem, sicut homo pictus non est verus homo, sed hominis simulachrum? Quoties etiam contingit ut Punctator, qui absentes absque causâ à Choro, aut perfunctoriè præsentes non notat, periclitetur ipse multùm, & teneatur ipse ad restitutionem?

Redi ad cor, charissime Frater; hæc omnia peccata districtiùs scrutare, & sinceriùs confitere, eaque restitutionibus & eleëmosynis redime ac remedium adhibe; judicia Dei abyssus multa.

Quid sentis de pravâ consuetudine quorumdam Clericorum, qui, desinente campanarum sonitu, ad Ecclesiam accurrunt, &, instar venatoris canis, hiante ore spiritum trahunt? Qui gloriâ Dei nullatenùs allecti, sed potiùs, ut loquitur Isaïas, diligentes munera, & sequentes retributionem, in Chorum non intrant, nisi inchoato officio, nisi cursim, irreligiosè, mente vagâ, nec tantillùm ad orationem præparatâ animâ, quasi in cœnaculum intrarent, aut ad circulos convolarent? Quid de his sentis?

Quid de his qui, inter psallendum, sæpè sæpiùs exeunt è Choro, non necessitate, sed animi levitate, & rerum divina-

rum fastidio? Quid de his qui ex eodem Choro & ex Ecclesiâ festinanter egrediuntur nondùm persolutis horis? Nonne, ipso tuo judicio, illud est tepidi, fastidiosi, negligentis, otiosique animi indicium? Annon hoc est avari, mercenarii & irreligiosi personam præ se ferre, scandalum & risum movere? Ita sanè. Reverà, hæc omnia vident & dolent ipsi Laïci, simul & horrent, & blasphemant; super his obstupescunt cœli, & irascitur Deus; numquid impunè irrideri potest? Nonne tamen ex illis es qui, ipso tuo judicio, reprehendendi & vituperandi sunt? Vide nùm opera tua te manifestum faciant, nec ne?

Igitur, charissime Frater, ab hâc pravâ consuetudine abhorreas, velimus. Cùm itaque hora Divini Officii celebrandi aderit, cum omni alacritate primus in excubiis Domini inveniri studeas. Ecclesiam ingrediens, frontem aquâ benedictâ asperge, & te signo crucis devotè muni. *Conc. Bituric.* &, adorato Deo, præpara animam tuam ad orationem.

Ne umquàm Chorum ingrediaris, nisi Chori vestibus indutus, non quidem sordidis & laceratis, aut vanitatem redolentibus, sed mundis, decoris & modestis.

Dùm superpelliceum induis, cogita quam personam sustineas, nempè à sordibus labeque puram, qualem vestibus illis indicas. *Conc. Mediol.*

Ne properanter in Chorum, quasi distributionum questu incitatus, accedas, sed gravi incessu. *Idem.*

Cùm in Choro fueris, gravitatem ſerva quam locus & officium expoſcit. *Conc. Senon.* Pro temporis & officii ratione, ex inſtituto & more Eccleſiæ ſede, ſta, flecte genua, caput aperi, ſubmitte, cæteraque hujus generis adhibeas. *Conc. Mediol.*

Cave ne confabuleris nec rideas in Choro, nec ibi ſis ſomnolentus, nec vageris oculis, nec litteras, libros, aliave ſcripta legas; incompoſito ſitu ne ſtes aut ſedeas, ne hùc illùc movearis. *Conc. Aquenſ.*

Ne Horas Canonicas privatim abſolvere audeas, ſed concine, ac unà cum Fratribus Deum honorifica; contrarium faciens, tamquàm abſens habendus es. *Conc. Trev.*

Pſallens Deo tuo, ante cujus conſpectum ſtas, pſalle ſapienter; id eſt, non curſim, non perturbatè, non oſcitanter, ſed leniter, diſtinctè, ac ſtudiosè; non ad vanam gloriam & popularem adulationem, ſed ad gloriam Dei & populi ædificationem; canta Domino, canta canticum novum, id eſt, piè, graviter, ſtrenuè & religiosè; ut in omnibus honorificetur Deus, ac dirigatur oratio tua ſicut incenſum in conſpectu ejus.

Cave ne ex Choro exeas niſi perſolutis horis; & in genua ante Dominum pronus, eum adora, ac enixè roga ut animi tui divagationes cæteraſque culpas tibi ignoſcere dignetur, & ut ad orationem te deinceps alacriorem & ferventiorem efficere velit.

E templo egrediens, ambula coram Deo; da operam ut ſis homo ubique internus ad orationem ſemper paratus.

Tandem, cùm ad cantum pium & gravem tenearis, necesse est ut ad illum te assiduè exerceas. Ipsi sutores ad artem suam, quàmvis infimam, non admittuntur, nisi ad illam se diù exercuerint, & nisi illius post probationem periti agnoscantur; tu autem, qui Angelico ministerio te mancipasti, Ecclesiasticum cantum studiosè addiscere negligeres? Proh pudor! Annon à Choro eliminandus, & distributionibus privandus esses? Jure meritò. Quarè? Quia cantûs inscius, & inordinato cantandi modo Deum inhonoras, populo tædium affers, eumque à divinis avertis. Proh scelus!

Da te ergò virum qui psallendi sit sciens; scias & tu cantum, charissime Frater. Si habueris fidem, illum quotidiè adibis, illumque tandem, quantùm talenta permiserint, callebis, ut virili sonitu & affectu voces Sancti Spiritûs depromens, ad flammam pietatis animos ardentiùs movens, suavitate lectionis ac melodiæ doctos demulcens & minùs doctos erudiens, & ut ipse convenientissimâ modulatione commotus & liquefactus in hâc vitâ, canticum novum ante sedem Agni cantare possis.

ARTICULUS IV.

Modus canendi vel recitandi Horas Canonicas. Ex Psalt. Rom.

I. PUrâ mentis elevatione, id est, intellectualiter, quia stas in conspectu Judicis, Angeli Custodis, & inimici tui persequentis.

II. Plenâ cordis attentione, id est, affectualiter, desiderando ut Deus laudetur, cœlestis curia lætetur, totus mundus juvetur.

III. Perfectâ oris pronuntiatione, id est, integraliter, ut nihil prætermittas dicendum, superaddas, inordinatum hinc indè transponas.

ARTICULUS V.

Exhortatio ad Psallentes. Ex eod. Psalt.

Cum Domino psalles, psallendo hæc omnia serves.

Dirige cor sursùm, benè profer, percipe sensum.


Spires in medio, pede juncto, deprime vultum.

Versus posterior videat finem anterioris.

Non vox, sed votum, non consona musica, sed cor.

Non clamor, sed amor, Domini pertingit ad aures.





CAPUT SEXTUM.

Media Clericis omnibus perutilia ad perfectionem & salutem æternam consequendam.

ARTICULUS I.

Solitudinis amor.

NOn in commotione Dominus; quapropter, quandò ad cor sponsæ loqui dignatur, eam in solitudinem ducit, ut ipsa claudens aurem ad vocem foris sonantem, audiat veritatem ejus intùs docentem; & ut clausis oculis ad exteriora, cœlestia penetret & interiora. In montem sæpè ascendens Jesus, discipulos suos in hâc solitudine docebat. Hinc, Propheta Regius elongans se, manebat in solitudine; ibi fiebat sicut passer solitarius in tecto. Hinc Job & alii sanctissimi viri, tùm veteris, tùm novi Testamenti, faciebant sibi solitudines ubi gaudia futura jam prægustabant.

Eïa ergò, Sacerdotes, qui orationi & ministerio verbi instantes esse debetis, fugite de medio Babylonis, salvamini à generatione istâ pravâ, excutite pulverem pedum vestrorum, venite in solitudinem, & ibi audite quid loquatur in vobis Dominus Deus; audietis siquidem arcana verba quæ non licet homini loqui. Venite, gens sancta,

ut repleamini Spiritu Sancto, ſicut diſcipuli Domini, & renovemini ſpiritu mentis veſtræ; vos præſertim mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Sed heu! Quidquid loquamur, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum, id eſt, ipſimet Sacerdotes hùc & illùc vagantur; ad conſortia Laïcorum, imò & mulierum, ſæpè convolant, ubi ad nihil aliud vacant niſi aut dicere, aut audire aliquid novi; ibi narrant fabulationes, ſed non ut lex Dei; ibi dant offenſionem & vituperari ſinunt miniſterium ſuum. Quàmvis ergò miniſterio verbi inſtantes ſint, quid ipſi ſunt? Cymbalum tinniens. Quid hoc eſt mirum, ſi à ſolitudine & à ſemetipſis abſentes, orationem faſtidiant? Si in multis, ſingulis momentis, offendant; ſi pereant fame, ſi cor eorum areat ſicut terra ſine aquâ? Quoniam ſunt quaſi ſydera errantia, ideò non cognoſcunt peccata quibus contriſtant Spiritum Sanctum, ne quid deterius dicamus.

Sed ſaltem, quia ſicut aqua effuſi ſunt, non creſcunt; nam, ex converſatione ſæculi, frequenter pulvere terreno contingit etiam pia corda ſordeſcere, & ſpiritum ſopiri.

Iterùm admonemus vos, chariſſimi Fratres, ut reſſuſcitetis gratiam quæ data eſt vobis. Huic renovationi confert multùm vita ſolitaria: guſtate & videte. Attamen, ſi charitas Chriſti urgeat vos ut exeatis de ſolitudine, & ut ſic confirmetis Fratres veſtros, non vos pigeat exire; Dominus

enim & Magister adest, & vocat vos ut faciatis ejus voluntatem. Providete tamen Dominum in conspectu vestro semper; regnum ejus intra vos est.

Eïa, mi Jesu, qui fugisti in montem ipse solus, & pernoctasti in oratione Dei, trahe nos: post te curremus in odorem tuum. Sit nobis oppidum carcer, solitudo Paradisus. *S. Hier.* Quis dabit nobis pennas sicut columbæ; volabimus & requiescemus. Absit tamen, mi Jesu, ut in ipsâ solitudine absentes simus spiritu, aut ibi ignaviâ marceamus; sed potiùs, sanctum otium quærat amor veritatis. *S. Aug.*

ARTICULUS II.

Exercitium Meditationis.

UNdè fit ut deficiat sanctus? Quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Quorsùm desolatione desolata est terra? Undè stat & in dies serpit abominatio desolationis in loco sancto? Undè? Quia nullus est qui recogitet corde. O inconsideratio defectuum & vitiorum quibus scatent Clerici fœcunda nimiùm patens!

O si seriâ meditatione recogitare vellent quàm horrendum sit incidere in manus Dei viventis, & quàm durum faciendum sit judicium his qui præsunt, nonne semetipsos districtiùs dijudicarent, & essent sicut Angeli in cœlo, ferventes? Sed quoniam merâ vecordiâ meditationem fastidiunt & negligunt, non percipiunt, tan-

quàm muti & cæci animales, ea quæ spiritûs Dei sunt; quàmvis enim venturi sæculi veritates sæpè legant, easque sciant, ac aliis prædicent, eas tamen non intelligunt, sed in his corrumpuntur. Væ illis! quia in viâ Caïn abierunt & abeunt.

At contrà, beatus vir, & præsertim Clericus, qui in lege Domini meditatur die ac nocte; fit tanquàm lignum quod plantatum secùs decursus aquarum, dat fructum in tempore suo; concalet cor ejus intra se, & in meditatione suâ exardescit ignis; ita ut ressuscitans gratiam quæ data est sibi per manuum impositionem, jam in fide invenitur stabilis, & in opere efficax; jam potens fit multos Christo lucrifacere. Tu ergò, charissime Frater, qui inter sublimia mysteria quotidiè versaris, scito quia illa vix dignè tractare vales, neque muneri tuo dignè satisfacere, nisi per frequens sacræ meditationis studium.

Quapropter, da operam ut meditatio tua sit in conspectu Domini quotidiè, manè & vesperè, aut saltem diluculo. Ut autem tibi sit fructuosa meditatio, abstrahe cor tuum à rebus omnibus; lege ante cubitum puncta meditationis, hæc recole diluculo; & in presentiâ Dei constitutus, præmitte actus fidei & contritionis; pete gratiam & cor docile ad divina eloquia; recogita attentè, seriò, & corde, veritatem aut virtutem quam in exordio meditationis tibi proposuisti. Cave ne sis similis viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; quique abiens, statim oblitus

est qualis fuerit. Excita piis affectibus voluntatem ad odium hujus vitii quo laboras, & ad amorem hujus virtutis quæ tibi necessaria est; propone, pauca tamen ac diffidens tibi & in Deo sperans; proposita strenuè exequere; viriliter age; ne sis quasi homo qui tentat Deum.

Præter orationem mentalem, suademus tibi & vocalem. Militia est vita hominis super terram; ipse circumdatus es infirmitate; in sortem Domini vocatus es, & ad onera periculosa natus; undè, & pro temetipso, & pro populo oportet te semper orare, & numquàm deficere, ut non intres in tentationem, & ut Deus populo suo per te benedicat in pace; undè, ad cœlum manus, oculos, & mentem levabat Moïses, Deum placaturus; undè, sanctus Martinus invictum ab oratione spiritum non relaxabat nec in vitâ nec in morte. Falleris profectò, charissime Frater, si grande ministerium tuum, absque orationis pabulo & præsidio, prout decet, consummare te putes. *B. Laurentius Justinianus.*

Quid ergò sentis de his Clericis, & præsertim Pastoribus, qui post recitatas coactè, cursim, & inordinatè Horas Canonicas, nullum temporis momentum orationi destinant, & qui numquàm orarent, si ad Horas, sub mortali non tenerentur? Quid de te sentis, si, unà cum illis, orationem fastidias? Quid redolet illorum neglectus? Quid sapit tuum fastidium? Quid vobis minatur? Sterilitatem animæ vestræ, & populi

populi illiusque animæ perdendæ periculum. O periculosa negligentia !

ARTICULUS III.

Exercitium præsentiæ Dei.

PRæsentiæ Dei exercitium, est pia ad Deum præsentem attentio ; hæc est ad perfectionem tuta & brevis via, juxta illud : *ambula coram me, & esto perfectus.* Porrò, ambulare cum Deo intùs, & nullâ re teneri foris, status est hominis perfecti. *Imit. Christi.*

O Minister Christi, qui ad perfectionem incessanter anhelare deberes, quære Dominum ut confirmeris ; quære faciem ejus semper ; non longè est à te. Indè, continuam Dei foventi memoriam, dicere licebit cum Psalmistâ : *Providebam Dominum in conspectu meo semper ; oculi mei semper ad Dominum ; apud me oratio Deo vitæ meæ.* Apud te illa debet adesse, tamquàm omnium functionum tuarum socia & comes indivisa.

Hâc de re Religiosum instruens Thomas à Kempis, sic ait : *Surgat tecum oratio nocte de lectulo ; vigilet & cantet tecum psalmos de psalterio ; quiescat tecum in dormitorio ; præcedat & sequatur te in choro ; sedeat tecum in refectorio ; gratias agat, cibo sobriè sumpto ; transeat tecum in agrum in labore diurno ; plantet tecum sepes in horto ; redeat tecum & adsit in cubiculo ; mundet tecum pedes à luto verborum ; lavet tecum manus*

à sorde operum ; comitetur tecum in omni loco privato & aperto ; habitet tecum in silentio.

Hæc autem oratio non est nisi quædam continua in Deum reflexio : hæc est urbs fortitudinis nostræ.

Huic animi recollectioni intende, charissime Frater ; hæc enim externa alia opera aut functiones non impedit, sed dirigit ; hinc semper orabis, & numquàm deficies. Quapropter, solitudini, silentio, sensuumque omnium moderationi sollicitè incumbe, caveasque à curis superfluis, à negotiis secularibus, & ab iniquorum fabulationibus ; studeas puritati conscientiæ & cordis. Hæc sunt murus & antemurale in urbe fortitudinis nostræ ponenda, scilicèt recollectionis animæ.

Hujus recollectionis adminiculo in Deum facilè assurges, eique corde puro & inflammato adhærebis, vibrando hæc & alia in cor dilecti jacula : *Quàm bonus Israël Deus ! O totus amabilis ! Quis mihi det ut diligam te ex toto corde meo, ô dilecte mi ? O pulchritudo antiqua, serò te amavi ! O Deus cordis mei ! O Deus charitas ! Quis me separabit à charitate tuâ, ô Rex meus & Deus meus ? Utinam numquàm peccassem tibi ! Quandò veniam & apparebo antē faciem tuam, ô requies animæ meæ ?* &c.

Ecce tibi compendiosa methodus semper orandi, & numquàm deficiendi. His crebris & ignitis actibus, magis fervet, exurgit, & conditur perfectionis opus, quàm multis

corporis macerationibus, si sanctæ Theresiæ à Jesu credendum sit.

O nimiùm felix, charissime Frater, si hanc sacram animi recollectionem expertus, exclamare possis: *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea.* Ps. 15.

Notandum tamen has & alias aspirationes, corde potiùs quàm ore, emittendas esse, & satius esse, si spiritus spiret, uni tantùm acquiescere, ut in corde altiùs figatur, & magis condiatur devotio interna.

ARTICULUS IV.

Exercitium Mortificationis.

OPortuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam; quapropter, posito sibi gaudio sustinuit crucem, passus est, nobis relinquens exemplum ut nos, præsertim Sacerdotes, sequamur vestigia ejus. Ubi sum ego, inquit, illic & minister meus erit. Est-ne servus supra Magistrum? Numquid prædestinandi sunt illi qui imagini Filii Dei conformes fieri renuunt? Minimè. *Rom. 8.*

Hinc D. Paulus, fidelis imitator Christi, non judicavit se scire inter fratres, nisi Jesum-Christum, & hunc crucifixum. Hinc illius stigmata in corpore suo portans, suumque corpus castigans, illud in servitutem redegit. Hinc cæteri Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contu-

meliam pati, & plantaverunt Ecclesiam sanguine suo. Hinc Sanctus Carolus Borromæus, mortificationem Jesu in corpore suo semper circumferens, adeò sobrius erat, ut verè dici potuerit *non manducans neque bibens*.

Sed & nos non poterimus bibere calicem quem ipse Dominus bibit, quem & Apostoli biberunt? In hoc tamen positi sumus. Nùmquid Fratres nostri ibunt ad pugnam, & nos hìc ignavè sedebimus? Proh pudor!

Præthereà, si ipsi non adimpleamus ea quæ desunt passionum Christi in carne nostrâ, quâ fronte adhortari valemus populos ut crucifigant carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, & ut faciant fructus dignos pœnitentiæ? An credent nobis? Annon potiùs adhortationes nostras irridebunt? Præthereà, quomodò fiemus in tempore iracundiæ reconciliatio? Quonam ausu, inimici crucis Christi, gloriamur nos diligere Jesum-Christum crucifixum? Quâ temeritate ejus delicias & vitam spiritualem statui nostro adeò congruam, speramus? Quid mirum, si, à mortificatione abhorrentes, vivamus velut animales?

Resipiscamus, Fratres charissimi, aspiciamus in auctorem fidei & consummatorem Jesum; charitas ejus & exemplum urgent nos. Æstimati ergò sicut oves occisionis, mortificemur propter eum totâ die; ac in flagella parati, in cinere, cilicio & jejunio pœnitentiam agamus; præsertim, si ita suadeat vitæ nostræ dux. Sed saltem,

ſobriè, & juſtè, & piè vivamus; utamur parciùs verbis, cibis, potibus, ſomno & jocis. Propheta David multùm extollitur quòd aquam de ciſternâ Bethlehem ſibi allatam, in ardentiſſimâ ſiti nolens bibere, libaverit eam Domino. Similes occaſiones nobis ſæpiſſimè offert Deus; has nos, utpotè Sacerdotes tepidi & ignavi, elabi ſinimus. Proh ſocordia! Nos ſoli ſumus, qui cum hominibus non flagellamur, nec cum Apoſtolis, nec cum ipſo Dei Filio. O miſeros nos!

Bellum aliquandò tandem inferamus corpori noſtro, tamquàm inſenſiſſimo hoſti, & abſtineamus nos à carnalibus deſideriis quæ militant adversùs animam; præſertim, abnegemus noſmetipſos, & propriæ quotidiè reſiſtamus voluntati. Denique licèt ab hominibus colaphiſemur, ſufferamus, patienter ſuſtinentes; per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Non eſt alia ad vitam via.

Verùm, ſi acriori egeamus calcari, adhæreant animo hæc omnia graviſſima verba: *Si ſpiritu, facta carnis mortificaveritis, vivetis; ſi compatimur, conglorificabimur; ſi verò ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Qui invenit animam ſuam in hoc mundo, perdet eam. Recordare quia accepiſti bona in vitâ tuâ; ideò cruciaris. Quantùm fuit in deliciis, tantùm date illi tormentum.* Nunc eligamus.



ARTICULUS V.

Lectio Librorum pietatis.

QUis de ſacrorum Librorum lectione fructum ſatis explicare queat ? Etenim verum eſt quod de illis Thomas à Kempis dicit : *Docent ignaros , arguunt otioſos , excitant torpentes , ſtimulant dormientes , corrigunt errantes , erigunt corruentes , terrent ridentes , conſolantur lugentes , laudant humiles , vituperant ſuperbientes , conſortant debiles , reprimunt præſumentes , mitigant turbatos , lætificant triſtes , juſtificant pios , damnant perverſos.*

Quot tamen ſunt Clerici qui , curioſa , ſecularia , & faceta legunt avidi ; utilia verò & ſalutaria legere faſtidiunt ?

Tu veró , chariſſime Frater , cur non illa tempora quibus ab Eccleſiâ vacas , lectioni impendas ut Chriſtum audias ? Illum alloquimur cùm òramus ; illum audimus cùm divina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis ? Miniſterium , altari Chriſti , non hominibus deferendum , accepimus. *S. Ambr.*

Attende lectioni , iterùm monemus cum Apoſtolo , & præſertim illorum Librorum qui de his quæ ad Sacerdotale munus ſpectant , & te inſtruere poſſunt. Scrutare Scripturam Sacram , quæ , utpotè divinitùs inſpirata , ad omnia utilis eſt. Tolle hos libros & lege ; hujuſmodi lectiones multos Chriſto pepererunt. Teſtis eſt S. Igna-

tius; teſtis S. Columbanus; teſtes Aulici illi de quibus Sanctus Auguſtinus. Idipſum experire.

Optimè uteris lectione divinâ, ſi tibi eam adhibeas ſpeculi vice, ut tibi, velut ad imaginem ſuam, anima reſpiciat, &, vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. *S. Aug.*

Quapropter, 1°. Pete gratiam à Patre luminum.

2°. Certa ſit & ordinata lectio; vagam & deſultoriam fuge. Faſtidioſi ſtomachi eſt, multa deguſtare, nulli certo ferculo acquieſcere; ſic inquinatur magis corpus, quàm ſanatur. Illa tamen quæ te magis concernunt, & affectus, moreſque tuos propiùs attingunt, relegere nihil vetat.

3°. Pauca lege, lecta recole, non quidem curſim, perfunctoriè, vel ſtudii & recreationis causâ, vel curiosè agens, ut quidam, & nihil operans; ſed tractim, ſerió, attentè, & animo diſcendi & probandi quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, & cuſtodiendi verbum illius, ut Miniſterium implere, & te ipſum ædificare poſſis.

4°. Pios affectus lectioni congruentes elicere ſtude, ut fructum det in tempore ſuo; aliàs inanis erit lectio, quæ quidem intellectum illuminat, ſed affectum non inflammat.

5°. Eloquia Dei abſconde in corde tuo, & para ſagittas in pharetrâ, ut per diem ſagittes & elicias, cùm opus fuerit, actus jaculatorios.

6°. Claude lectionem brevi aspiratione in Deum, ut semen in terram bonam cordis tui jactam, servet ac fœcundet.

ARTICULUS VI.

Pia frequentatio Sacramenti Pœnitentiæ.

QUid magis ad perfectionem confert, quàm frequentare sæpè & piè Sacramentum Pœnitentiæ? Hâc frequentatione, non solùm liberamur à peccatis, sed etiam ab his præservamur; insuper, conscientiæ pacem ac serenitatem cum vehementi spiritûs consolatione percipimus; & quàmvis peccata venialia in quæ frequentiùs labimur, taceri citra culpam possint, rectè tamen & utiliter citraque omnem præsumptionem, in confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat. *Trid. Sess. 14. c. 3.* Hinc, conscientiam teneram & delicatam sibi parant.

Undè tamen fit ut tot Clerici hunc thronum gratiæ non nisi raró adeant? Undè? Quia se ipsi seducentes, sibi & aliis liberè dicunt: *Peccatum non habeo.* Est-ne in eis veritas? Heu! In multis quotidiè offendimus omnes; septies in die cadit ipse justus; ipsi autem, quàmvis tepidi & effusi, nihil sibi per totum mensem conscii sunt! O beati viri, si illis Deus nullum imputaret peccatum, nullumque in eorum spiritu & corde videret dolum!

O! si onera sua, humeris Angelicis formidanda, diligentiùs excutere vellent, &

conſcientiæ ſuæ ſinus & latebras explorare, ut præcipit Trid. viderent reptilia quorum non eſt numerus ; viderent forſan abominationes peſſimas ; ſed quoniam extra ſe errant, nec cogitant corde, ſe ipſi libenter excæcant, & multa peccata ut meros ſcrupulos, deponunt, imó & reſpuunt ; hinc ad altare ſecuri nimis convolant. O periculoſa cæcitas ! O fallax ſecuritas ! Nonne & tu es ille vir, à te, & à Dæmone illuſus ? Redi ad cor.

Alii quidem hoc Sacramentum frequentant ; ſed heu ! aridâ conſuetudine ; curſim, & perfunctoriè, abſque vero dolore & firmo propoſito. O quàm metuendum eſt, ne, fœdè pœnitentes, & hâc ſecundâ poſt naufragium tabulâ abutentes, miſerè in æternùm pereant.

Tu verò, chariſſime Frater, confitere quidem ſæpè, ſed ſemper, quaſi poſt confeſſionem moriturus. Da ergò operam ut ex fructibus tuis cognoſcaris verè pœnitens & homo bonæ voluntatis ; quàm ſerena pax dabitur tibi ! Quapropter, quàm diligentiſſimè poteris, ad verum dolorem & ad amariſſimam animæ tuæ amaritudinem te excita. Inſuper adhibe omnia emendationis media quæ tu ipſe pœnitentibus ſuggeris ; & ſic, Medice, cura te ipſum, ne de ore tuo judiceris.

Utere ſemper, quoad poteris, eodem Confeſſario, qui animæ tuæ vulnera experientiâ ſuâ cognoſcens, his efficaciùs medebitur. Quod ignorat medicina, non curat. *S. Hier.* Attamen, ſi commodè fieri

potest, ne eligas, neque assumas in Confessarium tuum vel in ducem, illum Sacerdotem cujus tu audis confessiones, vel quem dirigis, ut ille te liberè corrigere & dirigere possit.

ARTICULUS VII.

Habere Directorem, & illi in omnibus obedire.

ITinera insipientium recta sunt in conspectu eorum, sed à Domino reprobantur. *Prov.* 12. Sunt viæ quæ videntur homini rectæ, & novissima eorum ducunt ad mortem. *Ibid.* 16. Quoniam naturaliter quisque seipsum amat, & quia in se ipsum quisque propensus est, ideò, in veritatis judicio fallitur. *S. Basil.* Undè sic de se loquebatur S. Bernardus: *Amor privatus, quem erga meipsum habeo, aufert mihi verum judicium de me ipso; idcircò, parùm mihi credo de meipso, utpotè homini mendaci.* Undè, unus & solus error latet in viâ, scilicèt sui ipsius gubernatio, cùm quisque sibi idoneus ad se regendum & moderandum videtur. *S. Joan. Clim.* Undè, consiliariis omnes opus habent, etiamsi Moïsi conferri possent. *S. Chrisost.*

1°. Tirones, ut doceantur quæ ignorant, ut exerceantur in operibus virtutum, custodiantur ne in peccatum labantur, & ut lapsi corrigantur. *S. Bonavent.*

2°. Clerici & Sacerdotes, ne incidant in tentationem & in laqueum Diaboli, &

ne infructuosè Ministerium suum exerceant, neque honorem Dei zelent imprudentes.

3°. Ipsi Magistri & Prælati, quia Angelus Satanæ, qui nemini parcit, se transfigurat sæpissimè in Angelum lucis, ut ipsos Magistros & Prælatos, aliundè doctissimos viros, periculosiùs seducat. Undè, ad illos etiam spectat monitum istud: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Eccli. 32.

Undè, prudenter judicamus cum D. Bernardo, Sacerdotale onus, Episcopale onus, curamque Pastoralem dignè non posse administrari sine consilio. Hanc viam tenuere omnes Sancti; & breviter, omnes qui ad perfectionem attigerunt. *S. Vincen. Ferrer.*

Huic legi Deus doctissimos & sanctissimos, ad eorum humiliationem subdidit. Illud, exemplo Moïsis, Job, & Cornelii manifestè comprobatur; & quidem manifestiùs exemplo Pauli; Christus enim eum per semetipsum vocans & alloquens, cùm posset ei perfectionis viam reserare confestim, dirigere ad Ananiam mavult, & ab eo jubet viam veritatis agnoscere, dicens: *Surge & ingredere civitatem; & ibi tibi dicetur quid te oporteat facere.* Cassian.

Væ ergò illi qui hanc legem servare nolens, sibi confidit, & solus, sine ductore, incedit; nam leviter incidit in venatorum laqueos, & cùm inciderit, non habet sublevantem. *D. Gebhar.* Hinc fit, ut plures Clerici, Sacerdotes, animarum Pastores, & Prælati, totâ vitâ tepescant, defectibus

sordeant, in errores labantur, & ut tandem, illusione diabolicâ à summis ad ima dejecti, & incorrigibiles facti, moriantur, suâ præsumptione excæcati, in peccatis suis.

Sed & tu, charissime Frater, quid fecisti miser quandò te tibi Magistrum constituisti? Stulto te discipulum tradidisti; *S. Ber.* Quid insuper fecisti quandò tibi dux factus es? Heu! Cùm tibi dæmon factus fueris, jam non indiges dæmone tentante. *S. Joan. Clim.* Quid es sine ductore? Navigium rectore carens, ventorum flatibus commissum, & ad scopulos allidendum; es cæcus sine duce, grex sine pastore, infans sine patre, & ægrotus sine medico, *S. Joan. Clim.* Es dux in præceps. *S. Aug.* Verùm, quò te ductura est illa prudentia, cui firmiter inniteris? Quò! Ad illusionum abyssum, ad fœdos lapsus, ad cæcitatem spiritûs, ad duritiam cordis, & ad secundam mortem; abyssus siquidem abyssum invocat. Vide nunc, vide barathrum tibi imminens. Ecquandò ergò cavebis tui judicii superbissimas & periculosissimas tentationes? *S. Aug.* Quòusque tandem respues directionis legem pro ipsis eruditissimis & sanctissimis viris conditam?

Huic legi ex nunc acquiesce, quàmvis Sacerdos sis, potens in opere & sermone, aliosque dirigere optimè valens, cùm aliundè sis homo fictilis, & ad tibi adulandum pronus; elige tibi vitæ ducem; elige, si fieri potest, unum ex millibus, ut suadet S. Theresia à Jesu; Deum enixè roga ut ostendat tibi hunc Ananiam doctum, sanum

in ſide, irreprehenſibilem, interiorem, maturum, & peritum. Simul ac inveneris hunc ducem juxta cor Dei, aperi illi candidè & ingenuè ſinus & latebras conſcientiæ tuæ, tuique cordis vel minimas inclinationes; & tuæ prorsùs voluntati renuntians, ejus te gubernationi omninò committe; tu autem ſis ei in omnibus docibilis corde, ut parvulus. Profectò ille, à Deo illuminatus & confortatus, diriget pedes tuos in viam pacis, ad animæ requiem temporalem & æternam.

O felix ſolatium vitæ! *S. Ambr.* optanda tranquillitas animæ! O beata ſervitus, imò glorioſa libertas! *S. Bonav.* O regia via, obedientiæ via, quia homines inoffenſo pede ducit ad ſummitatem! *S. Vinc. Fer.* O certum prædeſtinationis indicium, habere Directorem ſanctum & peritum, eique in omnibus obedire! Chariſſime Frater, S. Franciſco Saleſio, & S. Thereſiæ à Jeſu, id fortiter aſſeverantibus & expertis, crede.

Nonne ad hæc audita inardeſcit animus tuus? Hoc nos quidem credimus; ſed, heu mihi! forſan anxius reſpondebis nobis: *Hominem non habeo.* Non turbetur cor tuum, chariſſime Frater; non eſt abbreviata manus Domini; habeas bonam voluntatem; & idem Dominus qui Cornelium Petro tradidit imbuendum, & Paulum Ananiæ, providebit & tibi vitæ ducem; tu verò, *ſi quæris, quære.* Hæc eſt via quæ ducit ad vitam.



ARTICULUS VIII.

Examen particulare.

VIs, chariſſime Frater, defectus tuos tuaque vitia pleniùs cognoſcere, eaq; ad fundamentum uſque exinanire ? Utere quotidiano examine particulari ; Dominus ipſe, Dominus exercituum, dans tibi fortitudinem, conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes ; non enim tu poſſes eas delere pariter.

Quot Clerici tandiù in tenebris non ſederent, & poſt multas confeſſiones, ad vomitum non reverterentur, nec pejores fierent, ſi hoc exercitium non negligerent aut parvipenderent ? Tu verò, chariſſime Frater, ſapientior ſis ; aggredere illud vitium ad quod magis pronus es, & à quo cætera pullulant. Adhibe aliquam mortificationem, contraria contrariis curare contendens. Exempli causâ : ſi ſuperbus ſis ; humilia te in omnibus ; ſi avarus, uberiores eleëmoſynas conclude in ſinu pauperis ; ſi luxurioſus, humilia in oratione & jejunio animam tuam ; ſi iracundus, ſilentium ſerva, ut iraſcens non pecces ; ſis verò mitis corde, &c.

Si his clypeis & ſcutis bonæ voluntatis munitus, adversùs hunc Amalecitam legitimè certaveris, Deus dabit tibi victoriam per Jeſum-Chriſtum ; invenies requiem animæ tuæ, & coronaberis. Ex nunc ergò incipe.

ARTICULUS IX.

Recollectio annua per octiduum, vel unius diei ex singulis mensibus.

QUàm fructuosa sit hæc mentis solitudo ac recollectio ad totius vitæ directionem, non nisi experti intelligere valent. Undè, non est mirum quòd, ut ad sacram illam recollectionem nos alliciant summi Pontifices; copiosas, huic vacantibus, impertiantur indulgentias, & præcipuè Benedictus XIV, ut constat ex ejus diplomate, dato die 16. Decembris 1746. Christus ipse elegit recollectiones & adamavit, illarum nobis relinquens exemplum, sive in deserto per quadraginta dies commorans, à Spiritu illùc ductus, sive in montibus pernoctans in oratione. Hanc adamarunt Apostoli, & in eâ repleti sunt Spiritu Sancto. Hanc elegerunt S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Salesius, & alii magni Sacerdotes ac Pastores juxta cor Dei. In illâ, spoliati veteri homine, induerunt novum, & facti sunt lucerna lucens & ardens.

Hanc elige & adama, charissime Frater. Quid facis in turbâ? *S. Hier.* Veni in desertum locum, & acquiesce pusillùm; aut saltem fac tibi solitudinem in conclavi tuo, ac piis exercitationibus per aliquod tempus in hoç secessu animum excole; ibi aër est purior, liber scilicet à peccatorum lue, à tentationum contagio,

à sæculi illecebris, à Dæmonum halitu pestilenti; ibi cœlum est apertius; ibi, familiarior Deus, faciliùs invenitur; ibi omne bonum in suo fonte gustatur; ibi tandem anima semetipsam cognoscit, remissum fervorem resarcit, quæ sit voluntas Dei perspicit, ad Clericalis virtutis apicem pervenit. Veni ergò, propera, sede solitarius & tace, & levabis te supra te.

Vos præcipuè, Rectores animarum, summi Pastoris Christi vestigia imitemini; interdùm declinate tumultum fragoremque exteriorum actionum, quæ procul dubio animum distrahunt, eumque per diversa rapiunt; redite veró ad vos & subitè orare in monte, vel in aliquo secessu, vel cœnobio, & spirituali consolatione perceptâ, ad Ministerium vestrum revertentes, eritis in labore alacriores, in administratione sollicitiores, & in omni vestrâ exercitatione devotiores. Nolite excusare excusationes: omnia tempus habent. Quòd si in vestro conclavi non possitis huic divino vacare operi, non vos pigeat exire de Parochiâ, in aliquod sodalitium secessuri, quandòquidem ex eâ, propter recreationes & vana negotia exire non dubitatis. Si bonam voluntatem habueritis, non deerit vobis fidelis Minister quem in locum vestrum substituatis.

Depositis ergò omnibus excusationibus, eliminatis Dæmonum vos seducentium dolis, accedite & illuminamini; gustate & videte; ipse Dominus qui vocat & ducit

vos in solitudinem ut loquatur ad cor vestrum, spiritu intelligentiæ replebit vos; renovabimini spiritu mentis vestræ, & mutabimini in alios viros.

Et verò, finis hujus recollectionis est investigatio, cognitio, ac emendatio defectuum, eorumque radicum extirpatio, efficax renovatio mentis & fervoris, absoluta totius vitæ ad unum necessarium directio, & seria ad mortem præparatio.

Habetis in hoc libello, & in præparatione proximâ ad mortem, varia quæ meditemini puncta; aut si ita expedierit vobis, eligite alios libros, devotioni vestræ magis congruos. Operæ tamen pretium ducimus, hic suppeditare vobis aliquot documenta, tùm præparationi ad recollectionem, tùm ipsi recollectioni, tùm ejus conclusioni aptatas.

PARAGRAPHUS I.

Præparatio ad Recollectionem.

I. Necessarium est ab omnibus objectis mentem & cor distrahere, & à curis etiam licitis se segregare; quid enim prodesset solitudo corporis, si deesset cordis solitudo & mentis. *S. Greg.*

II. Attamen, juvat locum solitarium eligere, & ibi claudere ostium oculorum, oris, & aliorum sensuum, ut cum solo Jesu in silentio conversans, audire & gustare possis quid loquatur in te Dominus Deus.

III. Expedit ut instituas pugnam specialem contra quasdam inclinationes quæ sunt

origo aliarum imperfectionum & vitiorum.

IV. Cogita salutem & perfectionem esse opus Dei miserentis; quare, diffidens tibi, & fidens in Deo, sine quo nihil potes, & in quo omnia potes, postula enixè ejus auxilium; invoca etiam Sanctorum patrocinia, præsertim Virginis Mariæ, & Angeli Custodis, ut eorum præsidiis, omnem metum vel tædii, vel molestiæ & difficultatis, expellas; visita etiam, in eum finem, Christum Dominum in Eucharistiâ, eique commenda fructum hujus recollectionis, & conjice te in sinum Beatæ Virginis.

V. Memineris necessarium esse ut habeas desiderium efficax tuæ perfectionis, dicens ex abundantiâ cordis: *Domine, quid me vis facere? Ecce ego quia vocasti me. Loquere, Domine, quia audit servus tuus; paratum cor meum ut faciam voluntatem tuam.* Hoc desiderium absolutum & sincerum, est necessarium ut obtineas gratiam, & felicem recollectionis exitum. Si non habueris hoc verum & efficax desiderium, in vanum laboras, quàmvis tibi ædifices solitudines. *Qui te fecit sine te, non te salvabit sine te.* S. Aug. Stude ergò ut ex fructibus cognoscaris velle sincerè tuam perfectionem.

VI. Fideliter observa omnia hujus recollectionis exercitia, eorumque methodum & ordinem; nec reputes leve quod ad tuam perfectionem conducere potest.

VII. Propone tibi aliquem finem particularem, scilicèt, hunc defectum corri-

gendum, vel hanc virtutem acquirendam.

VIII. Quò ferventiùs huic recollectioni incumbas, cogita, hanc occasionem quam tibi Deus offert, esse fortassè postremam; quare, eodem fervore & animo eidem incumbe, ac si sub finem illius diei moriendum tibi esset.

PARAGRAPHUS II.

Ordo Recollectionis.

Horâ 5. Surges.

Sesqui-quintâ. Oratio matutina, Meditatio, Prima & Tertia.

Horâ 7. Præparatio ad confessionem totius mensis præteriti, si recollectio sit tantùm unius diei; si verò sit sex vel octo dierum, expedit ut in decursu recollectionis reçogites omnia peccata totius anni, eaque ultimo die confitearis. Post confessionem autem, Missa aut Communio.

Horâ 9. Meditatio, Sexta, Nona, Lectio, Prandium, & Recreatio.

Horâ 1. post meridiem, Examen particulare, Rosarium, & Consideratio.

Horâ 2. Vesperæ, Completorium, aliqua oratio pro defunctis, & consideratio ad imaginem Crucifixi, ut habetur in Præparatione proximâ ad mortem.

Horâ 3. Meditatio, Matutinum Officium pro crastinâ die.

Sesqui-quartâ. Aspirationes ad petendam beatam mortem, Acceptatio mortis, Actus agonisantium, Protestationes, *si Recollectio sit unius diei*; si autem plurium die-

rum, præfige ultimæ diei hæc mortis exercitia quæ tibi suppeditabimus in libro Præparationis proximæ ad mortem.

Ante cœnam, Visitatio Sanctissimi Sacramenti.

Post cœnam & recreationem, Scriptio fructûs recollectionis, & lectio documentorum pro eo conservando.

Tandem, reliqua exercitia pro singulis diebus inferiùs assignata.

PARAGRAPHUS III.

Documenta ad conservandum Recollectionis fructum utilia.

Claudens Recollectionis diem, gratias age Deo, qui te in solitudinem ducens, locutus est ad cor tuum eloquia ignita; exeas ex hâc solitudine sicut Apostoli, spirans flammam ignis, & factus Diabolo terribilis; sequere tamen ista documenta.

I. Offer Deo proposita tua; eum enixè roga ut eis benedicat eaque fœcundet, confirmando quod operatus est in te, disponendo ascensiones in corde tuo, & te confortando contra impetus inimicorum, ut non prævaleant adversùs te, & ut victor usque in finem perseveres.

II. Cave tamen ne vaga & generalia sint proposita tua; perscrutare & aggredere illud tuum radicale vitium à quo cætera pullulant, quodque tuam perfectionem retardat, & est relapsuum origo. Igitur, oportet ut continuò per totum sequentem mensem omnem curam impendas ad illud

eradicandum. Adhibe ad hunc finem examen particulare, vigilantiam, orationem, pœnitentiam medicinalem, actus contrarios, tui diffidentiam, in Deo spem, & Sanctorum præsidium.

III. Ne animo concidas; imò ne mireris si labaris, aut si non tantùm proficias quantùm optas; terra tua, scilicèt, cor tuum ad malum pronum, dabit fructum suum, & germinabit tibi identidem tribulos & spinas peccatorum. Igitur, si lapsus sis, redeas cum fiduciâ ad Sacramentum Pœnitentiæ; si opus sit, renova propositum tuum; legitimè certa; quotidiè incipe: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris* S. Hier. *Jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur,* S. Ber. *Quinimò, ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum.* S. Aug.

ARTICULUS X.

Collationes frequentes habere de rebus ad pietatem, & ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus.

HUjusmodi Collationes conducunt ad gloriam Dei; stans enim in Synagogâ Deorum, glorificatur in concilio Sanctorum. Hinc, ubi sunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi est in medio eorum. Conferunt etiam ad profectum Clericorum; inter illas siquidem, auditur vox alarum animalium percutientium alteram ad alteram; ibi mutuò ardens fit differen-

tium cor, dùm sibi Scripturas aperiunt; & sicut lapis, licèt frigidus, sæpè ad lapidem concussus, scintillas exilire facit, sic animæ quæ mutuò atteruntur, igne Spiritûs coalescunt.

Præterea, quàmvis utilis sit ad instruendum lectio, adhibitâ tamen Collatione, majorem intelligentiam præbet. Undè, melius est conferre quàm legere; Collatio siquidem docibilitatem facit; nam, propositis interrogationibus, cunctatio rerum excluditur; & sæpè, objectionibus, latens approbatur veritas; quod enim obscurum & dubium est, conferendo citò perspicitur. *S. Isid. Hisp.*

Hinc Christus, cum Apostolis congregatis, de Regno Dei differens, Collationem dici potest cum illis habuisse. *Math. 16. v. 23, &c.* 13. &c. Item *Act. v. 3.* Collationes habuerunt Apostoli inter se; illi enim & seniores convenerunt videre de verbo hoc. *Act. 15. v. 6.* Hinc gratissima erat Fratribus Antiochenis Pauli & Barnabæ præsentia corporalis, quorum Collatione firmabantur in fide. *Cassiod.* Hac quoque secum habuerunt viri sancti, ut patet *ex Regulâ S. Pacho. ex S. Athan. ex Cassian. & Honot.*

Hinc varia Concilia præcipiunt Clericis, & præsertim Parochis, ut crebras habeant Collationes de casibus conscientiæ, de muniis pastoralibus, & de cæteris rebus ad pietatem & disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus; & contumaces pœnis acribus addicunt.

Hinc Collationes Dæmonibus sunt invisæ; Licinius enim, hostis piæ religionis, cùm vidisset in Ecclesiasticis Conventibus summa esse posita præsidia ad tuendam, ornandamque Religionem, Dæmonis impulsu, lege prohibuit ne Antistites ullos Conventus, aut Concilia, aut Deliberationes de utilibus rebus instituerent. *Euseb.*

Hinc, cùm nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesiâ Christi magis depulerit, quàm Sacerdotum negligentia, qui, contemptis Canonibus, ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt; idem fraudulentus Dæmon omnia molitur ut Clericos & Parochos ab his Collationibus avertat; & cùm plerosque hâc in re inveniat docibiliores, jam ipsi Clerici & Parochi, diabolicâ fraude illusi, has fastidiunt Collationes. Quare? Quia à pietate alieni, & aliquâ scientiâ præditi, vel potiùs inani doctrinâ tumidi, sibi persuadent quòd possint Collatione alterius non egere; & si judiciorum eorum diabolica non fallat illusio, elationis tamen & superbiæ graviores laqueos non evadent. Quinimò, derident procaciter simplicitatem Pastorum juxta cor Dei, qui mutuis se invicem sermonibus consolantur; quique vicariâ de divinis Collatione, ad scientiam, ad cultum divinum, ad pietatem, & ad efficacem sui & animarum salutem se suaviter & fortiter inflammant.

Illi autem torpidi, fastidiosi, elati, & animales Clerici & Parochi, si interdùm conveniant: quibus de rebus conferunt in-

ter se? De pretio escarum, & de numero panum. *S. Ber.* De aleis, de commessationibus, de luxu, de otiosis fabulis, histrionum more, differunt; conventicula faciunt ut buccis crepitantibus detrahant & invicem mordeant, indecorè rideant & rideantur, ad sui & audientium subversionem. O præclaræ & sumptuosæ Collationes quas habent inter se hi diaboli fautores, ac spiritualium Collationum impugnatores & irrisores acerrimi! Beatus vir qui non abiit in concilio hujus generis Clericorum, & in viâ eorum non stetit, & in hàc pestilentiæ cathedrâ non sedit!


Judica nos, Deus, & discerne causam nostram de hâc gente nomine sanctâ, sed opere non sanctâ; erue nos de congregatione & de manu horum Ministrorum alienorum, quorum os loquitur vanitatem; dextera eorum, dextera iniquitatis.

Hanc orationem, charissime Frater, frequenter effunde; & ex nunc, hos torpidos & otiosos Clericos, ac stultas eorum & sine disciplinâ quæstiones devitans, in multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & ut proverbia laudis non effugiant à te. *Eccl. 6.*

Quapropter, non solùm intersis Collationibus, singulis mensibus, juxta statuta Diœceseos faciendis; verùm etiam frequenta Clericos qui sint boni testimonii viri, & Christi bonus odor, quibuscum disseras de casibus conscientiæ, de observandis & fugiendis

giendis circa animarum curam, & de adminiculis acquirendæ Sanctorum scientiæ. Noli tamen, inter has Collationes, contendere verbis; altercationes inanes & pueriles non patitur simplicitas; & arrogans vincendi desiderium reprobat ingenua humilitas. Sis ergò velox & attentus ad audiendum, tardus autem ad loquendum, semper paratus ad resistendum proprio judicio, ad sequendam saniorem doctrinam & salubriora consilia, & ad agendum in omnibus ordinatè & modestè, secundùm beneplacitum Christi, ædificationem Fratrum, & ad fidelium tuique profectum.

Insuper, memineris istius: *Amico fideli nulla est comparatio auri & argenti.* Eccli. 6. Elige & concilia tibi hunc fidelem, licèt rarum, probatæ & firmæ virtutis amicum, qui te fiducialiter in eo agentem, suaviter & fortiter corripiat, ac te docibilem corde, monitis suis & exemplis ad virtutem inflammet. Nonne cum hoc fideli & sancto socio & amico sanctus eris? Amicos verò mercenarios, morosos, vagos, adulatores, fastidiosos, in viis suis inconstantes, ac velut lunam mutantes, & ab Ecclesiasticâ disciplinâ abhorrentes, quasi pestem fuge. Annon cum perversis perverteretis?



ARTICULUS XI.

Visitatio frequens & sancta Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento.

CHristus Dominus, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos; ita ut, jam eis reconciliatio factus, & ad Patrem ex hoc mundo discessurus, noluerit eos relinquere orphanos; voluerit verò esse cum illis in hoc Sacramento usque ad consummationem sæculi; & quàmvis lateat absconditus sub specie Panis, est tamen idem verus Deus, idem Filius Dei vivi qui visitavit nos in salutari suo, dives in omnes qui illum visitant & invocant. O quàm suavis est Spiritus ejus! Quapropter, divitias sui ergà nos amoris, velut effundere & omnibus affluenter dare, ardenter desiderans, amanter & jugiter ad suum Sanctuarium, his nos mellifluis verbis invitat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos; venite; properate, haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Venite, effundite coram me corda vestra; sicut fluit cera à facie ignis, sic liquefiet cor vestrum amoris igne ante ardentem cordis mei fornacem. Venite, mecum conversaturi; scietis quàm vehementer ignitum sit eloquium meum. Hìc jam conversatio vestra in cœlis sapidiùs erit; hìc prægustabitis torrentem quo ex meâ præsentiâ inebriantur Beati in patriâ. Venite, filii mei, venite; an nescitis quia deliciæ meæ sunt esse cum filiis hominum? Quid ergò moramini?*

Sed imprimis, ô vos Sacerdotes, quos elegi ut stetis coram me velut amici; vos Ministri mei, vultis etiam abire? O tardi corde ad credendum! unâ horâ non potestis vigilare mecum? O tardi ad amandum! O! si sciretis donum Dei, & quis sit ille qui vos ad Sanctuarium suaviter invitat, nonne pennas columbæ peteretis, ut volantes requiesceretis in me, & cæteros ad me attraheretis? Sed heu! Vos ipsimet Ministri mei, quos ad regale Sacerdotium exaltavi, & quos quotidiano corporis & sanguinis mei pabulo enutrio, non recogitatis corde tantum pietatis meæ Sacramentum; hinc me spernitis; hinc, post expleta cursim & turpis lucri gratiâ, officia, & post celebratum oscitanter Missæ Sacrificium, vos, me relicto, omnes, sicut discipuli, turmatim & ore hiante fugitis, non ampliùs reversuri, nisi propter utilitatem vestram.

Hinc statis totâ die otiosi, & laïcos à Sanctuario meo, vestrâ negligentiâ, vestroque fastidio, arcetis. Sto medius vestrûm; vos verò, præ nauseâ, & præ arido usu, nescitis me. Ipsæ viæ Sion lugent eò quòd non veniatis ad templum sanctum meum nisi coactè & perfunctoriè; ad secularia consortia libenter convolatis; me autem oblivioni datis tanquàm mortuum à corde. Heu vobis! Inter vanas, detractorias, & turpes conversationes me in multis offenditis, & pusillos scandalisatis; ibi facitis vobis cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas; meam autem conversatio-

nem animas consolantem & sanctificantem; fastiditis; me fontem aquarum viventium, derelinquitis. O cæcitas vestra!

Nonne à sæculi amatoribus nimiùm derelinquor? Quid est cur vos qui estis cives Sanctorum & domestici mei, festinatis in domum vestram, dùm domus mea est deserta? Laïci quidem, sæculi curis, prolis educationi, mercimoniæ addicti, & erga alia plurima turbati, faciliùs excusantur; vos verò qui segregati estis in opus ad quod assumpsi vos, ut militetis mihi, ideòque non implicemini negotiis secularibus, quam excusationem habetis? Quòd libidinosi & inimici homines me derelinquant, sustineo utique; vos verò noti mei, dulcem corporis mei cibum capientes! O quàm acerbè vulneratis cor meum!

Videte, Ministri fastidiosi, homines modicæ fidei, videte quàm assiduo & humili obsequio visitentur Reges terræ! Ego verò, Rex Regum, qui ultra quod debui facere, feci, licèt nullius bonorum egeam, ego Dominus dominantium, factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Proh pudor! At vos, ô Sacerdotes qui despicitis Sanctuarium meum, qui vix ad altare meum introïretis, & ad thronum gratiæ, nisi necessitas vos hùc cogeret, nisi alliceret mos mercenariorum fœtidus; ecquandò pigebit vos fungi, tanquàm hilares datores, Sacerdotio meo, & adolere mihi orationum & obsequiorum incensum?

O corda duriora saxis, si his justis & suavibus Christi Domini querimoniis non mo-

veamur; si ad visitandum Dominum gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, & quem ipsi, proni & trementes in hoc Sacramento adorant, non inflammemur, & alios ad idem obsequium, exempli nostri funiculis, non trahamus! Procul à nobis excusationes: nullam habemus.

Excusso ergò tepore fastidium nostrum ingenerante, venite, Fratres, venite; charitas Christi urget nos. Venite, adoremus, procidamus ante Deum qui visitavit nos oriens ex alto; ploremus pro nobis & pro peccatoribus derelinquentibus legem Domini; in hoc positi sumus, ut inter vestibulum & altare plorantes, fiamus reconciliatio. Veniamus ergò, fiducialiter agamus in Jesu Deo nostro, pauca loquentes, & multa meditantes cum simplicitate cordis nostri, sicut solet amicus ad amicum loqui; eum utpotè magni consilii Angelum, familiariter consulamus. Habemus pariter hìc Deum totius consolationis; tribulationem ergò nostram ante ipsum pronuntiemus solliciti & fidentes.

Ibi tandem firmiter credamus, adoremus reverenter, enixè petamus, securè speremus, ardenter amemus, vehementer doleamus, & ab altari, non nisi molestè & inviti, recedamus. Sed ecce brevem hujus visitationis praxim, quam multi etiam rustici, ad confusionem nostram, sequuntur.

I. *Veni in Sanctuarium Dei quandò est magis desertum & adoratoribus vacuum; & pro certo habens Ecclesiam esse domum Dei & domum orationis, reverenter ingredere, di-*

cens cum Psalmistâ : Domine Jesu, introïbo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, & cum fiduciâ confitebor nomini tuo. Munda cor meum ab omnibus vanis, perversis, & alienis cogitationibus; intellectum illumina, affectum inflamma, ut in spiritu & veritate te adorare valeam, & ut jucundum sit tibi rationabile obsequium meum.

II. *Accede ad Dominum Jesum eâdem fide & devotione quâ Pastores & Magi ad eum recèns natum festinantes venerunt; & procidens ànte eum in cujus nomine omne genu flectitur, in hos affectus erumpe.* O Jesu, quàmvis in hoc Sacramento nullum majestatis tuæ splendorem oculis videam, attamen, credo firmiter quia tu es verè Deus absconditus, Deus Salvator, Christus Filius Dei vivi, Judex vivorum & mortuorum; hoc credo, quia tu ipsa veritas dixisti: *hoc est corpus meum.* Adjuva incredulitatem meam.

Tu es Dominus meus, & Deus meus; Rex regum, & Dominus dominantium; tu solus Altissimus, & substantia mea tanquàm nihilum ante te; adoro te ut primum principium & ultimum finem, ut Dominatorem cœli & terræ, & ut Dominum vitæ & mortis. O Jesu, mi Jesu, quàm magnus & laudabilis es! Nonne tibi subjecta jugiter erit anima mea? Dignum & justum est.

O sancti Angeli qui hunc Regem in præsepio jacentem cum stupore adorastis, & jam regnanti in cœlo ad ministerium semper assistitis, quin etiam ipsum altare frequentes & venerabundi cingitis; ô Angeli Dei,

adorate pro me Jesum meum, quoniam tanto muneri impar nimis sum ego, & ille major omni laude; quàmvis imbecillis sim puer, dicam semper: *tantum ergò Sacramentum veneremur cernui*, &c.

III. *Accede, sicut Publicanus, in animo contrito & confusione sauciato, præ dolore singultiens, & pectus præ amaritudine percutiendo, dicens:* Peccavi, Domine, peccavi; scio quòd ita sit. O detestabile monstrum! Ideò non sum dignus nec oculos in cœlum levare. Verùm, ô Jesu mi, ô Jesu misericordia mea, ô Jesu dives in misericordiâ, ô Jesu præstabilis super malitiâ meâ, propitius esto mihi peccatori; & quoniam nefandissimus peccator sum ego & peccatorum primus, supplex oro ut miserearis mei secundùm magnam misericordiam tuam; doleo propter te summè dilectum, doleo quòd tibi soli peccaverim; totâ vitâ deficiat in gemitibus anima mea, &c. *Hoc sacrificio spiritûs tui contribulati, ac cordis tui contriti & humiliati mirificè delectatus Dominus Jesus, te justificatum in pace dimittet.*

IV. *Centurionis humilitatem indue, sic ex abundantiâ cordis proclamans:* Domine Jesu, quàmvis ego te frequenter recipiam, confiteor tamen quòd non sim dignus ut intres sub tectum meum; sed saltem permittas, quæso, ut sæpiùs hîc effundam cor meum coram te qui facis Angelos tuos spiritus, & Ministros tuos flammam ignis; accipe mea adorationum obsequia in supplementum defectuum in frequenti Missæ celebratione commissorum. O nimis felix, si tibi

altiſſimo Deo, vota mea reddendi ſtudioſus, dignus tuis altaribus Miniſter gratiâ tuâ efficiar!

V. *Hunc divinum Sponſum & animarum Zelotem, velut Magdalena contempleris plurimùm juvat.* O Deus cordis mei, Rex meus, & Deus meus, beati qui habitant in domo tuâ! Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Heu vagis illis qui elongant ſe à te! An non peribunt? Ego verò hoc periculum evadendi cupidus, venio ad te, ô ſponſe ſanguinum & refugium meum; hîc ſecuriùs habitabo; hîc requies mea multa nimis. Convolent alii ad mundanas converſationes; ego autem coram te, quoad vixero, aſſiduus & lætus aſſiſtam. Ecquid mihi eſt in cœlo, & à te, ô Jeſu dilecte mi, quid volui ſuper terram? Unus ergò ſit dolor meus à te ſeparari, ô centrum animæ meæ; à te, inquam, quem ex toto corde meo diligo. Quis mihi det ut te ardentiùs diligam, ô Deus charitas! ô totus amabilis! Ex corde tuo erumpat in cor meum perennis amor; tu ſiquidem veniſti ignem mittere in terram; & quid vis niſi ut accendatur?

VI. *Adeas cum fiduciâ, ut cæcus, ut leproſi, & alii ægri; & quàmvis velut importunus increperis, multò magis clama:* Domine, Fili David, miſerere mei; ecce quem amas infirmatur. Ille propter quem homo factus es, ille quem pretioſo ſanguine redemiſti, ille pro cujus amore jugiter in hoc altari reſides, ille quem tuo ſacro corpore in hoc Sacramento quotidiè ſatias, ecce me peccatorum leprâ fœdatum; ipſe vides quo-

modò teneat & angat me febris superbiæ, iracundiæ, &c.

Sed, si vis, potes me mundare. Ergò, ô pie Medice qui languores nostros tuo livore sanasti, & qui es salus mea, sana animam meam quia peccavi tibi; da Domine ut videam, quatenùs detegam quid tibi in me displiceat & desit mihi.

Hic aperi illi tuas infirmitates spirituales, scilicèt, hanc superbiam, hunc teporem, &c.

VII. *Expedit etiam ut, instar adolescentis qui monita salutis à Domino Jesu petebat, sedeas secùs pedes ejus, ut pariter audias loquentis intùs veritatem & documenta.*

O Jesu, qui venisti à Deo Magister, & qui viam Dei in veritate doces, doce me facere voluntatem tuam, &c. Beatus homo quem tu erudieris, &c. Da mihi servo tuo cor docile, ut non tantùm auditor sim verbi tui, sed libentiùs factor, &c.

Hic attentus audi, &, docibilis corde, custodire contende quid loquatur in te Præceptor bonus.

VIII. *Multùm proderit ut, instante tentationum procellâ, ad eum cum Apostolis trepidus confugias.*

Domine, salva me, ecce pereo; impera ventis & mari, & fiet tranquillitas magna; teneat & deducat me dextera tua, ut de tot tantisque periculis erutus, ad portum felicitatis securiùs perveniam. *O salutaris Hostia, quæ cœli pandis ostium*, &c.

IX. *Sed præsertim accede & festina, oraturus fidenter cum Chananæâ.* Tu scis, Domine, quia nescio sæpissimè quid pe-

tam; eia ergò, Jesu mi, doce me orare; recordare, Jesu pie, istius dulcissimi verbi tui: *petite & accipietis.* Da mihi saltem micas mensæ tuæ, scilicèt, cor paupertatis & humilitatis amans, &c.

Hîc avidè pete quod Dominus Jesus tibi magis expedire scit ad suam gloriam & tui salutem.

X. *Recogitans in amaritudine animæ tuæ quàm justè iram Patris æterni, ejusque flagella, propter nimia peccata tua merueris, offer illi dilectum Filium in propitiationem delictorum tuorum, & in plenam cum illo reconciliationem.*

O Pater Æterne, peccavi! Iniquitates meæ, quibus iram tuam merui, clamant de terrâ ad te vindictam; sed sanguis Filii tui efficaciùs misericordiam proclamat. Peccavi! Sed ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Peccavi! Sed ecce Filius tuus dilectus in quo tibi benè complacuisti. Respice ergò in faciem Christi tui, qui factus pro me reconciliatio, se in arâ crucis obtulit quia ipse voluit, & se quotidiè in hoc altari offert in remissionem peccatorum totius mundi; per hunc, supplex oro, Filium tuum, indignationem tuam averte à me, & concede mihi gratias quibus indigeo, ut placeam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Quid mihi in nomine Filii tui petenti denegabis?

XI. *Ecce tibi ingentis meriti satisfactio, cui, Feriâ V. cujuslibet hebdomadæ incumbere opere pretium erit. Ad genua ergò pronus ante altaris Sacramentum, & reconciliatio*

pro te & pro Populo faciendus, sic, in animo contrito ingemiscens, ora veniam.

O Jesu! Quandò ex unâ parte recogito corde hanc tuorum mirabilium quàm fecisti memoriam; & ex alterâ, abominationem desolationis stantem in loco sancto tuo, & hanc stupendam & adeo abundantem iniquitatem tot ingratorum hominum, & præsertim tot Clericorum & Sacerdotum, fio mihimetipsi gravis, confundor, obstupesco, fremo in memetipso.

Verùm, ô Jesu mi, qui hæc improperia in horto recogitans, factus es, præ dolore, in agoniâ, reple cor meum amaritudine amarissimâ, ut vero & amaro contritus dolore, possim tibi ineffabiliter offenso satisfacere.

O Jesu! Tabescere me facit zelus meus, quia tot infideles & hæretici hoc divinum Sacramentum vel nolint pertinaciter credere, vel illud servire faciant iniquitatibus & abominationibus suis pessimis. Proh dolor! Tabesco, quia, ô Rex excelse præ omnibus regibus terræ, es in hoc Sacramento ab ipsis fidelibus tuis derelictus, oblivioni datus tanquàm mortuus à corde; doleo quia in templis pauperibus habitas, intereadùm privatæ domus splendidè ornantur; amarè plango, quia Filio tuo ibi præsenti, Sacrosancto Missæ Sacrificio non nisi irreverenter assistant, faciendo domum tuam domum negotiationis & speluncam latronum; tristis est anima mea, quia iidem ingrati filii sacrum hoc convivium tanquàm levissimum cibum fastidientes, ad Ægypti convertun-

tur cæpas, & ſiliquis porcorum delectantur; exitus aquarum deducant oculi mei, quòd plerique, velut proditor Judas, manducent & bibant indignè, fiant rei corporis tui, & ſic judicium ſibi manducent & bibant.

Sed heu! Quantò vehementiùs doleo & dolere cogor, quia ipſi Miniſtri & noti tui, adeò exaltati & quotidiè enutriti, magnificent ſuper te ſupplantationem, ſpernant te, Rex meus & Deus meus, celebrando Miſſæ Sacrificium curſim, oſcitanter, & turpis lucri gratiâ; utendo veſtibus pannoſis & ſordidis, non dijudicando corpus tuum, faciendo in domo tuâ ſacrilegia multa.

Verùm, ô Domine Jeſu, quod acerbiùs urit & excruciat cor meum, illud eſt quia ego ſum unus & primus ex his ingratis hominibus & miniſtris tuis; ego, ego ſum qui peccavi, & nefandiùs præ cæteris peccavi in te & coràm te, & coram hìc congregatâ plebe tuâ. Vertatur, obſecro, manus tua contra me, qui præ omnibus fui nequam quia tu bonus fuiſti.

Attamen, quod me his in anguſtiis conſolatur, illud eſt quod nunquàm deſpicias cor contritum & humiliatum, & quòd miſericordia tua præſtabilis ſit ſuper malitiâ meâ.

Igitur, de tuâ pietate confiſus, lachrymis perfuſus, faciei meæ coopertus confuſione, & contritus corde, oro ſupplex veniam. Parce, Domine, parce Populo tuo; ubi ſuperabundavit delictum, ibi ſuperabun-

det & gratia; ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum in tuum Sacramentum commissarum; anticipent nos misericordiæ tuæ, misericors & miserator Jesu.

Sed inprimis propitius esto mihi peccatori & indignissimo Ministro tuo non habenti fiduciam nisi in tuâ magnâ misericordiâ; pœnitet me peccasse; maximè doleo, & quidem in unione illius doloris quo dulcissimum cor tuum in recogitatione abominationum mearum anxiatum fuit, & usque ad mortem triste; propono non ampliùs peccare tibi; quin etiam, plenâ & immobili fide, spe vivâ, charitate fervidâ, hoc magnum mysterium venerari, ejusque devotionem cæteris ferventer jugiterque insinuare. Da ut hujus Sacramenti fides, devotio, & reverentia in dies crescat, ac proficiat in animâ nostrâ, donec te facie ad faciem videamus, & torrente voluptatis tuæ potemur in Patriâ.

XI. *Dominus Jesus, orationes suas, dicta, facta, & seipsum Deo Patri jugiter offerebat. Fac tu similiter, in unione ejus intentionis.*

O Jesu, qui es principium & finis, offero tibi cogitationes meas, eloquia, opera mea, & totum meipsum in hostiam viventem: rationabile & sempiternum obsequium meum, &c. Et quidem, in unione illius divinæ intentionis quâ Filius tuus in terris operatus est.

XII. *Tandem, ab altari non nisi ægrè discessurus, posce ab illo benedictionem, sicut Jacob ab Angelo poposcit.* Domine Jesu,

necessitas mihi incumbit ut, tuam facturus voluntatem, recedam, donec cum Angelis tuis ante sedem tuam in æternùm stem. Utinam benedictionem accipiam à te Domine, qui fecisti cœlum & terram; venient mihi cum illâ pariter omnia bona.

CAPUT SEPTIMUM.

Exercitia quotidiana ad totam diem sanctè peragendam utilissima.

UT rectè pièque diem transigas, plurimùm refert benè cœpisse; malè & infeliciter tibi nullus ibit dies quem Deo auspice cœperis; à fonte enim boni, quid nisi bonum? Sed quoniam ordo ducit ad Deum, (S. Aug.) *ordinem sequere; quoad ejus fieri poterit, toto diei decursu, ac modis omnibus efficias ut particula boni diei non prætereat te. Ecce tibi praxim.*

I. *E somno excitatus, præbe cor tuum Deo, sicut justus qui cor suum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum; sic etiam statim immola Deo hoc sacrificium laudis & justitiæ, ac spera in eo.*

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo; præbeo cor meum tibi, ô Jesu dilecte mi; omnia mea tua sunt; tuus sum ego; jam manè oratio mea præveniat te; in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus; repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam.

II. *Surge circa horam quintam, quoad fieri poteſt; ſed ſurge velociter, ut jam diluculo dicere poſſis:* Domine Jeſu! propter te mortificabor totâ die; jam hora eſt me de ſomno ſurgere; ego dormivi & ſomnum cepi; ſed ecce nunc ſurgo propter te, quoniam tu, Domine, ſuſcepiſti me.

O lux vera! Abjicio opera tenebrarum; jam induor arma lucis, ut jam in die honeſtè ambulem. Utinam dirigantur hodiè viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

III. *Induens veſtes, ſic ora:* Domine Jeſu! indue me, ſicut electos tuos, viſcera miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, & patientiam, &c.

IV. *Ante orationem matutinam.* O Jeſu! Magiſter bone, doce me orare, ut jam manè audias vocem meam, & auditam mihi manè facias miſericordiam tuam.

Verùm, chariſſime Frater, ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi homo qui tentat Deum, & ne oratio tua fiat in peccatum. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum animæ tuæ, & clauſo ſenſuum & vanarum cogitationum oſtio, ora Patrem tuum; ſi ores linguâ, mens tua ſine fructu eſt; ora ſpiritu & mente, ora reverenter & devotè, in animo contrito, & in ſpiritu humilitatis, ut Publicanus, qui longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: propitius èſto mihi peccatori. Sed & tu pauper & inops, tu pulvis, cinis, & homo peccator, loquens ad Dominum, fac ſimiliter: ecce

Dominus, ad cujus conspectum stas, & quem tremunt Potestates, respicit in orationem humilium, eisque dat gratiam; postula in fide, nihil hæsitans; omnia possibilia sunt credenti. Ora sine intermissione, ora opportunè, obsecra importunè, ut Chananæa; quodcumque petieris, dabitur tibi, & fides tua te salvum faciet.

ORATIO MATUTINA.

Veni, Sancte Spiritus, &c.

Actus Fidei.

Credo, Domine, te esse hîc & ubique præsentem, & te scrutari profunda cordis mei. Eâdem firmitate credo cæteras veritates quas Ecclesia Apostolica & Romana mihi proposuit credendas, quia tu ipse, tu ipsa veritas Deus, eas revelasti; da ut opere compleam quod fide teneo.

Actus Adorationis.

O Deus, majestatis Domine! obsequentissimâ quâ possum submissione adoro te ut primum principium & ultimum finem. Confiteor coram te & coram omnibus viventibus, te esse Dominatorem cœli & terræ, Dominum vitæ & mortis, ac in ditione tuâ cuncta esse posita.

Actus Amoris erga Deum & Proximum.

O Deus charitas! diligo te super omnia, & toto corde meo, quia es summè bonus & summè amabilis; diligo etiam Proximum meum sicut meipsum, & inimicos meos propter te.

Actus Spei.

Deus meus, misericordia mea, in te spero, non confundar in æternùm; veniam verò, gratiam, & gloriam, ut confido, dabis mihi, quia tu misericors & miserator Dominus, ac in promissis tuis fidelissimus, has promisisti mihi.

Gratiarum Actio.

Largitor omnium bonorum, Deus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Pauper & inops sum ego; quapropter, in unione Filii tui, gratias ex intimis cordis mei visceribus ago tibi, quia me ad imaginem tuam creasti, pretioso Filii tui sanguine me redemisti, ad admirabile fidei lumen, & ad dignitatem Sacerdotalem me indignum vocasti; sed & præter alia innumera beneficia, hùc usque tam clementer conservasti me, & hâc nocte, (hâc die) à periculis & malis me custodiens, ad hujus diei initium, (finem) incolumem perduxisti.

Actus Oblationis.

Ecce Domine, totum libens offero tibi à quo profluxit omne quod habeo, corpus, animam, utriusque vires, & omnes hujus diei cogitationes, verba, & opera, ad majorem nominis tui gloriam purè & planè refero, idque in unione perfectissimæ charitatis Filii tui in quo tibi benè complacuisti, ut ex abundantia ejus charitatis, mea juvetur infirmitas, & meus suppleatur defectus.

Discussio conscientiæ.

O scrutator rerum & cordium Deus!

Notum fac mihi quidquid hâc nocte (hâc die) cogitatione, omissione, verbo, & opere peccaverim; da ut omnia hæc plenè recogitem tibi in amaritudine animæ meæ; ego verò dignos pœnitentiæ fructus facere contendam; tu quoque, si meipsum dijudicaverim, parces peccatis meis, & ab occultis, me, ut confido, mundabis.

Actus Contritionis post conscientiæ discussionem.

O Pater misericordiarum, propitius esto mihi peccatori; doleo de peccatis, propter te summè bonum & summè dilectum; propono, tuâ gratiâ adjutus, non ampliùs peccare, & omnia peccandi pericula fugere.

Proposita nimis generalia sunt interdùm infructuosa. Igitur, particulatim expende vitium quod tibi dominatur & aliorum est origo; adversùs hoc vitium instituere specialem & acriorem pugnam necesse est, ut illud, pro te & tecum pugnante Domino Deo exercituum, exterminare queas. Adhibe & tu aliquam mortificationem huic exrerminationi congruam. Quòd si per diem relabaris, cave ne animo concidas; sed surge, pugnam alacriùs perge, & vinces. Propone tibi pariter hanc virtutem N. *idemtidem per diem colendam, utpotè tibi admodùm necessariam; incipe diei cursum quasi vesperè moriturus. O si hæc mortis propinquitas in tuum altè descenderet animum, quâ alacritate & sanctitate omnia perageres? Sed heu, ipsimet Clerici hoc non recogitant corde! O cæcitas antiqua, simul & damnosa!*

Exercitium ingentis meriti & efficaciæ, seu Actus heroïcus & pactum cum Deo, ineundum manè, vel ante, vel post Sacrum.

Chariſſime Frater, Deum indeſinenter laudare, &, modico labore, plurimùm mereri cupis? hujuſmodi pactum cum Deo inire potes, nempè quòd ad certa quædam ſigna, v. g. ſonitum campanæ, aſpectum cœli, tunſionem pectoris, inclinationem capitis, genuflectionem, &c. velis & gratum habeas quodvis opus bonum & Deo gratum, quod umquàm factum eſt, ſeu hodiè fit, aut umquàm futurum eſt, aut fieri poſſet; item, toties teipſum velle Deo offerre, dolere de peccatis, renovare propoſita & vota, Deum adorare, laudare, &c.

Item, quòd ſi propter ſterilitatem cordis anguſtias animæ, divagationes mentis, ſollicitudines miniſterii tui, & morbos corporis, &c. non poſſis orare, cogitare de Deo, & operari quantùm optas & quanto optas fervore; tunc velis offerre Deo adorationes, orationes, ſacrificia, &c. quæ aſſiduè offerunt viri pii, & quæ illi obtulerunt Sancti, & ipſe Dominus Jeſus.

Item, quòd inter tentationes contra fidem, ſpem, humilitatem, caſtitatem, &c. velis ratos & gratos habere omnes actus fidei, ſpei, humilitatis, & caſtitatis ab initio mundi hactenùs elicitos, & quòd de illis ſummoperè gaudeas.

Vim & valorem à contrario colligere licet. Si quis ſtatueret ſecum, quoties audit

campanam, cœlum reſpicit, &c. toties ſe velle ratum & gratum habere quidquid umquàm mali actum vel agendum eſt, optaretque ſe ejus eſſe participem, quantæ is ſe culpæ obſtringeret? Hoc itaque ſi in malo tam efficax eſt, quidni idem, bono applicatum, immenſæ virtutis & meriti erit? Quid tamen hoc exercitio facilius? Non ad illud ineundum requiritur prolixitas temporis, cum ſolâ & unicâ mentis directione ſeu reflexione, inter ipſa miniſteria fieri poſſit.

Formulam hujuſmodi pacti hic conſultò omittimus; intelligentibus ſiquidem, & præcipuè, bonæ voluntatis Clericis pauca ſufficiunt. Porrò, hujus exercitii praxis parvulis revelatur, ſapientibus autem & prudentibus hujus ſæculi & omne quodcumque ignorant blaſphemantibus, abſconditur.

De præſtantiâ & vi hujuſmodi exercitii pleniùs conſulendi ſunt humiles corde in Deo abſconditi, & quibus dignus non eſt mundus.

Actus petitionis.

Domine Deus, dives in omnes qui invocant te, ſupplex oro te ut mihi largiaris gratias quas tu ſcis eſſe mihi magis neceſſarias ad majorem tui gloriam, ad ſalutem animæ meæ, & ad profectum mihi commiſſorum fidelium; ſed præſertim da ut anima mea moriatur morte juſtorum, & ut miſericordias tuas, unà cum illis, in æternùm cantem.

Tu quoque, ô ſanctiſſima Mater Dei, Virgo, quam elegi & iterùm eligo in patronam meam ſingularem, impetra mihi

Spiritum Filii tui dilecti, & pretiosam Sanctorum mortem.

Tuque, sancte Angele custos mei, me tibi commissum, hodiè illumina, custodi, rege, & guberna me.

Et vos, Patroni mei dilecti, clientem vestrum dirigite hodiè vestris precibus & meritis in viam salutis, ut vobiscum vivam, gaudeam, Deumque laudem in æternitate. Amen.

Pater, Ave, Credo, Salve Regina, Litaniæ SS. Nominis Jesu, Angelus Domini, &c.

V. *Post Orationem matutinam, attende aliquantulùm orationi mentali, cujus heri ante cubitum legeris puncta.*

Cæterùm, quàmvis habeas passim in hoc opusculo varia quæ mediteris puncta; hîc tamen tibi libenter instituimus breves meditationes de hominis novissimis: quoniam, si assiduâ & seriâ recogitatione animo tuo altè hæreant, erunt tibi efficax ad pœnitentiam & ad fervorem incitamentum, juxta illud, Eccli. 7. Memorare novissima tua, & in æternùm non peccabis. *Utinam & tu huic seriæ recogitationi incumbere velis!* Id ipsum experiri licebit.

MEDITATIO

De Morte.

MEmento & ne obliviscaris horum Domini oraculorum.

I. Statutum est omnibus semel mori;

poſt hoc autem, judicium. In quocumque loco fuerit lignum, ibi erit. Nonne tamen vivo quaſi numquàm moriturus?

II. Quâ horâ non putatis, Filius hominis tamquàm fur veniet. Ecce venio citò, dicit Judex vivorum & mortuorum; ecce jam pulſat; at ego nondùm ſeſtino prædari? O cæcitas mea! Quæ nugacitatis faſcinatio obſcurat intellectum meum? Nonne cum morte pactum feciſſe videor? Nonne ſaltem his ſimilis ſum, qui, jam inſtante morte, ſibi dicebant: *Edamus & bibamus; cras enim moriemur?* Quinimò, nonne ſimilis ſum jumentis inſipientibus, quibus non eſt intellectus? Imò, hæc eſt vera mei imago, hæc ſtupiditas mea.

III. Beatus ille ſervus quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem; ſed è contrà, væ tepidis & ſomno deditis, qui per vitam nec ſapiunt, nec feſtinant maturè noviſſima providere; differentes enim de die in diem, venit ſubitò ſuper illos mors, venit & ira Dei, ac in tempore vindictæ diſperdit illos, & moriuntur improvisò morte peccatorum peſſimâ. Quid frequentius? Nonne & ego ex illis ſum, quàmvis hæc oracula ſæpiſſimè legam, aliiſque prædicem? Ita ſanè; effrænata negligentia mea me manifeſtum facit. O excors!

Chariſſime Frater, ſi hæc noviſſima ſæpè & ſeriò in omnibus operibus tuis memorareris, nùmquid peccares? An divitiis, & tot faſcinationibus cor apponeres? Nonne, inſtar moribundi, totum mundum

fastidires? Si vesperè, manè, & meridiè tibi, quasi jamjam morituro diceres: *Stulte! cras, hodiè, hâc nocte, post hoc opus, animam meam repetent à me*; quâ animi alacritate redimeres tempus & malos dies? thesaurisares tibi thesauros in cœlis? Quo fervore omnia opera tua perageres? In his tandem totus esto; quid moraris? Usquequò claudicabis in duas partes? O quàm verè dictum est: *Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde!*

MEDITATIO

De terribili malorum Sacerdotum morte.

COgita te jam versari super lecto dolorum mortis, à medicis derelictum, ex hoc mundo jam profecturum, ante tribunal Christi manifestandum, & in beatam aut infelicem æternitatem mox casurum. Quò te verteris, undique tibi erunt angustiæ.

Intùs erit conscientia, accusans & urens; à dextris erit mundus, quem dilexisti & scandalisasti, & à quo te separabit amara mors; à sinistris erunt infinita dæmonia, ad judicium & ad supplicia te trahentia; superiùs, erit Judex iratus; inferiùs, erit horrendum chaos. Quò fugies, charissime, sic deprehensus? S. Aug. *In quantam maris altitudinem devenies? Nonne amaritudinum amarissimarum tempestas demerget te?*

I. Tunc recogitabis in crudeli amaritudine animæ tuæ, non solùm coacervatim, sed sigillatim, delicta juventutis tuæ, mil-

lia péccata propria & occulta, peccata hactenùs excuſata, pro nihilo reputata, & vix notata; at præſertim, falſam quâ excæcatus es conſcientiam. Hæc autem peccata reputabuntur, non tamquàm minutula, ſed ut monſtra. Heu mihi! tunc dices, accuſatione conſcientiæ tuæ convictus, & timore horribili turbatus: *Nunc reminiſcor malorum quæ feci; nunc comprehendunt me iniquitates meæ; non poſſum quin illas invitus videam; non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum, quibus iram merui. In quantam tribulationem deveni? Quid faciam miſer, tot peccatorum funibus conſtrictus?*

II. Aderit ſæviens in te defectuoſa vocatio, ſiniſtra beneficiorum reſignatio, fraudulenta ad ordines, ad beneficia, & ad animarum curam aſſumptio & aſcenſio; ſtabunt adversùs te peccata aliena, quibus in ſtatu tuo communicaſti, negligentiâ, ignorantiâ, ſcandalo, & reſpectu humano, vel non arguendo populum de peccato, vel non paſcendo oves tuas verbi divini prædicatione, vel citò imponendo manus, vel conferendo indignis beoeficia, abſolutionem, &c.

Crudelis animæ tuæ carnificina! Acerbum, ſed veridicum conſcientiæ tuæ teſtimonium! Quid narrabis ut juſtificeris? Nonne iniquitas tua oppilabit os tuum?

Verùm, ſi quid loquaris, hæc, præ anguſtiati cordis tui timore, clamabis: *Heu mihi! morior? Ego Sacerdos? Ego Paſtor animarum? Ego Epiſcopus? Ego peccatorum*

rum meorum & alienorum ſarcinâ oneratus? O graviſſimum & formidandum onus! O quanta tribulatio terret & torquet cor meum! O quàm clarè nunc intelligo iſtam ſententiam D. Auguſtino dignam, & quam toties legi: Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè & adulatoriè res agatur, nihil apud Deum miſerabilius, nihil triſtius & damnabilius? *Nonne fodiſſe præſtitiſſet mihi?*

III. Quid reſpondebis quandò conſcientia tua tibi, inſtante morte, objiciet jacturam temporis & tot dierum ſalutis, dilapidationem proventuum Eccleſiaſticorum, neglectum tot inſpirationum te ad perfectiora vocantium, contemptum tot mediorum ad ſanctitatem & ſalutem tuam adeò congruentium? Quam præſertim habebis allocutionem quandò tibi exprobrabit abuſum Sacramenti Pœnitentiæ, tot Miſſarum & Communionum, illam ſtupendam negligentiam ſatisfaciendi Deo pro tot peccatis contra ipſum Deum, contra proximum, & teipſum, commiſſis; illam diuturnam ſtupiditatem quâ in ipsâ Sanctorum terrâ vixiſti? Quid ad hæc & ad alia reſpondebis, niſi iſtud? *Scio quòd ita ſit.* Quid de te ſenties? Quid de te dices? Quæ in teipſum indignatio? Quanta te vallabit anguſtia?

IV. Inſuper, magnus erit velut mare, mœror tuus, quandò tibi tandem invito dicetur: *Proficiſcere de hoc mundo*, quem non obſtantibus Dei oraculis, & Conciliorum prohibitionibus, adeò ardenter di-

lexisti : hæ divitiæ, hæc supellectilia, & alia vanitatis monimenta quæ parasti, cujus erunt ? Ecce tibi extranei, ecce amici, imò & parentes tui, quasi latrones & lupi rapaces, hæc omnia invasuri sunt, & jam invadunt, non parcentes gregi tuo, nec animæ tuæ ; tibi verò solum supererit sepulchrum. Quàm amara tunc erit tibi mortis memoria ? tibi, inquam, qui habuetis pacem in substantiis tuis ?

V. Quantus timor, quantusque tremor veniet super te quandò jamjam rapiendus es ante tribunal Christi, redditurus ei strictissimam totius vitæ tuæ & formidandi ministerii tui rationem ? Si Hilariones, Hieronymi, Gregorii, & alii vigilantissimi Pastores, instante illâ discussione timuerint valdè, in quantam timoris abyssum demergeris tu idolum Pastoris, tu Sacerdos qui inextricabilibus peccatis, propriis & alienis implicatus, jamjam cogendus es ante thronum hujus Judicis severissimi & sanctissimi, qui in Angelis reperit pravitatem ?

VI. Præstò erit diabolus tanquàm leo tunc acriùs rugiens, ut tibi peccatorum monstra objiciat, quæ tibi anteà quasi minutula illusor insusurrabat ; stabit ut te ad desperationem adigat, & animam tuam devoret, postquàm per vitam, vanâ & præsumptuosâ in Deum fiduciâ, te in viam spatiosam, & in vitiorum barathrum fraudulentus projecit ; quomodò stabis antè tot accusatores, testes & inimicos ?

VII. Servire nunc facis Deum tuum iniquitatibus tuis, eum in ipso Sanctuario exa-

terbas; ille quoque te in interitu tuo ridebit & ſubſannabit te; tunc invocabis eum, & non exaudiet; tunc ſcies quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum. Proh dolor! Quis præ anguſtiâ gementi medebitur tibi? O ſi tempus haberes! Sed heu! tempus non erit ampliùs: eumdum erit in diem æternitatis, ubi erunt tibi amariſſimæ lachrymæ, dùm dicetur tibi: *Ubi eſt Deus tuus?*

VIII. Quantò acerbiùs ſenties tandem quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viventis, cum pericula inferni jam imminentis invenient te? Quantus luctus! quandò videbis infernum jam aperientem & dilatantem os ſuum ut te rapiat, & te in ignem inextinguibilem, ac in ardores ſempiternos abſorbeat? O anguſtia morte amarior! ô anguſtia, deſperationis & damnationis anticipatæ proxima! O mors peccatorũ, mors peſſima! ô mors malorum Sacerdotum, mors terribilis! ô mors tantò terribilior quantò frequentior! Quot præterea ſunt inter Sacerdotes tepidos & malos, qui occulto, ſed juſto Dei judicio, moriuntur velut Judas, æquè excæcati & obdurati ac vixerunt? Securi ſunt ubi omnia ſunt terribilium periculorum plena. Lethalis tranquillitas! Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum!

Chariſſime Frater, qui te in hoc ſpeculo contemplatus es, quique in mortis conflictum tandem devenies, redi ad cor tuum obduratum; vide, & quidem ſeriò & coram Chriſto crucifixo, nùm tu futurus ſis

ille Sacerdos cujus horrendam mortem forſan obiter & oſcitanter legiſti, quaſi hæc tibi non immineret. Væ tibi, ſi hos non prævenias luctus amaros! Hujus meditationis recordatio torquebit & laniabit cor tuum. Si habeas bonam voluntatem hanc terribilem evadendi mortem, & moriendi pretioſâ Sanctorum morte, adhibebis millia ad hoc ſalutaria media, in hoc libro paſſim ſparſa. Noli ampliùs obdurare cor tuum. *Talis vita, finis ita.* S. Ber.

MEDITATIO

De pretioſâ bonorum Sacerdotum morte.

CONſidera hujus ſuavis & pretioſæ mortis firmamenta.

I. Pii & boni Sacerdotes non torquentur in horâ mortis, ſicut tepidi & mali Sacerdotes, à facie peccatorum ſuorum; ſive, quia ſaltem gravia, miſerante Deo non commiſerint, ſivè quia ea, eodem propitio Deo, dignis pœnitentiæ fructibus deleverint, eaque laborioſis operibus redemerint; teſtimonium illis reddente conſcientiâ quòd ſint filii Dei. Suave bonæ conſcientiæ teſtimonium!

II. Cùm in hoc mundo ſe tanquàm peregrinos & exules habuerint; & cùm, velut Apoſtolus, quotidiè mortui fuerint, non formidant in horâ mortis ſeparationem ab omnibus rebus creatis, ſivè quia illis cor numquàm appoſuerunt, iiſque tanquàm non utentes uſi fuerunt, ſivè quia iis, propter

Deum, ut hilares datores, voluntariè & libenter tunc valedicunt. O beati Nazaræi qui in vanitates & insanias falsas numquàm respexerunt! O quàm lætè moriuntur!

III. Multa alia sunt quæ tranquillam, suavem, & placidam efficiunt piorum Sacerdotum mortem; nam frequens & pia Missæ celebratio, tot ferventes Communiones, quibus in Christo, tanquàm palmites in vite, manserunt; imago Jesu-Christi è cruce pendentis, cujus mortificationem in corpore suo jugiter circumtulerunt, & cui in omnibus, abdicatis sæculi vanitatibus, se conformarunt; zelus domûs Dei, quo multifariàm adusti, multos Jesu-Christo lucrifecerunt; tot alia bona opera se tunc offerentia, non quidem tanquàm vanitatis & præsumptionis motiva, sed ut tot ad profundiorem humilitatem, & ad firmiorem in Deo fiduciam incitamenta; amaræ & suaves lachrymæ quibus & stratum suum & pedes crucifixi Domini rigant solliciti; frequentissima amoris jacula quæ in cor dilecti vibrarunt, & nunc ardentiùs vibrant; sacrum & optatissimum viaticum quo ad beatam mortem armantur contra acriores hostis rugientis impetus; Extrema-unctio tepidis Sacerdotibus molesta, sed illis, utpotè piis & pœnitentibus, desiderabilis; internæ Spiritûs Sancti consolationes; pax quæ exuperat omnem sensum; Beatissimæ Virginis patrocinium; Angelorum protectio; Sanctorum præsidia; piorum virorum quos zelo suo Christo lucrifecerunt oratio-

nes ; ardens gloriæ desiderium ; prægustatio ejusdem gloriæ deliciarum ; seria & continua ad mortem præparatio ; tandem gratiæ multæ quas à Deo recipiunt, mortis dolores leniunt, judicii timorem excutiunt, aut saltem minuunt, augent eorum spem, inflammant charitatem, & desiderium possidendi Deum ; & quidem eò ardentiùs, quò propiùs ad ipsum accedunt, eosque ad exclamandum suaviter impellunt : *Veni, Domine Jesu, qui dixisti : ubi sum ego, illic & Minister meus erit ; non fui quidem fidelis servus & Minister tuus ; quinimò, fui servus inutilis ; verùm, ô Jesu mî ! suppleat misericordia tua quidquid deest infirmitati meæ ; non sum dignus gloriæ tuæ ; scio enim quia, quandò coronas merita nostra, coronas dona tua ; ergò corona me in misericordiâ & miserationibus, & veni ; cupio dissolvi & esse tecum ; educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo ; veni & noli tardare ; amore tui & desiderio gloriæ tuæ jamdudùm langueo ; ecce me expectant justi, ut, unà cum illis, misericordias tuas in æternùm cantem.*

Tandem, pii voti compos factus fidelis ille Christi Minister, moritur potiùs amoris vi & incendio, quàm dolore mortis ; moritur in sinu Christi, in æternùm victurus.

O beata mors ! O suavis somnus ! O secura quies ! O felicissimus transitus ! O quàm verè dictum est : *Timenti Deum benè erit in extremis ; beati qui in Domino mo-*

riuntur! Quis mihi det ut moriatur anima mea morte fratrum meorum justorum, Martini, Gregorii, & fiant novissima mea horum similia? Sed væ mihi! Quid prodest desiderare mori pretiosâ eorum morte, si non induam eorum sanctitatem, &c. Quid est cur non ago quod ipsi egerunt, & quod, appropinquante morte, egisse vellem, ego ignavus Sacerdos, qui hæc consolatoria verba sæpè lego & prædico: *Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem.*

Dixi, nunc cœpi: volo ex nunc vigilare. Domine Jesu, qui hanc mihi vigilantiam sæpè sæpiùs insinuas, adjuva me; offero tibi actum contritionis & amoris, tanquàm meæ bonæ voluntatis arrham; doleo, Domine, &c. amo te, &c.

MEDITATIO

De Judicio Particulari.

I. STatim post mortem, in ictu oculi, judicium fiet, & quidem judicium sine misericordiâ. Omne verbum otiosum quod locuti fuerimus, de eo reddemus rationem. Ecquis sustinebit, si iniquitates observaverit justus Judex qui scrutatur renes & corda, & qui in Angelis reperit pravitatem? Quis vivens in conspectu ejus justificabitur? Quam & ego allocutionem habebo?

II. Reddemus rationem villicationis nostræ. Heu! Quot ignorantiæ? Quot negligentiæ & omissiones? Quid tunc sentiam

de ministerio meo humeris Angelicis formidando? Quid de tot animabus culpâ meâ perditis, & in magnâ adversùm me stantibus constantiâ?

III. Multùm nobis datum est, multùm ergò quæretur à nobis; cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; plus cæteris quidem in hoc mundo accepisse cernimur; sed heu! Quantò graviùs indè judicabimur! Quot gratiæ in vacuum receptæ? Quot talenta in terrâ abscondita? &c.

IV. Ipsæmet justitiæ judicabuntur. Heu! Quot paleæ ad comburendum igni? Quoties enim, inquit D. Gregorius, sordet in conspectu Judicis quod splendescit in conspectu operantis? Væ ergò laudabili vitæ, si, remotâ misericordiâ, discutiatur! *S. Aug.* Quantó terribiliùs tunc sentiam ego ista formidolosa verba quæ nunc oscitans lego: *maledictus qui facit opus Dei negligenter*?

Quæ cùm ita sint, quis poterit cogitare diem adventûs ejus? Et quis stabit ad videndum eum? Responde, simul & vide quomodó oporteat te ambulare ut misericordiam invenias, & cum fiduciâ stes ante tremendum ejus tribunal. Hoc ipsum aliis suades; nonne hujus moniti ipse indiges? Cur ergó non misereris animæ tuæ, placens Deo? Curans alios, te ipse non curares? O medice insipiens! Nonne jure meritò de ore tuo judicareris, serve nequam?



MEDITATIO

De Judicio Universali.

I. ERunt signa in sole & lunâ & stellis, armabuntur creaturæ omnes ad ultionem inimicorum; undè arescent homines præ timore & expectatione quæ superveniet universo orbi; erit enim tunc tribulatio qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet. Propter hæc signa sic inclamat Joël: *magnus dies Domini, & quis poterit sustinere illum?*

II. Parebit signum Filii hominis in cœlo; tunc videbunt impii in quem transfixerunt; Sanguis Jesu Christi exquiretur, & vehementiùs clamabit vindictam quàm sanguis Abel. Verùm, si crux terreat, quis consolabitur? si sanguis ejus contra nos vociferetur, quis pro nobis clamabit? Væ ergò mihi Sacerdoti si nunc non crucifigam carnem cum vitiis & concupiscentiis! Væ mihi, si nunc bibens indignè, polluam sanguinem testamenti! Nonne hic sanguis erit super me? Nonne me ipsa crux condemnabit?

III. Audi & meditare hanc horrendam tubæ & tonitrui vocem: *surgite mortui, venite ad judicium.*

Quis non horreat? Jam hæc cogitantem timor & tremor veniunt super me; surgent Laïci & indocti, sed meritis pleni; surgam & ego Sacerdos, surgam ego Pastor; sed heu! Laïcis deterior; surgam ego dilectus

Dei, ego qui non modò non fui in ejus domo oliva fructifera, verùm potiùs feci in eâdem domo scelera multa! O quàm bonum mihi tunc esset si natus non fuissem, aut saltem si tunc montes caderent super me?

IV. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & tunc consummabitur illud: *erunt duo in agro; unus assumetur, & alter relinquetur.* Mirabilis mutatio & luctus, dùm qui in mundo primi fuerunt, ibi erunt novissimi! Separabor fortè ego Pastor ab ovibus quas ducebam, factus ipse reprobus. Proh pudor! Sed heu! Proh dolor! Proh desperatio!

V. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & majestate. In primo adventu apparuit mansuetus; in secundo autem terribilis apparebit. Grandis & horrenda mutatio! Si ista melliflua vox hujus Agni jamjam ad occisionem ducendi, nimirùm: *Ego sum*, prostravit milites; quantam formidinem injiciet, quandò ab eodem Jesu judice, & in leonem de Tribu Judâ mutato, proferetur? &c.

Tunc accipiens tempus suum, & incipiens judicium à domo suâ, manifestabit consilia cordium; nihil opertum quod non sciatur, & nihil occultum quod non reveletur; tunc implebitur illud: *revelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis nuditatem tuam;* tunc videbo reptilia quorum non est numerus, videbo & abominationes pessimas quas in loco sancto patravi, & quas parvi feci, ac quasi minutula reputavi; data

quidem fuit mihi poteſtas ligandi atque ſolvendi ; ſed heu ! ipſa judicia mea, in ſtaterâ appenſa, judicabuntur ; ecquid ſi condemnentur ? Væ, væ mihi, ſi condemner & ego infidelis diſpenſator & diſſipator peſſimus ? Hoc tamen periclitor, & non vereor, non vereor omnia opera mea ? Et adhùc non ſum humilior, atque ad ſerviendum Deo promptior ? O vana fides mea ! Nonne tandem incidam in manus Dei viventis ? Quis, hæc meditans, non ſe ipſe ſtatuet contra faciem ſuam, ſe ipſe dijudicans, & omnia delicta Confeſſario cognita faciens, ut non judicetur nec confundatur in noviſſimo die ?

Domine Jeſu ! Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei ?

MEDITATIO

De Sententiâ erga electos & reprobos.

I. *VEnite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Melliflua verba, affectione & exultatione plena ! O anima mea, hæc omnia ſigillatim meditare, habent enim ſingula pondus ſuum ; lætare in his quæ dicta ſunt ; feſtina accipere hanc à Domino benedictionem ; venient tibi pariter cum illâ omnia bona ; feſtina ingredi in illam requiem ; ſpera in Deo, & fac bonitatem ; audies

tandem, eo propitio, dulcisonam Patris tui vocem, & ibis in domum Domini; inebriaberis ab ubertate domûs illius.

II. *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.*

O discessio! O maledictio! O ignis! O formidanda æternitas! Heu! Hæc omnia terrore & luctu adeò sunt plena, ut tribularer nisi scirem misericordias Domini. Quis mihi det ut liberer à verbo malo? Ego verò dixi: *Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Sed & tu, charissime Frater, hìc siste, & meditare nocte cum corde tuo hæc verborum fulmina & tonitrua, cedros libani confringentia, & usque ad divisionem animæ pertingentia; disce per hæc converti ad Deum in toto corde tuo, servire Domino in timore, facere uberes, assiduos & dignos pœnitentiæ fructus, & perseverare usque in finem; ab auditione malâ non timebis. Iterùm monemus, intellige hæc qui oblivisceris Deum tuum & animam tuam. Anteverte hanc sententiam, nequandò rapiat & non sit qui eripiat. Si autem hæc audiens & meditans, non surgas de somno, non dormis, sed mortuus es. *S. Aug.* Quia, si vix justus salvabitur, ubi parebis, impius & peccator? Quid tamen hâc cordis duritiâ inter Clericos frequentius? Nam, quàmvis hæc tremenda Dei oracula legant & sciant; attamen, adeò alto demerguntur oblivionis somno, ut ad nullum Dominicæ comminationis tonitru expergiscantur, & ut

vel ipsum suum periculum non expavescant. Nonne & tu ex illis es, benevole lector? Quid tua tibi vaticinatur duritia? Interroga Pharaones, Judæos, & ipsum Judam.

MEDITATIO

De Inferno.

SIste gradum viator, audi attentè Isaïam sic interrogantem:

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

Responde, delicate homo, qui vermis pulicisve infestationem ferre non potes; dic mihi, quæso, insensate, quomodò ergò hunc ignem devorantem, quomodò hos ardores sempiternos sustinere poteris? Iterùm responde, nùmquid illud poteris? Heu tamen! Ducens in bonis dies tuos, nonne ad hæc inferna, ad hunc tormentorum locum in puncto descendes? Nonne jamdudùm in hoc inferno habitaret anima tua nisi Dominus adjuvisset te? Nonne pericula inferni te jam inveniunt? Nonne infernus jam aperit & dilatat os suum, ut te in hoc profundum absorbeat? Ita sanè; & non recogitas corde? Te ipse definias.

Verùm, memineris intolerabilius malis Sacerdotibus paratum esse in inferis supplicium, sivè quia præ aliis superno lumine collustrantur, sivè quia ad altiorem gradum provehuntur, sivè quia majoribus gratiæ do-

nis ditantur, sivè quia suis & alienis peccatis onerantur, ac proindè, quia profundiùs præ Laïcis peccant. Hinc profundiùs cadunt in infernum quàm aliquis alius, ut beatæ Birgittæ revelatum est. Hinc disce quàm pauci sint Sacerdotes qui salvi fiant, ut loquitur D. Chrysostomus. Hujus gravioris supplicii terror, hujus æternæ damnationis tibi imminens periculum, animum tibi assiduè non concutit? Quid censes de cæcitate intellectûs tui? Quid de cordis tui duritiâ?

Sed saltem, descende ipse in infernum vivens, ut non descendas moriens? Siste, inconsiderate, siste; cogita seriò dies antiquos, & annos æternos in mente habe; vide quàm horrendum sit Sacerdoti incidere, ex Angelorum mensâ, ex cathedrâ Evangelicâ, ex medio plebis, ex culmine honorum & divitiarum, in manus Dei viventis; detrudi cum diabolo in infernum, volutari cum sceleratis inter flammas, & potari felle draconum, veneno insanabili. Terribile discrimen! Disce hâc jugi meditatione scopere, ut Propheta, spiritum tuum, & agere in his diebus salutis pœnitentiam salutarem, ne in his flammis in æternùm & frustrà crucieris. Quid, insipiens corde, quid de die in diem differs? Nonne jam hora est de somno surgere? Pensa, & iterùm pensa, quòd ex momento pendeat æternitas. Sic censet, sic ululat, sic experitur in inferno infinitus stultorum numerus. Nùmquid idipsum, ô insensate, experiri velles? Eò tamen sese fert effrænata impru-

dentia tua. Et verò, respondeat cor tuum, & dicet tibi: *Infernus domus tua est, si ex nunc salutem tuam cum timore & tremore non opereris.*

Quapropter, inhæreant animo hæc gravissima verba: *quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Interroga majores tuos in inferno sepultos, & dicent tibi: *ô insensati! Quid nobis profuit superbia?* &c. *Jam non possumus hinc transmeare! Væ nobis! Sed væ vobis si maturè non sapiatis!* Hæc meditare, ô anima mea, die ac nocte. Ecquid? Tu alios doces quærere primùm regnum Dei, & illud teipsam non doceres? Non ordinares in te charitatem. Absit.

MEDITATIO

De damnatorum luctibus.

AUdi damnatos sic in inferno, præ angustiâ spiritûs gementes, & ululantes.

O insensati! Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis; ambulavimus vias difficiles; vias autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tamquàm umbra & præcurrens nuntius; nos verò in iniquitate nostrâ consumpti, igneis & æternis vinculis sub istâ caligine reservati sumus!

Væ nobis! Propter multitudinem iniquitatis nostræ in inferno positi sumus, in hoc tormentorum loco ubi umbra mortis

& nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, ubi est fletus & stridor dentium, supplicium æternum, ignis inextinguibilis, nulla redemptio; hi sunt iniquitatum nostrarum, in quibus nunc erubescimus, amarissimi fructus.

Væ nobis quia peccavimus! Heu, heu! quis nos fascinavit non obedire veritati, non sequi arctam viam? Potuimus in vitam æternam ingredi, & quidem facilè; quid enim ultra debuit facere pro nostrâ salute Dominus Deus quod non fecerit? Sed heu! Quia noluimus obedire mandatis ejus, venit subitò super nos mors secunda, mors æterna, & sepulti sumus in inferno. Verè ex nobis perditio nostra; exquirimus hîc assiduis lachrymis salutaris pœnitentiæ locum, & non invenimus; desideramus mori, & mors fugit à nobis; propter hæc omnia in desperationem acti, carnem brachii nostri morsu amarissimo voramus, & in æternùm vorabimus, dicentes semper intra nos, rabie & timore horribili turbati: *Ergò erravimus; noluimus benedictionem, & ecce elongatur à nobis; & quia dileximus maledictionem, idcircò venit super nos maledictio, venit maledictio æterna.*

O miserum me, ululat Ecclesiæ Pastor! In sortem Domini vocatus, sciens bonum & malum, contendebam parare Domino plebem perfectam, & dare plebi scientiam salutis, omnibus omnia factus. Reverà, cooperante Domino, alios salvos faciebam; sed, proh pudor! Potui ego pariter salvus fieri. Sciebam salutis & perfectionis media;

habebam ubertim gratias salutares, ipsum, gratiarum Auctorem & fontem ferè quotidiè recipiebam, & tamen meipsum salvum facere nolui. Vocabat me affectu paterno Dominus Jesus; at ego semper renui; in croceis enutritus, amplexatus sum stercora; cùm in honore essem, non intellexi; jumentis insipientibus similis factus sum. Quot Laïci computati sunt zelo meo inter filios Dei? At ego, dicens & non faciens; at ego infelix minister; at ego monstruosum Pastoris idolum, quia sciens & pertinaciter volens, secutus sum viam spatiosam, quam verbo tenùs expugnabam, ductus tamen in perditionem, crucior nunc & in æternùm cruciabor in hâc flammâ. Habens præ manibus claves regni cœlorum, illud aliis aperui; mihi veró, stultus clausi. O stupiditatem meam! Quæ me dementia fascinabat? Pereat ergó dies in quâ natus sum & sacris initiatus; maledicta quæ ambii beneficia; maledicta ambitio; maledictus Prælatus qui me ad ordines & ad beneficia promovit; maledicta vanitas & superbia mea; maledictæ creaturæ; maledictus ego quia nolui benedictionem quam aliis toties elargitus sum; maledictus Deus, mihi in severissimum ultorem mutatus! Sed heu! inutiles gemitus! Proh desperatio!

Talia dixerunt & dicunt in inferno ii qui peccaverunt. Sic rabidi ululant Clerici latrones, qui ad Sacerdotium accesserunt non vocati à Deo; hi Clerici mundani, qui, quàmvis à Deo ad illud vocati, gratiam vocationis neglexerunt; hi Pastores

mercenarii, qui, incuriâ, negligentiâ, & aliis indecoris modis communicarunt peccatis alienis.

Nonne & ego, secundùm carnem vivens, sic in æternùm ululabo? Quid mihi vaticinatur vita animalis præterita? Quid pœnitentia fœdè hactenùs acta? Quid tot gratiarum abusus? Quid præsens mea vita tepida? Prophetisa, anima mea. Quidni nunc recogito in salutari amaritudine animæ meæ & annos meos, & hos damnatorum amaros planctus? Quidni hos prævenio luctus? Domine Jesu! quis novit potestatem iræ tuæ? Sed quis novit dementiam meam?

MEDITATIO

De mercede multâ nimis & æternâ bonis Sacerdotibus in Cœlis paratâ.

FIdelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, & qui hactenùs terribili oraculorum tonitru perterritus es, consolare nunc his mellifluis Jesu-Christi promissionibus, quibus Apostolos ad pugnam & ad labores excitabat, & quibus teipsum ad contemptum mundi, ad certamina, & ad gloriæ desiderium adhùc inflammat.

Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ vobis in cœlo à constitutione mundi

præparo.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus! Uſquequò, anima mea, diliges vanitatem, & quæres mendacium? Quouſque habebis pro nihilo terram deſiderabilem?

Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint propter me; vos enim benedicemini à Domino qui fecit cœlum & terram; jam omnes qui viderint vos, cognoſcent quia eſtis vos ſemen cui benedixit Dominus. Feſtinate hanc à Domino accipere benedictionem; venient vobis cum illâ pariter omnia bona.

Gaudete & exultate, Miniſtri mei & fideles diſpenſatores Myſteriorum Dei, qui dignè ambulantes vocatione quâ vocati eſtis, multùm laboraſtis, & exhibuiſtis corpora animoſque veſtros hoſtiam viventem, ſanctam, placentem, rationabile obſequium veſtrum. Scitote quia labor veſter non erit inanis apud me; erit ſiquidem merces veſtra copioſa in cœlis, quandòquidem ipſe ero merces veſtra in cœlis. Ecquis intellectus hanc intelligere valeat?

Gaudete, quia ut veri homines Dei & boni milites mei, fortes in fide, legitimè certatis; ſedebitis in throno quia vincitis; percipietis coronam juſtitiæ, quia zelo zelati, non facitis animas veſtras pretioſiores quàm vos; dummodò curſum veſtrum conſummetis, & fidem ſervetis, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſraël, quia ſequentes me & dealbantes ſtolas veſtras in ſanguine meo,

plantatis Ecclesiam meam sanguine vestro.

Gaudete, Angeli & coadjutores mei, qui in opere & sermone potentes, datis plebi meæ scientiam salutis; fulgebitis sicut stellæ in perpetuas æternitates, quia eruditis multos ad justitiam, eosque mihi lucrifacitis; tantò copiosior & eminentior erit merces vestra, quantò pretiosior est anima sanguine meo redempta; macti estote, & in ministerio ad quod assumpsi vos, usque in finem perseverate.

Gaudete, discipuli mei, qui mecum in tentationibus permanetis, & qui patimini propter justitiam; percipietis immarcessibilem gloriæ coronam, quam ego, Princeps Pastorum promitto vobis; scitote quia ego potens sum depositum vestrum servare in illum diem, justus Judex; confortamini interim, fortes estote in bello, & pugnate cum antiquo serpente.

Gaudete & exultate, socii Passionis meæ, qui nunc lugetis, quoniam consolabimini, gaudete, quia nunc abnegantes vosmetipsos, ac tollentes crucem vestram, bibitis læti calicem quem ego bibi; cohæredes mei eritis; hyems tandem transibit; & vix dedero vobis electis meis somnum; ecce hæreditas mea. Gaudete, iterùm dico, gaudete, intrabitis in gaudium meum; abstergam lachrymas ab oculis vestris; jam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor; priora transibunt; metetis in æternâ exultatione quod nunc in lachrymis seminatis; inebriamini ab ubertate domûs meæ, & torrente voluptatis meæ potabi-

mini ; gaudium veſtrum nemo tollet à vobis ; ecce, ô amici, ecce quomodò momentaneum hoc & leve tribulationis veſtræ, æternum gloriæ pondus operabitur in vobis ; guſtabitis & videbitis quàm ſuavis ſit Dominus, & quàm bonus his qui recto ſunt corde, & qui pro ejus gloriâ laborant, ac propter juſtitiam patiuntur.

Quis ad hæc audita non inardeſcat ? Convertere, anima mea, convertere in requiem tuam ; vide quid ſit inter juſtum & impium ; inter ſervientem Deo, & non ſervientem ; inter fideles Chriſti Miniſtros, & inter tepidos ac malos. Jam vidiſti *nihil eſſe apud Deum difficilius, laborioſius, periculoſius, & damnabilius officio Epiſcopi & Presbyteri ſi perfunctoriè agatur ; ſed nunc vides nihil eſſe apud ipſum Deum beatius, ſi eodem modo militatur quo Imperator noſter jubet.* S. Aug.

Quidni ergò ſatagas eſſe in omnibus fidelis Miniſter Chriſti ? Nonne ſcis regnum cœlorum vim pati, & ſolos violentos rapere illud ? Nonne jam meditata es paucos eſſe Sacerdotes qui ſalvi fiant ? *S. Chryſoſt.* Quarè ? Sivè quia non ambulant dignè vocatione quâ vocati ſunt, bonum non operantur nec ſecundùm menſuram supernorum luminum quibus illuſtrantur, nec ſecundùm altiorem gradum ad quem provecti ſunt, nec ſecundùm majora gratiarum dona quibus ditantur ; ſivè quia ferè omnes impinguati, dilatati, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur ; vivunt verò ſecundùm carnem, & parùm

sunt de suâ & aliorum salute solliciti. Nonne & tu, anima mea, ex illis es? Quâ fronte speras te intraturam esse in hanc gloriam, in quam Apostoli & ipse Christus non intrarunt nisi patiendo, laborando, & animam pro ovibus suis ponendo? Vis ergò donari coronâ vitæ? Ministerium tuum perfectissimo quo poteris modo imple; esto fidelis usque ad mortem, & Christus Dominus erit tibi in promissis fidelissimus.

Quis ergò, ô Jesu mi, quis mihi det ut mundo, ubi nihil est nisi vanitas & afflictio spiritûs, renuntiem; ut te Deum meum & omnia possideam? Quis mihi det ut propter te, quoad vixero, mortificer totâ die, ut compatiens conglorificer? Quis mihi hoc tribuat ut zelans zelum legis & animarum sicut Elias, Apostoli, & alii Pastores juxta cor tuum, recipiar sicut illi in cœlum, & te facie ad faciem videam? Hoc quidem volo, sed perficere non invenio. O Jesu, fortitudo mea, da mihi gratiam, ut deindè des mihi gloriam.

MEDITATIO

De Humilitate.

I. AD quem respiciam, dicit Dominus; nisi ad pauperculum corde? Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, decantat beata Virgo Maria, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce quomodò humilia respicit Dominus Jesus, veræ humilitatis exemplar & præmium; ecce quo-

modò humilibus dat gratiam, & humiles ſpiritu ſalvabit.

Sed è contrà, alta à longè cognoſcit, ſuperbis reſiſtit, & ſeipſos exaltantes humiliabit uſque ad paſſionem ignominiæ, & ad inferni noviſſima; ſcriptum eſt enim: *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*; & evidentiſſimum reproborum ſignum, teſte D. Gregorio, eſt ſuperbia, quia initium omnis peccati ſuperbia eſt. Indè liquet quàm placens ſit Deo humilitas, & quàm odibilis ſit coram ipſo Deo & hominibus ſuperbia. Nùmquid Deus gloriam ſuam alteri dabit?

II. Si quæras, inquit D. Auguſtinus, quæ ſit via ad obtinendam veritatem, quidque primum ſit in religione & diſciplinâ Chriſti? Reſpondebo: primum, humilitas. Quid ſecundum? Humilitas. Quid tertium? Humilitas. Et quoties interrogabis, toties reſpondebo, toties dicam: humilitas. Quod Demoſthenes, in ſcholâ eloquentiæ, pronuntiationi dedit, ego dabo humilitati in ſcholâ Chriſti. Qui ergò ſine humilitate virtutes congregat, inquit D. Gregorius, quaſi in ventum pulverem portat; mercedes congregat, ſed mittit eas in ſacculum pertuſum; ſeminat multùm, ſed parùm infert. Hinc fit ut præclari concionatores, ſapientiæ ſuæ fidentes, perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis ſe oblectantes, ſeipſos prædicantes, & hominibus placere cupientes, ſint velut æs ſonans, cymbalum tinniens, nubes ſine aquâ, arbores autumnales, & fructum non afferant; ita ut, adul-

terantibus verbum Dei, contingat illis in pœnam iſtud Oſee : *Da illis Domine : quid dabit eis ? Da illis vulvam ſine liberis, & ubera arentia.*

Grandis dignitas mea ! Sed grandis ruina mea ſi altum ſapiam. Vidit Dominus ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem ; nonne & ego ſuperbè ſapiens & glorians, ſublimia aliundè loquendo & agendo, cadam è pinnaculo templi ad fœdiorem lapſum ; demergar indè in profundum ignominiæ & tartari ; ſcriptum eſt enim : *qui ſe exaltat humiliabitur : non habitabit in domo meâ qui facit ſuperbiam.* Et licèt nunc vir divitiarum appaream ; cupiens tamen videri ab hominibus, dormiens tandem ſomnum meum, nihil inveniam in manibus meis ; & dùm ſic ſtultè gloriabor : *dives ſum ;* terribiliter reſpondebitur mihi : *miſer & miſerabilis es.*

Chariſſime Frater, rectorem te poſuerunt ; noli extolli ; eſto in illis quaſi unus ex ipſis ; quantò major es, tantò magis te in omnibus humilia ; graviſſimum judicium his qui præſunt fiet, & potentes potenter tormenta ſuſtinebunt. Chriſtus Dominus, cujus Miniſter es, exinanivit ſemetipſum ; non quæſivit gloriam ſuam, ſed Patris. Eſtne ſervus ſuper Magiſtrum ? Nonne ergò eris humilis in oculis tuis, ſive veſtitu, victu & ſupellectili ; ſive ſermone, & præſertim corde & opere ? Undè hoc monſtrum ? Ubi ſuperbus parebis ? Tu videris.

ALIA

ALIA MEDITATIO

De Humilitate & Timore ;

Super hæc verba : *Humiliatio tua in medio tui.*

ACcipe lucernam , & sic te ipse scrutare :

I. Quid fui ? Heu ! De limo terræ formatus , in iniquitatibus conceptus sum , & ad malum ab adolescentiâ meâ pronus , pronior ad illud in dies factus sum. Prætereà , ab ipsis incunabulis immolavi animam meam Dæmoniis & non Deo. Quid feci ? Obstupescite cœli super hoc ! Quinimò , infelix ego homo , apposui iniquitatem super iniquitatem , & hanc quasi aquam bibi ; delicta juventutis meæ supergressa sunt caput meum ; ossa mea adhuc implentur vitiis adolescentiæ meæ , ita ut funibus peccatorum constrictus , & in profundum peccatorum veniens , non sensi ; & , quod pejus est , contempsi. Frons meretricis facta est mihi. Hæc fuit hactenùs nefanda vita mea ; quid vilius ? Quid est cur oculos in cœlum levare audeo ?

II. Quid sum ? Homuncio , pulvis , vermis , sperma fœtidum , vapor ad modicum parens. Quid sum ? Instabilis homo , arundo ventis agitata , spiritus vadens & non rediens. Ecquis potest scire figmentum meum , nisi solus Deus ? Quid sum ? Nihilum ; & , quod detestabilius est , nihilum rebelle in Deum armatum. Quid

tandem ſum? Heu! Homo peccator ſum; & adhuc ſuperbio; pulvis & cinis ac ſervus, peccavi? Proh odibilis ſuperbia mea! Sum quidem Miniſter Chriſti, & notus ejus; nonne tamen in ejus domo facio ſcelera multa? Nonne edens panes ejus magnifico ſuper eum ſupplantationem? Aut ſaltem, nonne ſum ſervus inutilis in ipsâ Sanctorum terrâ? Facio quidem interdùm bonum; ſed, proh pudor! Quo tepore? Quâ negligentiâ? Quâ ſiniſtrâ intentione? Nonne ipſæmet juſtitiæ meæ ſunt quaſi pannus menſtruatæ? Quid habeo quod non acceperim? Quid autem de meo habeo, niſi peccatum & mendacium? *Conc. Arauſic.* Quid ergò glorior, miſer & miſerabilis?

Prætereà, licèt nihil mihi conſcius ſim, nùmquid tamen omninò juſtificatus ſum? Heu! Minimè! Neſcio utrùm amore an odio dignus ſim. Peccavi quidem nimis; verè ſcio quòd ita ſit; ſed nùm feci dignos pœnitentiæ fructus? Neſcio. O incertum terribile! Quâ ergò fronte in Cleris dominor? Quonam auſu, in me confidens tanquàm juſtus, cæteros aſpernor?

III. Quid tandem ero? Quid? Vermium corrodentium eſca, intuentibus horror, pulvis & cinis; incedentium pedibus conculcatus, ero quaſi non fuiſſem, ita ut, de utero tranſlatus ad tumulum, oblivioni dandus ſim tanquàm mortuus à corde.

Quid ero? An beatus, an reprobus? Neſcio. Quàmvis enim ex ſpeciali Dei revelatione ſcirem me ejus amore nunc dignum eſſe; an perſeverabo uſque in finem?

Nescio. Nonne, è contrà, singulis periclitor momentis à statu gratiæ declinare, & statim, occulto sed justo Dei judicio, in peccato mori, & è pinnaculo templi in quo statutus sum, ad inferna, sicut ipse Judas, è latere Christi in puncto descendere?

Reverà, hoc quotidiè periclitor, sivè ob infirmitatem meam & ad malum vehementem proclivitatem, sivè propter millia populi & leonis rugientis circumdantium me ut devorent animam meam, sivè propter animi tumorem & arrogantiam. Quot enim sunt qui in vitam æternam jamjam ingressuri, miserè tamen ob præsumptionem lapsi, in æternùm perierunt? Sed si in viridi ligno id factum est, in arido quid fiet? Undè ergò hæc monstruosa spiritûs mei præsumptio? Undè tanta securitas? Ubi tandem parebo? ego, inquam, tot peccatorum occultorum & alienorum conscius? O inscrutabile cor meum! O altitudo Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia tua! Quis non timeat te?

Ergò, charissime Frater, qui in hoc te contemplaris speculo, humilia te in omnibus; & licèt Sacerdos sis, salutem tuam cum timore & tremore operare. Multùm tibi datum est, multùm quæretur à te. Periclitaris pro te & pro animabus tibi commissis. Grande periculum! Iterùm monemus, humilia te in omnibus. Cave tamen ne ex illis sis qui nequiter humiliant se. Quapropter, nec gloriosè, nec sinistrè de te loquaris. Vilior fias plus quàm factus es; sis humilis in oculis tuis; abominare

ipſa ſuperbiæ ſigna ; ama neſciri & pro nihilo reputari. Ille erit verus humilis, inquit D. Bernardus, qui non humilis, ſed vilis reputari vult ; & quàmvis iniquitates tuæ multiplicatæ ſint ſuper arenam maris, invenies gratiam coram oculis Domini, & exaltaberis. Hoc viſum eſt in Manaſſe, in Publicano, in Filio Prodigo, & aliis. Undè hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio, teſte Thomâ à Kempis, *vera ſua ipſius deſpectio*. Hanc & tu diſciplinam tene, & ſic ſæpiſſimè ora :

Domine Jeſu ! averte oculos meos ne videam vanitatem ; da mihi Spiritum tuum, & diſcam à te eſſe humilis corde. Miniſter tuus ſum ; ſentiam ergò in me quod & in te, ô Magiſter bone ! Noverim te, noverim me, ut exaltem te & humiliem me, ac miſericordias tuas in æternùm cantem.

SERIES EXERCITIORUM ;

tùm proprii ſtatûs, tùm pietatis.

Aſpiratio horaria prò felice morte.

DOmine Jeſu, unam petii à te, hanc requiram ; ut moriatur anima mea morte juſtorum ; ut noviſſima mea fiant horum ſimilia ; & ut inhabitem in domo tuâ omnibus diebus meis.

O Jeſu, fons vitæ ! O Jeſu, requies mea, merces mea magna nimis, & centrum animæ meæ ! cupio diſſolvi, & eſſe tecum ; quandò veniam & apparebo ante faciem tuam ?

VI *Peractâ Meditatione, recita Horas Canonicas, sive in Choro, sive extra Chorum, juxta tuum statum.*

Egrediens è domo.

Domine Jesu! qui es via, dirige in conspectu tuo viam meam, ut non veniat mihi pes superbiæ.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, quia tu es Deus Salvator meus, ut, te duce, dirigantur pedes mei in viam pacis.

Ingrediens Templum.

Domine Jesu! in multitudine misericordiæ tuæ introïbo in domum tuam; adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo; pavebo ad Sanctuarium tuum. Quid justius?

O Jesu, misericordia mea! da gloriam in loco isto; exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ dùm oro ad te, dùm extollo manus meas ad Templum sanctum tuum.

Induens Superpelliceum.

Indue me, Domine, novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis.

VII. *Persolutis Horis, præpara animam tuam ad grande opus Missæ & Communionis. Vide ad hunc finem copiosa & pia exercitia*, pag. 81. *In adventu summi Regis qui venit tibi mansuetus, eructet cor tuum toto manè, aut saltem idemtidem, verbum bonum, & aliquem ex his actibus jaculato-*

riis & ignitis quos tibi ibidem suggerimus ; pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis ; imò nec loquaris verbum otiosum, ut recollectione animi internâ, ferveat & condiatur toto manè, medias inter tui muneris functiones, tantum opus Missæ & Communionis. Idipsum tibi suademus pro gratiarum actione post Missam, pag. 101.

VIII. Auditio Confessionum. *Orationes congruæ*, pag. 200.

IX. Recitatio Horarum Tertiæ, Sextæ, & Nonæ.

X. Lectio Scripturæ Sacræ, aut libri pietatis.

XI. Refectio. *Sed ante ipsum prandium, adhibe benedictionem mensæ, ut habetur in Breviario, si ita tibi expedierit ; ac inter prandendum, hæc tecum cogita.*

1. Christus jejunavit, esuriit, & sitivit ; dederunt in escam ejus fel, & in siti potaverunt eum aceto. Suspirabat Job antequàm comederet. Præcursor Domini dicitur *non manducans neque bibens.*

2. Plus occidit gula quàm gladius. Quot fuere, qui, inimici Crucis, qui ventri, tanquàm Deo servientes, ac splendidè quotidiè epulantes, tandem mortui, sepulti sunt in inferno ? Sed heu ! in hoc tormentorum loco clamant & postulant gementes guttulam aquæ ut refrigerentur in hâc quâ cruciantur flammâ ; hoc tamen leve refrigerium eis semper denegabitur, & felle draconum potabuntur ; insanabilis siquidem est dolor eorum. Quid eis profuere lautæ ac splendidæ epulæ ?

3. Quot mendici jacent ad januas, saturari cupientes, & nemo illis dat? Ego verò peccator, & Minister Christi felle & aceto potati, abundo panibus, in deliciis sum, in croceis enutrior inter epulas, & lautis ingurgitor escis!

4. Ferè quotidiè manduco panem Angelorum, omne delectamentum saporis in se habentem, quique Beatæ Catharinæ Senensis vitam etiam aluit temporalem; jam ergò nauseet anima mea super cibis his levissimis.

5. Servus hic qui mihi ministrat, licèt indoctus, fortasse tamen, jam amicus Dei, rapiet cœlum, dùm ego qui ministror, quique Minister Christi sum, carne tamen volutatus & sanguine, reprobus tandem forsan efficiar. *Hæ & aliæ piæ considerationes erunt tibi tanquàm calcaria sobrietatis, humilitatis, & aliarum virtutum, & præsertim ad Dei præsentiam fovendam incitamenta. Igitur attende tibi ne crapulâ gravetur cor tuum; sobrius esto; alimenta tanquàm medicamenta sume; manduca & bibe in gloriam Dei, quò alacriùs Domino servias; in eum siquidem finem dat escam esurientibus. Frange esurienti panem tuum, & ex ferculis tuis ciba fratrem tuum, præsertim ægrotum & verecundum; & cùm non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, prandium, piæ lectionis auditu, si locus sit, vel piâ meditatione condire satage, ut dùm reficitur corpus, repleatur anima tua adipe & pinguedine cœlesti.*

6. *Erumpant ex corde tuo & medias inter epulas istæ vel aliæ aspirationes :* Ecquandò erues me, Domine, de necessitatibus meis ? Ecquandò, ô vita animæ meæ, satiabor in gloriâ tuâ ? Ecquandò, ô fons vitæ, inebriabor ab ubertate domûs tuæ, ac torrente voluptatis tuæ potabor, ut non esuriam, nec sitiam in æternùm ? O quandò hæc erunt ?

XII. *Post prandium, age Deo gratias, ut habentur in Breviario, si tibi placuerit.*

XIII. Recreatio. Ab illâ absint vaniloquia, scurrilitates, contentiones, detractiones & contumeliæ, aspectus & tactus incauti, colloquia turpia, &c. His omnibus delectari dedecet Sanctos ; eorum enim recreatio debet quidem hilaris esse, sed honesta, sancta, & sobria. Quapropter, aspice interdùm in cœlum ubi gaudium est plenum ; ibi fixum sit cor tuum ubi vera sunt gaudia, ut dùm corpus recreatur, mens delectetur in Domino, vel canticis spiritualibus, vel pio eloquio ac exercitio quod lætificet cor tuum.

XIV. Examen particulare.

XV. Conversatio. Si hanc exigat necessitas, utilitas, christiana urbanitas, ac salus animæ & corporis proximi tui. Hæc tua tamen conversatio in cœlis sit.

Aspirationes ante conversationem.

Tu scis, Domine, quia narrant mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. De terrâ sunt ; & quoniam ex abundantiâ cordis os loquitur, de terrâ loquuntur. Judica me, Deus, & discerne causam meam

de gente non sanctâ ; ab homine iniquo & doloso erue me.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

Erue me de manu filiorum alienorum quorum os locutum est vanitatem ; dextera eorum, dextera iniquitatis.

Sed quoniam necessitas mihi incumbit ut cum hominibus converser, tuam facturus voluntatem ; pone custodiam ori meo, ut non declinet cor meum in verba malitiæ ; custodi cor meum, ut semper sapiam quæ sursùm sunt, non quæ super terram ; in cœlum sim semper intentus, medios inter homines & labores, ut servi tui D. Xaverius, Martinus, &c.

XVI. Vesperæ & Completorium.

XVII. Studium.

Aspiratio ante ipsum studium.

O Jesu ! qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.

Deus, scientiarum Domine, qui doces hominem scientiam, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum laboret. Supplex oro ut scientiam meam ædificet charitas tua.

XVIII. Lectio libri pietatis.

XIX. Collatio de divinis, aut de difficultatibus Theologiæ, &c.

XX. Visitatio ægrotorum & agonisantium, vel afflictorum, vel pauperum verecundorum, vel discordium, vel periclitantium, si illa quâ præes sollicitudo, si

charitas Christi urgeat te, ac suggerat prudentia spiritûs quæ vita est & pax, ut his charitatis officiis incumbas.

QUÆDAM ALIA EXERCITIA ET ASPIRATIONES SELECTÆ pro decursu diei.

Iter facturus.

Recita itinerarium Clericorum, ut habetur in Breviario. In viam pacis, &c.

Horâ tertiâ pomeridianâ.

Recita hanc devotissimam S. Augustini orationem de singulis articulis Passionis Jesu-Christi. Hanc piè recitantibus copiosæ conceduntur Indulgentiæ.

Domine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, qui pro redemptione nostrâ nasci & circumcidi voluisti, à Judæis reprobari, à Judâ osculo tradi, capi, ligari, & cum vinculis, Annæ, Caïphæ, Herodi, & Pilato offerri, ac coram eis illudi, colaphis, alapis, flagellis, & arundine cædi, facie velari, sputis conspui, spinis coronari, à falsis quoque testibus accusari, à malis judicibus judicari, & ut agnus innocens, crucem tuam ferendo, ad victimam duci, clavis perforari, felle & aceto potari, atque in cruce levari, inter latrones deputari, morte turpissimâ mori, & lanceâ vulnerari; tu, Domine, per has sacratissimas pœnas quas nos indigni famuli tui recolimus, & per sanctam crucem tuam, libera nos à pœnis inferni, & per-

ducere digneris nos miseros peccatores quò perduxisti crucifixum tecum latronem pœnitentem. Qui vivis, &c.

Ante quodlibet opus & exercitium.

O Jesu! qui universa propter temetipsum operatus es, quique in gloriam tuam creasti me, protestor quòd velim incipere, pergere, & perficere hoc opus in gloriam tuam, & in unione illius divinæ intentionis quâ ipse in terris operatus es; hanc, quotiescumque respirabo, renovare desidero.

O Jesu! à quo omnis nostra sufficientia est & gloriatio, opus manuum mearum dirige. Huic ergò operi tuam benignus impertire benedictionem, tuâ me semper salva virtute, ut ad tuam justitiam faciendam dirigantur cogitationes meæ & opera.

Oculos & mentem in cœlum conjiciens.

O gloriosa civitas! Quàm gloriosa dicuntur de te! Quàm sordet tellus dùm te aspicio!

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te! Concupiscit & deficit anima mea in atria tua. Beati qui habitant in domo tuâ, Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te. Quis me liberabit de corpore mortis hujus, ut, unà cum illis, cantem in æternùm misericordias tuas?

Aspiciens Jesum cruci affixum.

O Jesu! Tu adeò cruentum torcular calcasti solus? Tu languores nostros solus portasti? Omnes noti tui fugerunt à te?

Et ego tibi crucifixo numquàm compatiar? Quî fieri poteſt ut conglorificer? Nolo ſine vulnere vivere, cùm te video vulneratum. Doce me, ô Jeſu derelicte, non ponere carnem brachium meum, & non confidere in principibus, in filiis hominum in quibus non eſt ſalus.

O Jeſu, flagellis cæſe, ſpinis coronate, clavis confoſſe, patibulo affixe, opprobriis ſaturate, & morte turpiſſimâ condemnate! Ecquandò me fœdiſſimum peccatorem pudebit ducere in bonis dies meos, vivere ſecundùm carnem, ſervire ventri, voluptati, & ſuperbiæ vitæ? Ecquandò crucifigam carnem meam cum vitiis, & mortificationem tuam in corpore meo circumferam?

Ecquandò tandem diſcam à te eſſe mitis corde? O Jeſu! hoc velle adjacet quidem mihi; perficere autem non invenio. Adjuva me ut adimpleam quæ deſunt Paſſionum tui.

O Jeſu! pro me crucifixe, propitius eſto mihi peccatori, & ſalva me, fons pietatis.

In tentatione.

Vide, Domine, quomodò multiplicati ſunt qui tribulant me; multi inſurgunt adversùm me; uſquequò exaltabuntur inimici mei ſuper me? Exurge, Domine; ſalvum me fac, Deus meus; non timebo millia populi circumdantis me.

Domine, vim patior, reſponde pro me; Domine, ſalvum me fac, ecce pereo; ne inducas me in tentationem.

O defenſor vitæ meæ, turris fortitudi-

nis à facie inimici, dic animæ meæ : ſalus tua ego ſum ; ſi tu es pro me, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

In adverſitate & afflictione.

O quàm bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas! Igitur, quod bonum eſt in oculis tuis, ſupplex oro, facias ſemper ; paratus ſum & non ſum turbatus ut bibam calicem quem tu bibiſti : non mea voluntas, ſed tua fiat. O quanto ſuperabundabo gaudio !

Hinc, gratias tibi libens ago, Domine Jeſu, quoniam dignus habeor pati pro te. Scio quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.

Quàmvis ſim vir dolorum, opprobrium hominum, abjectio plebis, meritò hæc patiar, quia peccavi tibi ; hîc ure, hîc ſeca, hîc non parcas, ut in æternùm parcas. *S. Aug.*

O Jeſu ! Tu ſcis quàm promptus ſit ſpiritus meus, & quàm infirma caro mea ; nonne tamen es tu patientia & fortitudo mea ? Ergò, ſi tibi placuerit, adauge laborem ; ſed adauge patientiam. Patientia pauperis animæ meæ non peribit in finem, & in patientiâ meâ poſſidebo animam meam.

O Jeſu ! Tu es ſpes ſuſpirantis animæ meæ ; ideò ſpero quia ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificabunt animam meam. Utinam hæc melliflua verba in horâ mortis audire poſſim : *Jam imber abiit & receſſit, ſurge amica mea & veni, intra*

in gaudium Domini tui.

Audiens aut videns prævaricantes, blasphemantes, &c. *corripe eos, si locus sit, aut saltem sic in te tabesce.*

O Jesu, summè amabilis! O Jesu, summè dilectus! Quomodò fieri potest ut tam parùm diligaris; quinimò, ut adeò graviter offendaris? O utinam omnia mundi peccata impedire possem! Sed cùm id præstare nequeam, & quoniam ubique abundat iniquitas, meliùs est me mori quàm videre mala gentis meæ & Sanctorum; malo tibi dilecto mori, quàm tibi offenso vivere; interim protestor quia continuus dolor est cordi meo quandò audio & video prævaricantes; non cessabit dolor meus donec transeat populi tui iniquitas.

Tabescere me facit zelus meus, quia obliviscuntur verba tua inimici tui. Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodiunt legem tuam. Comedat me zelus domûs tuæ & opprobria exprobrantium tibi cadant super me. O nimis felix, si factus ipse reconciliatio, tibi satisfacere queam!

Igitur, inter vestibulum & altare plorabo; imò jugi & amaro fletu plorabo dicens: *Parce Domine, parce populo tuo*; continuò plorabo donec audiero hanc dulcisonam misericordiæ tuæ vocem: *remittuntur tibi & populo meo peccata multa.*

Ut autem hanc audire valeam, offero tibi cor contritum & humiliatum: da ergò ut in spiritu humilitatis, & in animo contrito, suscipiar à te, Domine, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Diligo te, ô ſancte & totus amabilis Deus; adoro te, Rex meus & Deus meus; ideò ardenter deſidero ut ſanctificetur nomen tuum; ideò cupio anathema eſſe pro fratribus meis; ideò uſque ad noviſſimum ſpiritum docebo iniquos vias tuas, ut impii ad te convertantur.

Quis mihi det ut, quoad vixero, crucier ſicut Job, & triſtis ſim ac pro juſtitiâ agoniſer uſque ad mortem, & quidem exemplo tui, ô Jeſu mi, qui videns civitatem fleviſti ſuper illam, & qui mortuus es ut Deo Patri pro nobis ſatisfaceres? Hanc ab amantiſſimo & amariſſimo corde tuo ſpero amaritudinem. O quàm benè repoſita eſt ſpes mea!

Ante Crucem pertranſiens.

O Crux, ave, ſpes unica, &c. Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum.

O Jeſu! Quis mihi tribuat ut tibi confixus ſim Cruci, & in amplexu tuæ Crucis moriar? Tu ſolus. Da ergò ut ſitiam Calicem tuum, & ut illum lætus bibam.

Ante cæmeterium tranſiens.

O Jeſu, protector in te ſperantium! O Deus totius conſolationis! Te revelante, ſcio quia ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis ſolvantur, & non eſſe ſuperfluum orare pro mortuis; ergò memento, quæſo, congregationis tuæ quam poſſediſti ab initio, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.

O Jeſu! vide afflictionem earum quam ante te pronuntio. Ecce clamant ad te de

profundis : exaudi vocem meam. Educ eas in refrigerium, & per misericordiam tuam requiescant in pace.

XXI. Visitatio Christi in Eucharistiæ Sacramento. Vide hujus visitationis praxim, *pag.* 266.

XXII. Recitatio Matutini & Laudum pro crastinâ die.

XXIII. Brevis recollectio mentalis, recitatio Rosarii Beatæ Virginis Mariæ, cœna, & animi relaxatio.

Oratio vespertina.

Hæc Oratio eadem est ac matutina ; attamen conscientiæ discussio debet esse & prolixior & strictior. Exemplum sume à nummulariis & mercatoribus, seriò quotidiè explorantibus quid lucrentur, quidve amittant. Undè fit verum istud : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt.* Luc 16. Nùm illud tolerandum est quòd ipsi Sacerdotibus sapientiores sint.

Ergò, charissime Frater, examina & explora sinus & latebras conscientiæ tuæ ; eòque, totius diei decursum repete ; ubi fueris, quibuscum egeris, quid cogitaveris, dixeris, feceris, expende ; sed memento, pro ratione sublimis statûs tui & formidandi ministerii tui functionum, examen instituere ; sic facilè, quid commissione, quid omissione peccaveris, agnosces. Item, quid in exercitio virtutis N. tibi magis necessariæ, quid in exterminatione vitii N. tibi magis infesti, profeceris, dispice, *&c.*

Verùm, ô quàm temerarius esses, si, offenso & non reconciliato Deo, te nocti & somno credere auderes?

Post Orationem vespertinam, reflexio & aspiratio pro crastinâ Communione.

Hodiè, scito, anima mea, quia veniet Dominus, & manè videbis gloriam ejus.

Crastinâ die delebitur iniquitas mea, & regnabit super me Salvator mundi in quo sibi Pater benè complacuit.

O Jesu, requies mea! irrequietum est cor meum donec requiescat in te; undè jam te in nocte desiderat anima mea.

Veni ergò, dilecte mî, veni, & jam me nemo despiciat. Credo, Domine, sed credam firmiùs! spero, Domine, sed sperem securiùs; amo te, Domine, sed amem ardentiùs: doleo, Domine, sed doleam vehementiùs; munda cor meum, ampliùs lava me, ut corpori tuo merear incorporari.

XIX. *Deindè, ante imaginem Crucifixi provolutus, vel eam præ manibus tenens, sic mortem accepta.*

O Jesu! qui vitæ & mortis potestatem habes, tu scis quia forsan hâc nocte animam meam repetent à me; idcircò jam hodiè voluntariè sacrifico tibi vitam meam, quia in gloriam tuam creasti eam; ita, Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.

Volo mori, quia statutum est omnibus hominibus semel mori.

Volo mori, in gratiarum actionem pro omnibus quæ retribuisti mihi.

Volo mori ut faciam secundùm exem-

plar quod mihi in monte monſtratum eſt.

Volo mori, quia ubique video prævaricantes, & quia ego ipſe in multis te ſingulis diebus offendo; moriatur anima mea, ut jam non ampliùs peccem tibi, & ut in ſæcula ſæculorum laudem te.

Volo mori propter te, qui prior dilexiſti me, & animam tuam poſuiſti pro me.

Volo mori in ſacrificium juſtitiæ & ſatisfactionis, ac in ſpiritu humilitatis, quia dilexi mundum, & exhibui omnia membra mea ſervire immunditiæ & iniquitati.

Verùm, ô Domine Jeſu, da ut moriatur anima mea morte juſtorum, & ne permittas ſanctum tuum videre corruptionem,

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam; in te, Domine, ſperavi, non confundar in æternùm; diligo te, Domine, dilecte mî, & Deus cordis mei.

Heu mihi! Tibi ſoli peccavi! Sed pœnitet me peccaſſe propter te, ô totus amabilis. Cupio emendare quod feci, & redimere peccata mea.

Diligo proximum meum ſicut meipſum, & inimicos meos propter te, qui toties ignoviſti mihi.

O Jeſu! Judicia tua abyſſus multa, & terrores tui conturbant me; ſed hoc tuum caput inclinatum, hæ tuæ manus expanſæ, hoc tuum cor apertum, hoc totum tuum corpus vulneribus ſauciatum & ſanguine conſperſum certam ſpem faciunt mihi & miſericordiæ & gloriæ tuæ.

O Jeſu! Spes & portio mea in terrâ viventium, non confundas me ab expectatione meâ.

Veni ergò, Domine Jesu; in manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Deus veritatis; operi manuum tuarum porriges dexteram. Suscipe spiritum meum, dulcissime Plasmator & Redemptor mî! Et misericordias tuas in æternùm cantabo.

Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, monstra te esse matrem, ac me in horâ mortis suscipe.

Occurrite, Angeli Domini, suscipientes animam meam, offerentes eam in conspectu Altissimi.

XXV. *Lectio punctorum Meditationis pro crastinâ die.*

XXVI. *Exuens vestes, cogita quomodò te separabit amara mors à rebus omnibus. Nudus egressus es, nudus reverteris. Sola opera tua sequentur te; quid tibi tunc proderit divitiarum jactantia? Ex his disce uti moderatè mundo, tamquàm non utens, & quærere primùm totis viribus regnum Dei.*

Aspiratio congruens.

O Jesu! qui vestibus exutus, nudus pro me in Cruce pependisti, & mortuus es, expolia me veterem hominem cum actibus suis; discam à te & à Discipulis relinquere omnia, ut sequar & possideam te, ô Deus hæreditatis meæ, & portio mea in terrâ viventium.

XXVII. *Iniens lectum, sic te ad somnum compara, ac si quis auri insusurret:* hâc nocte animam tuam repetent à te. *Quid enim est ipse somnus, nisi frater & imago mortis? Hæc igitur tecum cogita & meditare.*

Heu! Lectus iste, mortis memoriam mihi jam ingerit, in quem, velut in sepulchrum nuda membra repono. Hei mihi! subter me tandem sternetur tinea, & operimentum meum erunt vermes. Horrendum discrimen!

O quàm multi dormientes jucundè somnum suum, descenderunt è lecto in infernum viventes! O miserum me! Nonne & ego idem periclitor?

Dominus ac Magister meus Jesus in oratione pernoctavit, & tandem in arâ Crucis pendens, vir dolorum occubuit super lectum doloris sui. Multi ex Electis suis, post diurna & nocturna exercitia, & quidem asperrima, brevem somnum super nudo tabulo & humi carpserunt; at ego peccator, molliter cubo! At ego, totâ die otiatus, vix vesperi precatus Deum, lascivio in strato meo? Proh pudor! Ecquandò saltem stratum ac lectum meum lachrymis meis rigare satagam?

Aspiratio.

Domine Jesu! illumina oculos meos; ne umquàm obdormiam in morte, nequandò dicat inimicus meus: prævalui adversùs eum. Jam ex nunc abrenuntio ejusdem Diaboli nequitiis & suggestionibus. Undè, te miserante, in pace dormiam & requiescam.

O Jesu! rogo te ut dùm ego dormiero, vigilet cor meum; custodiant me Angeli tui, quibus mandasti de me ut custodiant me in omnibus viis meis. Protestor quòd dùm ego dedero somnum oculis

meis, velim te adorare ſicut Angeli tui in cœlo, & quòd offeram tibi eorum adorationes; ſimul & orationes, lachrymas, & flagellationes tot ſervorum tuorum, qui inter hæc exercitia multam noctem inſomnem agunt. O Jeſu, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, accipe hoc deſiderium & oblationem cordis mei, ut totâ die & nocte non taceam laudare nomen tuum.

Tandem obdormi in ſuaviſſimo Jeſu-Chriſti corde; ubinam tutior & ſecurior es? Munias ipſe cor tuum aliquâ piâ cogitatione contra tenebras inferni & phantaſmata Diaboli; & certè, pia cogitatio nocte in corde condita, eſt inſtar ſeminis ſacri, quod manè germinat, refloreſcit, & fructificat. Et ſicut is qui veſperi carbones cineribus tegit, tantò faciliùs manè, cùm exurgit, focum poteſt exſuſcitare; ita qui cum piâ conſideratione veſperi incumbit, manè faciliùs fervorem in ſe poteſt accendere: reliquiæ enim cogitationis nocturnæ ſtatim incipiunt agere diem feſtum Domini.

Si per noctem expergiſcaris, mentem in Deum eleva, renovando piam cogitationem nocte in corde conditam, aut emittendo ex intimo corde, ſi Spiritus ſpiret, jacula amoris, &c. ut ſemper ardeat cor tuum, ac ferveat pietatis opus.

Hæc ſunt exercitia quotidiana, quibus ſi benè uſus fueris, dies plenos ſemper invenies in te; & conſummatus in brevi, explebis tempora multa.





CAPUT OCTAVUM.

Exercitia menstrua.

ARTICULUS I.

Recollectio unius diei.

PRæcipuum exercitium, est menstrua unius diei specialis recollectio, quâ renovetur animus, & quâ præsertim totius mensis defectus ad tribunal mentis vocentur, eorumque radices investigentur; & contra occurrentes difficultates animus obfirmetur. Prætereà, facilius forsan erit & utilius quibusdam Clericis, menstruæ unius diei recollectioni vacare, quàm annuæ per octiduum.

Charissime Frater, te per viscera misericordiæ obsecramus ut huic recollectioni totus intendas; nam si animæ tuæ præesse nescis, quomodò Ecclesiæ Dei, in quâ te Spiritus Sanctus posuit, diligentiam habebis? Hunc tandem teporem qui animum tuum adeò constrictum tenet, viriliter excutere opus est. An velles te ad negotia secularia, ad otium, ad nugas & fabulas, per totam vitam convertere? Absit tandem hæc torpida & protracta nimis oscitatio, vomitum Dei provocans, & secundæ mortis prænuntia.

Documenta ad hanc recollectionem per-

utilia, ſupra inſinuavimus tibi, *pag.*257. Praxim autem & methodum hîc obiter, ſed prolixiùs in Præparatione ad mortem, huic recèns adjunctâ volumini, aperto & libenti corde tibi exhibuimus. Quam ergò habes allocutionem?

Quòd ſi huic divino exercitio nullatenùs vacare queas; ſaltem per unam duaſve horas unius ex ſingulis menſibus diei, in diſcutiendâ conſcientiâ tuâ diſtrictiùs viriliter incumbe.

Ut autem huic in temetipſum inquiſitioni, & huic menſtruæ omnium actionum diſcuſſioni accuratiùs ſtudeas, hæc divina oracula ſeriò tecum recogita.

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. 2. Cor. 5. *Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Luc 12. *Redde rationem villicationis tuæ.* Ibid. 16. *Cui multùm datum eſt, multùm quæretur ab eo.* Ibid. 12. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis.* Soph. 1. *Horrendè & citò apparebit vobis quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt fiet.* Sap. 6. *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Pſ. 49. *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Ibid. 24. *Nihil eſt opertum quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur.* Matth. 10. *Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* 1. Pet. 4. *Areſcent homines præ timore.* Luc 27.

Harum clangore tubarum, & tot tantorumque oraculorum tonitru excitatus & territus, *teipſum ante judicium interroga, & in conſpectu Dei invenies propitiationem.* Eccli. 18. *Nam ſi temetipſum dijudicaveris;*

non utiquè judicaberis 1. Cor. 4. Igitur; dùm tempus est miserendi, in te tanquàm severissimus judex sæviens, *statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viâ rectâ.* Jer. 31. *Scrutare vias tuas, & revertere ad Dominum.* Thren. 3. Ipse Dominus miserator & misericors, qui non vult mortem peccatoris, & qui facienti quod est in se, vi prioris gratiæ, non denegat ulteriores, uberiores, & validiores gratias, faciet tecum misericordiam. Consolare in verbis illis. Ecce tibi hujusmodi discussionis praxim.

ARTICULUS II.

Reflexiones de statu conscientiæ, frequenter per vitam, aut saltem singulis mensibus faciendæ.

SAnctuarium Dei possideo, Minister Christi sum, & mysteriorum Dei dispensator, &c. Honor sublimis! Sed heu! formidandum onus! Sum Sacerdos in æternùm; hoc verum est; verùm character hic indelebilis quo insignitus sum, erit mihi in æternam gloriam, an in sempiternam ignominiam? In hanc tamen, vel illam, cadam necesse est. O quantùm periclitor!

Quis me vocavit? An Pater cœlestis? An caro & sanguis?

Quomodò intravi? An per verum ostium? &c. An veste nuptiali indutus, an vitiis fœdatus? &c. Quo fine intravi? O inscrutabile cor meum! O infelix ego homo!

homo! timor & tremor veniunt ſuper me.

Tot abhinc annis quibus Sanctorum terram occupo, quomodò vixi? Heu! confuſio faciei meæ cooperit me. Quomodò vivo? Væ! Servus inutilis ſum. Væ! væ! In terrâ Sanctorum iniqua gero; millia ſanctitatis media quotidiè elabi ſino; non modò non progredior; ſed in dies ipſis laïcis deterior fio. Proh pudor!

Nùmquid ſum ad mortem paratus? Heu mihi! Quì eſſem ad mortem paratus, ſi ad hoc grande opus me ſeriò exercere nondùm didicerim? Moriar tandem; dies mei numerati ſunt, & præteriri non poſſunt; ſed, ſi talis vita, finis ita, ubi parebo? Reſpondeat cor meum.

Quale eſt cor meum contra peccatum mortale, præſertim contra ſuperbiam, avaritiam, & luxuriam, contra hos tres infenſiſſimos Clericorum hoſtes? Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus. Nonne alicujus, in uno ſaltem puncto, me conſcium ſentio? Annon in falſam, imprudens, cecidi conſcientiam? O quantæ tenebræ! Quoties lux inter tot tenebras luxit, & tenebræ eam non comprehenderunt? O in quam profundam me demergam abyſſum!

Quale eſt cor meum erga peccatum veniale? Nùm adhùc adhæreo huic vitio quo tamdiù laboravi, & quo contriſtavi Spiritum Sanctum? Quem conatum adhibui, ex præteritâ Confeſſione, ut illud ex corde meo extirparem? Heu! Nullum. Hoc mea mihi objicit conſcientia. O igi-

tur irrisor, & non pœnitens !

Nonne proprio abundans sensu, reputo adhùc tanquàm levia, delicta quæ in Clericis, juxta pondus Sanctuarii, & Trid. maxima sunt ? O periculosa cæcitas mea !

Contendo conciliare conscientiæ meæ hanc optatissimam pacem quæ exuperat omnem sensum ; hoc quidem velle videor ; sed nolo, piger. Undè, infelix, hanc non habeo pacem ? Quare ? Quia non est pax in terrâ nisi hominibus bonæ voluntatis. An semper dies meos inter velleïtates & Dæmonum dolos agam ? O effrons socordia mea ! Quò se feret ? Quò me ductura est ? Divina me terrent oracula ; sed heu ! Quàm parùm me ad teporem excutiendum, & ad fructus sanctitatis dignos excitant ? Nonne ergò desideria mea, quibus illudor, me tandem occident ?

Acquiesco carni aut sanguini ? Distraho, propter consanguineos, res Ecclesiasticas quæ Dei sunt ? Si mei non fuerint dominati, & pauperes sint, tunc immaculatus ero ; si verò divites, periclitor.

Militans Deo, & in sortem Domini vocatus, implico me negotiis sæcularibus ? Nùm avocavit me à divinis, & dedit me populis contemptibilem hæc fœda sollicitudo, aut turpis aliqua negotiatio ?

Cuinam conformor ? An huic sæculo ? An imagini Filii Dei ? Si mundo, certè cum hoc mundo damnabor ; si Christo, prædestinandus sum : eligere meum est. Ecquid ? Renuntiasse mundo, & diligere mundum & ea quæ in mundo sunt ? Induisse

Christi characterem, & non induere ejus humilitatem, mansuetudinem, paupertatem, &c.? O monstruosa res! O certum reprobationis signum! Quæ mea mens?

Quale est cor meum erga munia & onera ministerii mei? O quàm strictam de his reddam rationem? An hoc recogito corde?

Quomodò psallo in conspectu Angelorum, & tracto divina mysteria, quorum dispensator sum? An usu, an affectu? An purâ intentione, an torpidâ? An sanctè & ferventer, an tepidè & perfunctoriè? An vero, an ficto animo?

Quomodò me gero ante celebrationem Missæ, in ipsâ celebratione, & post celebrationem? Quomodò in choro? Absum ab eo justâ causâ, an fraudulentâ? Paveo ad sanctuarium Dei juxtà eam quæ illud decet sanctitudinem?

Quomodò tempus adeò pretiosum contero? An ludis, aleis, choreis, comessationibus, somno, consortiis, fabulationibus, nugis, &c. illud consumo? An studio & scientiæ casuum conscientiæ, Canonum, Rubricarum, & aliis ministerii mei muniis? Sunt omnes dies mei mali, an boni? Quem fructum haurio ex fontibus Salvatoris, ex diebus salutis, & ex hoc acceptabili tempore?

Nonne otio & ignaviâ marceo, ac ignorantiâ laboro? Quis fuit, quis est illius otii, ignaviæ, & ignorantiæ effectus? Illum Deus scrutabitur, & forsan ad meam confusionem.

Incumbo strenuè & viriliter perfectioni

meæ ? Reverà, quale eſt cor meum circa exercitia ſpiritualia ? An jucunda mihi ſunt, an moleſta ? Impendo libenter meditationi, lectioni, & examini ? Delector ſacrâ animi recollectione ? Studeo mortificationi ſenſuum, & propriæ voluntatis abnegationi ? Cogito frequenter & piè de Deo ? Complaceo mihi in Jeſu, Deo & ſalutari meo, ac inter boni teſtimonii viros & Clericos ? Quâ alacritate inſpirationibus Dei ad perfectiora vocantis reſpondeo ? Nonne hæc pia exercitia, eorumque unctiones faſtidio, quia horum uſum non habeo ? Quid redolet illud faſtidium ? Hæc pia opera ad Religioſos, ad Moniales, & ad devotum fœmineum ſexum faſtidioſus remitto, quaſi ego ſanctus non eſſem, quaſi his ego adminiculis, medias inter mundi illecebras, & fragilis homo, non egerem. O vita tepida ! O periculoſa febris ! O lues populo infeſta ! Nonne tamen ſum ego ille vir tepidus, ab ore Dei jamjam evomendus ? Opera mea me manifeſtum faciunt. Quid tandem facere volo ?

Quo zelo inardeſco erga animas mihi commiſſas, pretioſo ſanguine Agni immaculati redemptas, & quarum ſanguis de manu meâ eſt requirendus ? Sum Paſtor bonus, an mercenarius ? Nonne idolum Paſtoris ſum ? Væ mihi ! Si res ita ſit, bonum mihi erat ſi natus non fuiſſem.

Et verò, quo fervore inſtruo & corripio populum ? Quâ benignitate rudes & infantes catechiſo, convolo libenter ad tribunal pœnitentiæ, quotieſcumque ſaltem

desideror ? Quomodò me gero inter audiendas Confessiones ? Sum severior, an indulgentior ? O detestandum monstrum, si, occasione Confessionis, ad venerea me & pœnitentem allicerem ! O lupe rapacissime, si compartem & complicem ad pedes meos absolvendam cogerem ! An decet hæc inter Sanctos nominare ? Pudet nos hîc dicere quod nonnullos facere non pudet.

Quos in usus impendo partem fructuum Beneficii, honestæ sustentationi superfluam ? An in pauperes, & in alios pios usus ; an in luxum, ludum, comessationem ; in parentes divites, &c. Heu mihi, si pauperes, quos occidero quia hos non pavero, stent in magnâ constantiâ adversùm me ! Nonne stabunt condemnantes me ? Quoties tamen contigit ut hanc rerum Dei dilapidationem nec quidem confessus fuerim ? Super quem descendet hæc tremenda nimis sententia : *Discedite à me, maledicti, esurivi*, &c ? Ipse viderim.

Quâ animi alacritate agonisantes adeo, ut eos in hoc tempore malo adjuvem, & ad portum salutis æternæ dirigam ? Quoties, hujus pietatis officii ministerio meo annexi, me tæduit ? O simulachrum Pastoris ! Nùmquid ergò darem animam meam pro ovibus meis, si in summo periculo versantibus, pedem unum dare nolim ?

Studeo in visceribus Christi omnibus omnia fieri, ut omnes salvos faciam ?

Incumbo in cætera ministerii mei munia, juxta Concilii Tridentini Sanctiones.


Si ſim Syndicus, aut Præpoſitus Capituli, aut alicujus Communitatis Eccleſiaſticæ, præſum verbo & exemplo, curo ut omnia fiant honeſtè & ſecundùm ordinem? In hoc tamen poſitus ſum. Do operam ut jura omnia ſerventur? &c. Nonne fui forſan perjurus? &c.

Denique provideo noviſſima? Dijudico meipſum? Habeo in mente annos æternos? Deſcendo in infernum vivens? Vigilo? Habeo ſemper lucernas ardentes in manibus meis? Si nunc animam meam repeterent à me, ubi parerem? Quo irem?...

Heu tibi! chariſſime Frater, timor & tremor non veniunt ſuper te, ubi Hilariones & Hyeronimi timuerunt valdè? Verè timor Domini non eſt ante oculos tuos.

His & aliis animo recogitatis, ſi cognoſcas te profeciſſe, gratias age Deo à quo deſcendit omne donum optimum, & qui dedit tibi victoriam per Jeſum-Chriſtum. Si verò ſentias te defeciſſe, cave ne animo concidas; vide in quo peccaveris; ſcito quid deſit tibi, & erubeſcens, pœnitentiam age, reſipiſcere ſtude, remedium adhibe, alacriùs labora ſicut bonus miles Chriſti; perſequere fortiùs inimicos tuos, neque convertaris donec deficiant; avidiùs negotiare dùm venit judex; ſanctiùs ac pleniùs tranſige tempus, dùm tempus habes. Væ tibi; chariſſime Frater, ſi hodiè audiens vocem Domini, obdures cor tuum.





CAPUT NONUM.

Exercitia annua.

I. PRæter recollectionem menstruam unius diei, expedit ut annuam, sex vel octo dierum, instituas, quò venturi sæculi veritates in animum altiùs descendant tuum, & quò efficaciùs ad puritatem conscientiæ, ad unum necessarium, & ad pretiosam Sanctorum mortem intendas. Pro quâ recollectione eligere potes ex isto libro, vel ex aliis, documenta & exercitia quæ statui tuo tuæque devotioni magis congruent.

II. Consulimus tibi generalem totius anni confessionem, in quâ recogitans in amaritudine animæ tuæ omnia peccata omnêsque defectus, securiùs novissima providebis; gaudium in cœlo, & tuæ conscientiæ pacem ac serenitatem paries.

III. Ultimâ anni die, recita in spiritu humilitatis & animo contrito, Psalmos Pœnitentiales; & factus pro te & pro populis reconciliatio, exerce aliquam mortificationem viribus tuis, statui tuo, & Confessarii consilio congruentem, in expiationem tuorum & alienorum peccatorum, & ad bonorum operum ferventiorem, per annum sequentem, efficaciam assequendam.

IV. In principio anni, elige unum ex

tuâ professione Sanctorum, quem Patronum & Ducem fideliter singulis anni diebus adhibebis.

V. Præfige tibi unum particulare & radicale vitium, cui, utpotè infensissimo tuæ perfectionis hosti, bellum per totum annum inferes, nec converraris donec deficiat; eodem fervore virtutem huic vitio contrariam alacriter exerce. Verùm, fortitudinem Jesu Christi qui vicit mundum, quique nova omnia fecit, ad te semper sollicitus custodi.

VI. In anniversario Baptismi, renova tuam mundo renuntiationem, fidei professionem, & pacta quæ spopondisti Domino Jesu, cui in eodem Baptismo consepultus es.

VII. In anniversario tuæ ad Sacerdotium promotionis, ressuscita gratiam quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii; renova pariter votum castitatis, tuamque Deo consecrationem; da operam ut renoveris spiritu mentis tuæ, & ut crescas de die in diem in illo qui est caput Christus, qui quidem videns bonam voluntatem tuam, admirabiles ascensiones disponet in corde tuo.

VIII Lege quotannis Ritus & Rubricas, simul & Canones ac Statuta quæ ad te spectant.


IX. Mysteria Jesu-Christi & Beatæ Virginis Mariæ, ac festa Sanctorum per annum occurrentia, celebrare contende juxtà intentionem & in unione sanctæ Ecclesiæ, & piorum hominum praxim. Eamdem devo-

tionem, si locus sit, cæteris suggerere decet.

X. Elige unum peculiarem diem quo largiores eleëmosynas in sinu pauperum concludes, & de his, præsertim verecundis, catalogum instítues, ut eos in necessitate, vel per te, vel per alios misericordiæ viros protegere, eisque opitulari possis.

Si sis animarum Pastor, institue singulis annis, aut saltem altero quoque anno, alium catalogum eorum qui juxtà tuam prudentiam instruendi sunt ad primam communionem, quos totâ animi attentione, totoque cordis affectu ad hoc grande opus, ex quo interdùm pendet totius vitæ recta directio, exercebis. Quid statui tuo congruentius? Quid Deo jucundius agere vales?

Omittimus hîc consultò alia pia exercitia tùm tibi, tùm aliis ad fervorem augendum & fovendum utilissima, & quæ per anni cursum adhibere licet. Ama Deum, & fac quod vis; ejus Spiritûs unctio tibi plura suggeret quàm omnes libri.



CAPUT DECIMUM.

Modus peragendi bonum honestè, sanctè, & dignè Deo.

QUid prodest hanc regulam sequi, & quodcumque agere bonum, si id non fiat juxtà voluntatem Dei, & secundùm beneplacitum Christi? Undè, quàm multi erunt, qui post mirabilia facta, dicent;

quarè jejunavimus & non aſpexiſti ? Humiliavimus animas noſtras, & neſciſti ? *Neſcio vos*, eis terribiliter reſpondebitur; ipſiſmet obſequiis veſtris *inhonoraſtis me*. Cave tibi, chariſſime Frater. Quapropter ſequentia adjuncta, cum omnibus operibus tuis conjunge.

ARTICULUS I.

Fervor.

DOmino ſerviens, da operam ut ſpiritu fervens ſis, in unione illius fervoris quo Dominus Jeſus exultavit ut gigas ad currendam viam. Si interdùm cor tuum derelinquat te, deficiat ſpiritus tuus, & dormitare videatur anima tua præ tædio & nauſeâ, his in anguſtiis, oculos conjice in Jeſum, qui factus in agoniâ, victor tamen ſui, oblatus eſt quia ipſe voluit. Hoc exemplo confortetur cor tuum, & delectare in Domino qui hilarem datorem diligit; aut ſaltem, ſcuto bonæ voluntatis munitus, hanc illi offer anguſtiam in unione ejus anguſtiæ; & hæc orabit & operabitur pro te.

Vis, chariſſime Frater, omnem animi excutere teporem ? Cogita te Regi regum & Domino dominantium ſervire; maledictum eum appellari qui facit opus Dei negligenter; ſic intende operi quod hîc & nunc faciendum eſt, quaſi nihil aliud faciendum incumberet; attende illud antiquum monitum: *Age quod agis*; omnia tempus habent, ſufficit diei malitia ſua; ſic in parti-

culari opus tuum perage, quasi vitæ tuæ ultimum esset; undè illud Bernardi monitum: *In omni opere dicat sibi: si modò moriturus esses, faceres istud?*

ARTICULUS II.

Devotio interna.

DEus spiritus est; omnis gloria filiæ Regis ab intùs. Igitur, honora Dominum non labiis tantùm, verbo, & linguâ, sed corde; adora eum in spiritu & veritate, ut sis verus adorator, & des fructum in omni tempore.

Absit tamen ut negligas ceræmonias & mortificationes exteriores; his enim Deus colitur & placatur, elevatur mens, & ædificantur fideles, quia invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Præterea animâ & corpore constans, nonne æquum est ut hæc & istud obsequium Deo præstent?

Ut autem in omnibus servias Domino in justitiâ & veritate, stude recollectioni internæ, evacua à rebus omnibus mentem tuam, maximè ante orationem & quodcumque exercitium spirituale. Quapropter Sancti, ante orationem, conabantur exuere se ab omni cogitatione rerum externarum, soliusque Dei memoriam corde gerere. Sic de Sancto Francisco traditur, cùm Ecclesiam oraturus ingrederetur, solitum dicere: *Manete hîc cogitationes meæ donec egrediar;*

& ubi opus Dei implevero, si indigeam vobis, iterùm vos assumam.

Eodem modo se hortabatur S. Bernardus, ante orationem dicens: *Intentiones, cogitationes, affectiones, & omnia interiora mea, venite, ascendamus ad montem, ubi Dominus videt & videtur; curæ & sollicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, expectate me cum asino isto corpore, donec ego cum puero, intelligentiâ scilicèt & oratione, usque illùc properantes, postquàm adoraverimus, revertamur.*

Si inter sacras actiones distraharis, placidè mentem recollige, adama solitudinem, devotioni inrernæ congruentem; idque exemplo Christi, qui, dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare; vesperè autem facto, solus erat ibi. Quòd si medios inter labores, medias inter turbas, orare & adorare debeas, fac tibi solitudinem in corde tuo, ut Sancta Catharina Senensis, & ut S. Franciscus Xaverius; & da operam ut, dùm mens attendit exercitiis spiritualibus, cor repleatur devotionis pinguedine & fructu.

ARTICULUS III.

Puritas intentionis.

OMne quodcumque aut in verbo, aut in opere facis, omnia in gloriam Dei fac, non quærens placere hominibus, sed Deo qui est principium & finis. Hanc puram intentionem placendi Domino, renovare

opus eſt veſpere, manè, meridie, in principio & decurſu cujuſlibet operis. Si oculus tuus ſit ſemper ſimplex, totum corpus ſemper lucidum erit, ſine intermiſſione orabis, ac conſummatus in brevi, explebis tempora multa; & quàmvis ſis in pauca fidelis, theſauriſabis tibi theſauros in cœlo, maximè ſi omnia opera facias in unione intentionum & meritorum Chriſti Jeſu, à quo omnis noſtra ſufficientia eſt & gloriatio. Quòd ſi, cupiens videri ab hominibus, quæras gloriam tuam, quamtùmvis vir divitiarum, cùm dormies ſomnum tuum, in manibus tuis nihil invenies, etiamſi jejunaveris, dæmonia ejeceris, ac in mundo mirabilia magna feceris; audies procul dubio illud formidabile verbum: *neſcio te, jam mercedem accepiſti.* Elige.

ARTICULUS IV.

Ordo temporis & actionum.

QUæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Deus omnia fecit in pondere, in numero, & menſurâ. Omnia ſecundùm ordinem fiant; ordo ducit ad Deum *S. Aug.* Igitur, ordinem ſequere, quoad ejus fieri poterit, toto vitæ tempore; obſerva tempus cuilibet actioni deſtinatum ſimul & conſentaneum; obſerva pariter locum aptiorem, ſecundùm beneplacitum Chriſti; hâc enim temporis, loci, & modi obſervatione, Deus, qui bonorum noſtrorum non indiget, magis delectatur quàm ipsâ actione. Fidelis ſermo,

acceptione dignus! Quis placere Deo, quis thesaurisare sibi in cœlo thesauros singulis momentis non properet?

ARTICULUS V.

Perseverantia in bonis actibus.

DOminus, cui servis, idem ipse est & non mutatur. Christus, & heri, & hodiè ipse & in sæcula. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quapropter, fidelis sis usque ad mortem. Et quoniam militia est vita hominis super terram, necesse est ut, insurgentibus undiquè difficultatibus, jugiter & fortiter resistas.

Igitur, hoc seriò considerandum est, perfectionem tuam in hoc consistere, ut quod justum est justè persequaris, & ut actiones, præsertim ex officio & ex vocatione tibi incumbentes, perfectè & constanter obeas. Si rem grandem diceremus tibi, certè facere deberes; quantò magis quia nunc dicimus tibi: *in pauca tui muneris fidelis sis?* Si in hoc modico iniquus sis, nonne inexcusabilis es? Arduum quidem opus est, sed Deus impossibilia non jubet; sed jubendo, monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. *Trid.*

Contende, charissime Frater, adeò honestè & perfectè omnia opera tua facere, ut proportione servatâ, de te dicatur quod & de Christo Jesu: *benè omnia fecit.* Si omnia vel minutissima, dignè Deo, sanctè, or-

dinatim, & constanter opereris, particula boni diei non præteribit te, dies pleni invenientur in te, morieris plenus dierum, erit mors tua pretiosa in conspectu Domini; poteris tandem sic in Domino gloriari: *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.*

Hoc est omnis homo; cætera, vanitas & afflictio spiritûs. Dic ergò: *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

CONCLUSIO HUJUS REGULÆ;

ET AD SACERDOTES EXHORTATIO.

EN, Genus electum, regale Sacerdodotium, Gens sancta, & Populus acquisitionis, en Regula Cleri, & ad vitam via. Iterùm dicimus: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.*

Comedite ergò istud volumen, hoc conferentes in corde vestro; ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & justè & piè vivatis in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi. Hæc omnia facientes, & vosmetipsos salvos facietis, & eos qui vos audient.

Pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat intelligentias vestras & corda vestra in Christo Jesu; ita ut, in charitate radicati, & in fide confirmati, abundetis & crescatis per omnia in illo qui est caput, Christus. Si Laïci, imò & Fratres vestri

detrahant vobis quoniam bonitatem & viam arctam ſequimini, veſtramque derideant ſimplicitatem, viriliter agite, & confortetur cor veſtrum; hi enim quæcumque ignorant blaſphemant. Date operam ut nemo vos ſeducat inanibus verbis; quin etiam, qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.

Memineritis eos tantùm ſalvos fieri qui uſque in finem perſeveraturi ſunt. Sic ergò currite ut comprehendatis, ne jure in vos jaciatur iſtud: *hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare; hic eſt filius Ephrem, qui intendens & mittens arcum, converſus eſt in die belli.* Quid Judæ proditori benè incepiſſe profuit? Diſcite, hoc exemplo, fideles eſſe uſque ad mortem, & dabitur vobis corona vitæ. Nos verò confidimus quidem hoc ipſum, quia qui incepit opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Sed & vos cavete ne vobis ipſis ſapientes, gratiam Dei in vacuum recipiatis; efficiamini verò ſicut parvuli, ut vos exaltet in tempore viſitationis; & cùm ille apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis hanc immarceſſibilem gloriæ coronam. O nimis beati!

Utinam, Fratres chariſſimi, ſuſtineatis modicum quid inſipientiæ noſtræ; non ut confundamus vos hæc ſcripſimus; ſed monuimus tantùm, ut, cùm ſitis Miniſtri Chriſti, fiatis conformes imagini ejus; & ut, ſicut ille ambulavit, ita & vos ambuletis.

Eïa ergò, benedicite inceſſanter Dominum omnes vos qui ſtatis in domo ejus,

ut ipsimet Laïci in vestrum odorem bonum currentes, laudent pariter & benedicant Dominum in omni tempore.

Attamen, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: *servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus; non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam;* quandò enim ipse Deus coronabit merita nostra, dona sua ut rectè loquitur D. Augustinus coronabit. Quis non humiliet se? Quis non det gloriam Deo, ut ejus misericordiam in æternùm cantare possit?

Dominus noster Jesus-Christus, qui est fons omnium bonorum, tales faciat Sacerdotes quales descripti sunt. D. Thom.

PROTESTATIO

Auctorum.

HOc opus de Regulâ Cleri & subsequens de Præparatione ad mortem, animosque nostros judicio & censuræ Romanæ Ecclesiæ Ecclesiarum Matri & Magistræ, Ecclesiæ Dei vivi, columnæ & firmamento veritatis, humiliter, devotè, & sincerè, ac eidem Ecclesiæ usque ad mortem in omnibus obedientes, subjicimus.

SIMON SALAMO & MELCHIOR GELABERT, Presbyteri Diœcesis Elnensis.




PRÆPARATIO
PROXIMA
AD MORTEM,

AD USUM CLERICORUM,

POPULO ETIAM PERUTILIS;

Compendiosæ Regulæ Cleri, ab iisdem auctoribus addita, ut sanctam vitam sequatur & coronet pretiosa Mors.

Estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius Hominis veniet. *Luc 12.*



BEATÆ MARIÆ VIRGINI,

PRETIOSÆ MORTIS EXEMPLO ET PATRONÆ.

POst dicatam Christo Jesu, Regum Regi, & Altissimi Filio, Regulam Cleri, æquum est, ô benedicta inter mulieres, Regina Cœli, ac Mater pulchræ dilectionis & sanctæ spei, ut tibi, de quâ natus est Jesus, dicemus hanc ad mortem præparationem, quia & sanctæ vitæ, & pretiosæ mortis es tutissimum præsidium, & perfectissimum exemplar.

Mirabilis Deus in Sanctis suis! sed quantò in te mirabilior, ô Regina Sanctorum?

Ave ergò, Mater Dei, pulchra ut luna, electa ut sol, speculum sine maculâ, pulchritudo justitiæ, hortus conclusus, fons signatus, gratia omnis viæ & virtutis, gloria Jerusalem, lætitia Israël, magnificentia populi. Ad tuos pedes provoluti, te supplices & fidenter rogamus, ut hoc sacrificium justitiæ, quod tibi in rationabile obsequium nostrum offerimus, acceptare

digneris. Tu es gratiâ plena : ecquid mirum ? Dominus tecum, & fecit tibi magna qui potens est; ex tuâ obedientiâ & humilitate, beatam te dicent omnes generationes. Tu terribilis es hosti, in horâ mortis nostræ, ut castrorum acies ordinata, ut leoni rugienti fortes in fide resistamus, & ut legitimè certantes, coronemur in gloriâ.

Eïa ergò, Advocata nostra, opus manuum nostrarum dirige secundùm beneplacitum dilecti Filii tui; impetra nobis ejus spiritum, ut ipso scientiarum Domino cooperante, loquamur in simplicitate cordis nostri verba vitæ æternæ, eloquia ignita ad pretiosam sanctorum mortem plebem parantia. Interveni pro Clero, ad quem hanc beatæ mortis methodum dirigimus, ut ipsi filii tui Ministri discant vigilare, lucernas ardentes in ejus adventu tenere, & ut facti forma gregis ex animo, ad mortem, unà cum commisso sibi grege semper parati, moriantur morte justorum, & simul accipiant coronam vitæ.

Sed præsertim ad hos servos & clientes tuos, te amare, te à juven-

tute exquirere desiderantes , & hoc opus in signum sui erga te amoris offerentes , misericordes oculos converte : memento hujus quod Filius tuus in cruce pendens suggessit : ecce Mater tua. Eïa ergò , Mater misericordiæ , accipe nos in filios tuos , ut observantes vias tuas , & te in hoc exilio invenientes , inveniamus vitam in horâ mortis , hauriamus post mortem salutem à Domino , & gustemus in Cœlis dulcissimum & benedictum fructum ventris tui Jesum , ejusque misericordias in æternùm cantemus. Hæc sunt vota nostra , hæc est spes in sinu pauperum servorum tuorum reposita.




APPROBATIO.

EGo, infra ſcriptus, Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium, ſemel & iterùm Miniſter Provincialis in alma Avenionenſi Academiâ, Doctor Theologus aggregatus; ac pro Sanctâ Sede Apoſtolicâ, librorum Cenſor, quâ ineffabili voluptate librum legeram: *Præparatio proxima ad mortem*, eâdem & hunc, cui titulus: *Regula Cleri*, luſtravi. Et ſicut priorem, ita & ultimum, non Auctorum quorum nomen aut ſilent aut aſtruunt, ſed Chriſti, ſed Apoſtoli, ſed Patrum, Librum reperi. Veniant ergò Miniſtri Chriſti & Diſpenſatores Myſteriorum Dei ad utrumque pietatis & eruditionis rivulum & fluvium, aquas vivas hauſuri ex alterutro, in vitam æternam ſalientes. In fidem: Datum AVENIONE, die 27. Maii 1757.

Frat. Fr. *CASTAN.*

PRÆPARATIO



PRÆPARATIO PROXIMA AD MORTEM;

AD USUM CLERICORUM.

RECOLLECTIO

Unius ex singulis mensibus diei, præparationi ad mortem proximæ accommodata.

Viva ad Sacerdotes exhortatio, usque ad divisionem animæ pertingere valens.

MORIEMUR tandem, Fratres charissimi; sed heu! semel dumtaxàt moriemur: quâ horâ non putamus, Filius hominis veniet; post hoc autem, Judicium, & quidem Judicium sine misericordiâ. In quocumque loco ceciderit lignum, ibi in æternùm erit. O formidabile momentum mortis, quo de summâ rei decertandum est! Momentum ex quo pendet

totius æternitatis causa ! O res plena periculi ! Ecquid, Fratres charissimi, si revertente Domino, non habeamus lucernas ardentes in manibus nostris ? Ecquid, si, pulsante Judice ; si, diebus salutis & acceptabili tempore abusi, nihil in hoc tempore malo inveniamus in manibus nostris ? Tunc quidem invocabimus Deum ; verùm, exaudiet nos ? Nonne potiùs nos meritò subsannabit ?

Estote parati, nos sæpissimè monuit ; sed si maturè non sapiamus ; nec novissima, dùm dies est, provideamus, quomodò in tam difficili luctâ præparabimus corda nostra ad nuptias, & ad pretiosam Sanctorum mortem ? in illâ, inquam, horâ ubi infestior morbus, caput debile, corpus languidum, ratio non perindè lucida, & dolores mortis non dabunt pœnitentiæ & salubrium operum locum ; in illâ horâ, quâ tot dies mali præteriti, tot gratiæ & salutis media in vacuum recepta, tot iniquitatis propriæ & alienæ torrentes, tot conscientiæ stimuli conturbabunt intellectum ; in illâ tandem horâ, ubi multa Judiciorum Dei abyssus imminens, & pericula inferni nos invenientia, torquebunt cor nostrum ?

Heu nobis ! Si Hilariones & Hieronymi, quantùmvis pœnitentes & ad mortem semper parati, timuerint valdè in hoc tribulationis tempore ; quid fiet de nobis, qui occupati erga plurima per vitam, negligimus unum necessarium, præparationem scilicèt ad mortem, & vivimus simi-

les jumentis insipientibus quibus non est intellectus, vivimus quasi numquàm morituri ?

Frequentissimè quidem legimus & prædicamus tremenda Dei oracula de periculis subitaneæ & improvisæ mortis ; videmus ubique ægrotos & moribundos super lectum doloris, quos agonisantes adhortamur, & adjuvamus ad felicem mortem ; videmus defunctos in feretro, quos oscitanter comitamur ad tumulum ; sed heu ! hæc omnia usu vilescunt, & ex his parùm curamus mori quotidiè, & sumere nobiscum oleum cum lampadibus in adventu sponsi ; & tandem, differentes de die in diem, venit mors super nos, tamquàm fur ; venit subitò ira Dei, & in tempore vindictæ disperdit nos ; & morientes morte peccatorum pessimâ, morientes in peccato nostro, sepelimur in inferno. O socordiam nostram ! O cæcitatem lachrymis sanguineis deplorandam !


Eïa ergò, Fratres charissimi, qui alios docemus, nos ipsos doceamus summam artem moriendi morte justorum ; quapropter, subindè moriamur dùm vivimus ; id est, moribundi quodammodò personam assumamus, dùm adhùc integræ sunt corpori animoque vires : voluntariè sacrificemus Domino, qui hilarem datorem diligit ; agamus nunc quæ faciemus, aut facta volemus jam morituri, quia nimirùm facilè occurrunt morienti quæ vivens amavit & libens exercuit ; at non facilè præstò sunt, & sapida remedia, quorum per vitam exi-

gua cura fuit vel memoria.

Nos verò, gens sancta, gustemus dùm sani sumus & incolumes, exercitia ad beatam mortem perutilia, iisque singulis mensibus semel incumbamus libenter. Omnia tempus habent. Nonne sufficit tot annos ad nugas, & ad fabulas convertisse? O stulti! Quis nos adeò fascinatur, ut excusantes excusationes, hoc breve annorum residuum, Deo animæque nostræ recusemus?

Heu, insipientes corde! si veritates venturi seculi, coram Christo Jesu misericorde, recogitare, & hæc exercitia salutaria gustare nolimus; illas & hæc, spiritu gementes, & desperatione acti, in æternùm recogitabimus in crudeli amaritudine animæ nostræ, quod avertat Deus.

Misereamur ergò animæ nostræ; jam hora est nos de somno surgere; ecce Dominus adest & vocat nos, ducit nos in istam formosam solitudinem, ut loquatur ad cor nostrum, ut ibi spiritu intelligentiæ nos repleat, renovet nos spiritu mentis nostræ, mutet in alios viros, & ut ad beatam mortem & viam pacis pedes nostros dirigat. Festinemus ingredi in illam requiem, audituri & docibiles facturi quid loquetur in nobis Deus. Mors nostra poterit quidem esse repentina; ipso tamen propitio, non erit improvisa.



PRÆPARATIO

Ad recollectionem unius ex singulis mensibus diei.

1°. NEceſſarium eſt, ab omnibus objectis mentem & cor diſtrahere, & à curis etiam licitis ſe ſegregare.

2°. Juvat locum ſolitarium eligere, mortis imaginem præ oculis habere, eorumque, & aliorum ſenſuum, ſeculi vanitatibus oſtium claudere, ut cum ſolo Jeſu in ſilentio converſans, audire & guſtare poſſis quid loquatur in te Dominus Deus.

3°. Quàmvis præcipuus hujus recollectionis fructus ſit ſeria ad mortem præparatio, expedit tamen ut inſtituas pugnam contra quaſdam inclinationes quæ ſunt origo aliarum imperfectionum & vitiorum.

4°. Memineris neceſſarium eſſe ut habeas deſiderium efficax tuæ perfectionis, dicens ex abundantiâ cordis? *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus.* Stude & tu, ut ex fructibus tuis cognoſcaris ſincerè velle tuam perfectionem & beatam mortem.

5°. Fideliter obſerva omnia hujus recollectionis exercitia, eorumque methodum & ordinem; nec reputes leve quod ad tuam perfectionem conducere poteſt. Verùm, quàmvis hîc quàmplurima tibi præfigamus exercitia, ea tamen elige quæ tuo ſtatui, tuæ devotioni, & divinæ illuſtra-

tioni magis congruent.

6°. Quò ferventiùs huic recollectioni incumbas, cogita hanc occasionem, quam Deus tibi offert, esse fortasè postremam: quapropter, eodem fervore & animo eidem incumbe, ac si sub finem illius diei moriendum tibi esset.

7°. Cogita beatam mortem, salutem & perfectionem tuam, esse opus Dei miserentis: quapropter, enixè postula ejus auxilium, visita in eum finem Christum Dominum in Eucharistiâ; invoca etiam Sanctorum patrocinia, præsertim Beatæ Virginis, Angeli Custodis, S. Joseph; ut eorum præsidiis, animam tuam ad hæc salutaria exercitia & beatam mortem præpares.

Tandem, pervigilio recollectionis, & post vespertinam orationem, hæc tecum animo recogita.

REFLEXIONES

De Morte, & de ejus circumstantiis.

I. ADhùc vivo; sed tandem moriar: hoc statutum est. Paucitas dierum meorum, qui præteriri non possunt, finietur brevi. Uno tantùm gradu ego morsq; dividimur; quid enim est vita mea, nisi ventus, & vapor ad modicum parens? De me ergò brevì dicetur quod & de aliis: *Mortuus est.*

Quid sentiam in horâ mortis, de concupiscentiâ carnis, de concupiscentiâ oculorum, de superbiâ vitæ, de hâc fascina-

tione nugacitatis quæ obſcurat intellectum, & quæ ducit ad perditionem ? Heu ! In illâ die peribunt cogitationes meæ. Quid ſentiam tunc de ſimplicitate Juſtorum, & de viâ arctâ quæ ducit ad vitam ? Nùmquid eam deridebo ?

II. Quandonàm moriar ? Neſcio, moriar quâ horâ non puto : ergò revocari & mori poſſum in dimidio dierum meorum, cras, hâc nocte.

Attamen meum non eſt noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate : latet mihi ultimus dies, ut omnes obſervem dies. Meum ergò eſt redimere tempus, quia dies mali ſunt, & laborare dùm dies eſt, quia venit nox in quâ non potero operari. Meum eſt vigilare, attendere, & omni horâ eſſe paratum : verùm, ſum paratus ? Heu mihi ! Si nunc animam meam repeterent à me, ubi parerem ? Quò irem ? Timor & tremor veniunt ſuper me, & conturbata ſunt omnia oſſa mea.

III. Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea ; jam ſpiritus meus attenuatur, dies mei breviantur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum : ero quaſi non eſſem, de utero tranſlatus ad tumulum ; hæc domus mea erit ; ibi pater meus, mater mea, & proximi mei derelinquent me. Ecquid, ſi Dominus animam meam non aſſumpſerit ; ibi ero intuentibus horror, vermium corrodentium eſca ; ibi, pelli meæ, conſumptis carnibus, adhærebit os meum ; illic

tandem in pulverem reverſus, oblivioni dabor tamquàm mortuus à corde.

Cui tamen hùcuſque ſervivi? Ah! Domine Jeſu, non tibi, ſed huic ventri, quaſi Deo; huic mortis corpori quod aggravat animam; huic fœtido ſtercori; huic infenſiſſimo hoſti æternam mihi mortem minanti; ſcriptum eſt enim: Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.

IV. Statim poſt mortem, in ictu oculi, me manifeſtari oportet ante tribunal juſti Judicis, redditurus rationem villicationis meæ, rationem de omni verbo otioſo, rationem ipſiuſmet juſtitiæ & ſanctitatis meæ; Judex ille vivorum & mortuorum, qui ſcrutatur renes & corda, ſtatuet me contra faciem meam: nùmquid potero reſpondere ei unum pro mille?

V. Poſt Judicium ſtrictè factum, recipiam prout geſſi in corpore meo, ſivè bonum, ſivè malum. Nùmquid recipiar in æterna tabernacula? an, deletus de libro viventium, deſcendam in infernum, habitaturus cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis? In hanc tamen, vel illam æternitatem, cadam neceſſe eſt. In manibus Dei ſortes meæ. Heu, heu! Hæc animo cogitans tribularer, niſi recogitarem miſericordias Domini.

VI. Attamen, quàmvis ex pretioſâ & ex peſſimâ morte pendeat beata vel infelix æternitas, quid hactenùs feci, ut ad mortem eſſem ſemper paratus?.... O ſi Deus Judæ proditori aliquot ſalutis dies concederet, ut ex hoc tormentorum loco libe-

raretur, quos fructus pœnitentiæ dignos faceret? Nonne hoc acceptabile tempus plenissimè transigeret? Ipse Deus, propter nimiam charitatem suam, concedit mihi, licèt indigno, hos salutis dies; sed heu! ingratus & inutilis homo, nondùm cognovi tempus visitationis meæ. Quadraginta annis quibus proximus mihi fuit, vocavit me ad pœnitentiam, ad scientiam Sanctorum; sed infelix ego homo, semper renui, semper erravi corde; si nunc ergò peccatorum gravitate onustus, & meritis vacuus, morerer; nonne me in æternùm projiceret Deus? Quòusque divitias bonitatis ejus contemnam?..... Si dùm tempus habeo, & dùm dies est, bonum non operor, nonne tandem, vindice Deo, veniet nox, in quâ nihil operari potero? Sed in me reversus, dico sicut homo bonæ voluntatis: Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi.

His animo seriò recogitatis, & in corde altè fixis, somnum advoca.

EXERCITIA

Pro ipsâ recollectionis die.

ORDO DIEI.

HOrâ 5. surges.

Semi-quintâ, oratio, meditatio, Prima & Tertia.

Horâ 7. præparatio ad confessionem totius mensis præteriti, & ad Missam aut Communionem.

Horâ 9. diſpoſitio teſtamenti, Sexta & Nona, prandium & recreatio.

Horâ 1. poſt meridiem, examen particulare, roſarium, & conſideratio de anguſtiis in horâ mortis.

Horâ 2. Veſperæ, Completorium, acceptatio mortis, actus religionis, & aliqua pro defunctis oratio.

Horâ 3. meditatio, matutinum Officium pro craſtinâ die.


Semi-quartâ, conſideratio ad Crucifixum, aſpirationes ad felicem mortem poſtulandam, ſpiritualis adminiſtratio Extremæ-unctionis, proteſtatio, & viſitatio Sanctiſſimi Sacramenti.

Poſt cœnam & recreationem, commendatio animæ, ſcriptio fructûs recollectionis, & lectio documentorum pro eo conſervando.

MONITA SALUTIS.

UBi primùm expergiſceris, cogita Angelum percutientem, jubente Deo te ſic alloqui & monere : diſpone domui tuæ, morieris tu ; hâc nocte animam tuam repetent à te : tempus non erit ampliùs, ecce venit citò Judex, jam pulſat.

Hoc fervoris ſtimulo excitatus, da operam ut particula hujus boni diei quam fecit tibi miſericors Dominus, non te prætereat ; ita ut iniens veſperi lectum, ſis ad mortem paratus.



MEDITATIO

De pessimâ pravorum Sacerdotum morte.

QUid frequentius quàm videre per vitam, Sacerdotes parùm sapere, nec novissima providere, apponentes quotidiè iniquitatem super iniquitatem, aut saltem repentes humi; Sacerdotes vix curantes ad cor interdùm redire, & thesaurisare sibi thesauros in cœlo; Sacerdotes opus Dei negligenter facientes, & justorum simplicitatem, ipsumque Deum deridentes?

Sed heu! ubi primùm instat tempus resolutionis; vix intonantur ista formidolosa verba: *Dispone domui tuæ, morieris tu: Proficiscere de hoc mundo*; tunc, præ angustiâ spiritûs gementes, dicunt in corde suo, timore horribili turbati: O quàm durus nuntius ad me hodiè missus est! Heu mihi! Nunc reminiscor malorum quæ feci; nunc millia peccata occulta & aliena quibus communicavi; millia monstra quæ fovebam in sinu meo, insurgunt in me, cor meum torquentia; nunc video hoc mare magnum & spatiosum manibus; illic reptilia quorum non est numerus. Væ mihi! Me ipse decipiens, dicebam: pax, pax; nunc heu! non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum! O miserum me! nunc undiquè mihi sunt angustiæ; nomen habui quòd vixerim: nunc autem video quia mortuus fui coram oculis Domini... O insensate, ergò erravi; quæ fas-

cinatio obſcurabat intellectum meum? Quæ me malitia excæcabat ?

O ſi in pauca fidelis fuiſſem ! O ſi divina Myſteria ſanctiùs tractaviſſem ! O ſi vanitatem gravi corde non dilexiſſem, & mendacium non quæſiiſſem ! . . . O ſi zelans zelum Dei & animarum, diligentiùs attendiſſem mihi & univerſo gregi ! Sed, proh pudor ! Proh dolor ! Plantatus in domo Domini, terram Sanctorum fruſtrà occupavi ! Jeſu-Chriſti Sanguis, cujus reus factus ſum, nunc exquiritur & clamat vindictam ; ejus miſericordiam ſervire feci iniquitatibus meis ; nunc heu ! deſperationis turbine jactatum me ſentio.

O, ſi ex hâc infimitate recrearer ! O ſi adhùc haberem dies ſalutis & acceptabile tempus, quàm alacriter & peccata, & dies malos redimerem ! Sed, væ mihi ! perit deſiderium meum, quia tempus non erit ampliùs : ecce ego morior ? jam incido in manus Dei viventis ; jam pericula inferni inveniunt me : O in quantam tribulationem deveni ! heu, heu ! ſi ſanctiſſimi Viri, & Paſtores juxta cor Dei timuerint valdè in his anguſtiis, ubi parebo ego ſervus nequam ?

Hæc & alia recogitant pravi Sacerdotes in interitu ſuo, in quo ridentur & ſubſannantur à Deo, quem in Sanctuario ejus exacerbaverunt per vitam ; tunc iraſcuntur, fremunt, tabeſcunt ; Judici pulſanti aperire, de corpore exire trepidant, & videre eum, quem contempſiſſe ſe meminerint, Judicem, formidant : ſed heu ! moriuntur,

tandem inviti, & fortaſsè morte peccatorum peſſimâ.

Sed & ego qui hæc meditatus ſum, quid egi per totam vitam?.... Quid ago?.... Nonne mihi theſauriſo has amaritudines & anguſtias, quæ, Deo vindice, in horâ mortis conturbabunt me? Ecquandò tamen maturè ſapiam, ac noviſſima providebo, faciendo omnia bona quæ facere poſſum?.... Si velim pretiosâ Sanctorum morte mori, cur, dùm tempus habeo, non ſequor viam juſtorum?

O Jeſu mî! hoc eſt ante te omne deſiderium meum; ſed, ô bone Jeſu! ô Jeſu refugium meum! patientiam habe in me; ne revoces me in dimidio dierum meorum: dimitte ergò me, antequàm vadam ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, ut plangam paululùm dolorem meum, ut redimens peccata, & dies malos præteritos, præveniam tribulationes cordis mei, quæ in horâ mortis multiplicarentur ſuper me; dies plenos amaritudine, & omnia reddam tibi.

O Jeſu auxilii mei, qui operaris in nobis velle & perficere pro bonâ voluntate, adjuva me, ut perſeverans uſque in finem, accipiam coronam vitæ.

In his eſto, chariſſime Frater; & quoniam hodiè audis vocem Domini, qui ſpatium veræ pænitentiæ & latæ mortis tibi concedit, noli obdurare cor tuum: in brevi enim exardeſceret ira ejus, & in furore ſuo conturbaret te; ſcito quia in horâ mortis gloria tua hæc erit, teſtimonium bonæ conſcientiæ,

quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ carnali converſatus fueris in hoc mundo : hanc ergò bonam conſcientiam tibi modis omnibus concilia.

ALIA MEDITATIO.

De Stricto in pravos Sacerdotes Judicio.

VIx anima de corpore egreſſa eſt, jam, in ictu oculi, eam manifeſtari oportet ante tribunal Juſtitiæ divinæ; ille Dominus Jeſus, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum, qui ſcrutatur renes & corda, & qui in Angelis reperit pravitatem, ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis, manifeſtabit conſilia cordis noſtri, fodiet parietem, oſtendet abominationes peſſimas, graviſſima peccata occulta, & aliena, tamquàm minutula per vitam reputata; quin imò, omne verbum otioſum quod locuti fuerimus, de eo exiget rationem in die Judicii.

Credo hoc? Credo quidem; & tamen heu! Non ſolùm de peccatis præteritis pœnitentiam agere, eaque redimere recuſo; verùm etiam, multiplico iniquitates ſuper capillos capitis mei! Monſtruoſa delicta nihili facio, theſauriſo mihi iram Dei! O vana fides mea! O dæmonum fides!

II. Prætereà, duriſſimum his qui præſunt judicium fiet; anima pro animâ exigetur; quis eſt ille Paſtor qui reſiſtat vultui meo, dicit Dominus exercituum?

Grande periculum! Ecquid, ego de

factis alienis reddam rationem, ego qui pro meis non sufficio? (*S. Tho.*) Ovium sanguis de manu requiretur meâ? Certum hoc est; id ipsa veritas attestatur; hoc scio, & accuratiùs non vigilo? O idolum Pastoris, ô cæcus speculator! Quid ergò miser cogito?

III. Quid plura? Cùm accepero tempus, inquit justus Judex, ego justitias judicabo: examinabuntur enim bona, quâ intentione facta, quo fervore, quo modo: unde fit ut Job vereretur omnia opera sua, sciens quod Deus non parcat delinquenti.

Heu mihi! Jam me ipse in staterâ appendens, invenior minùs habens, miser & miserabilis: imperfectum operum meorum vident oculi tui, Domine Jesu, & illud in libro tuo scribis; undè, quàmvis vir divitiarum appaream, tunc in furore tuo confiteberis mihi: *non novi te*; hoc mihi minaris, & adhùc non vereor opera mea? Non studeo esse fervens spiritu? Et adhùc vivo?

IV. Tandem, cui multùm datum est, multùm quæretur ab eo.

Quid ergò respondebo ego Sacerdos, qui aquas Salvatoris sæpissimè haurio, de plenitudine ejus accipio, ipsumque Dominum, gratiarum fontem, quotidiè manduco? Scio insuper bonum & malum, omnia quæ accepit à Patre Dominus Jesus, mihi notâ fecit.

Heu tamen! Quot bona torpidè omissa, quot gratiæ in vacuum receptæ, quot talenta in terrâ abscondita? Quid respondebo, per totam vitam inutilis, quandò tot

gratiæ, ſanguinis Agni immaculati pretium; exquirentur, & vehementiùs clamabunt vindictam quàm ſanguis Abel? Quid verò audiam, niſi hæc tremenda nimis verba? *Diſcede à me, ſerve inutilis, operarie iniquitatis; in terrâ Sanctorum iniqua geſſiſti, non videbis gloriam Domini; diſcede à me in ignem æternum.*

O anima mea, ſi hæc audiens & meditans, non ſurgas de ſomno, non dormis, ſed mortua es! Ubi te abſcondes, miſera, à vultu iræ ejus? Quæ eſt tamen nunc expectatio tua, niſi judicium ſine miſericordiâ? Quam tunc habebis allocutionem? Reſponde?

Domine Jeſu, ſcio verè quòd ita ſit, & quòd non juſtificetur homo compoſitus Deo: ſi voluerit contendere cum illo, non poterit ei reſpondere unum pro mille. Qui ſi habuero quidpiam juſtum, non reſpondebo, ſed judicem meum deprecabor, quia quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ meæ; væ laudabili vitæ, ſi, remotâ miſericordiâ, diſcutiatur! *S. Aug.* Eïa ergò Domine Jeſu, non intres in judicium cum ſervo tuo: confige timore tuo carnes meas: volo ex tunc tuum prævenire judicium; quapropter, contra meipſum armabor, & ero, præ cæteris, crudelior mihi & ſeveriſſimus judex; & hoc faciens per ſingulos dies, ſtabo cum fiduciâ ante tremendum tuum Tribunal: adjuva me Deus ſalutis meæ.

Hanc tene diſciplinam, chariſſime Frater, initium ſapientiæ timor Domini: ô nimis bea-

tus, si semper es pavidus! In omnibus consiliis, propositis, & operibus tuis, dicito tibi: si modò moriturus essem, & manifestari me oporteret ante Tribunal supremi Judicis, facerem istud? . . . Quid ille sentiret de hoc opere? . . . . Quid ego ipse sentirem? . . . Ergò, ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & nihil agas quod conscientiæ rectoque Dei judicio non sit consentaneum. Quæ satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas?



PRÆPARATIO

Ad Confessionem totius mensis præteriti.

REFLEXIONES

De statu conscientiæ, & præcipuè de muniis proprii statûs.

NOtandum, has Reflexiones sigillatim sumptas posse suppeditare Clericis materiam aliquantulùm meditandi singulis mensis diebus, & toto anni-decursu: Pastoribus juxta cor Dei id expertis, crede, charissime Frater; sed saltem in hâc recollectionis die, meditare puncta quæ magis ad te spectare noveris; in his esto: statue te contra faciem tuam, dijudicans teipsum ut severissimus judex, ut non judiceris in novissimo die.

Siste ergò gradum, Viator.

REFLEXIO I.

Generalis annorum recogitatio.

PLantatus ſum in domo Domini, ut floream ſicut lilium, & multiplicer ſicut Cedrus Libani; in ſortem ejus vocatus ſum, ut ſim ſanctus, quia ipſe ſanctus eſt, & ut adhùc in dies ſanctificer, quàmvis ſanctus ſim.

Attamen, tot abhinc annis quibus terram Sanctorum occupo, quomodò vixi? ... Quos fructus ſanctitatis feci? ... Quomodò vivo? ... Contendo viriliter eſſe perfectus, ſicut Pater cœleſtis, cujus myſteriorum diſpenſator ſum, perfectus eſt? ... Sum ad pretioſam in conſpectu Domini mortem paratus? ... E contrà, nonne, cum Doctrinis meis, carne volutor & ſanguine? Nonne de die in diem ipſis Laïcis deterior fio? ... Proh pudor, quanta gemituum abyſſus, quantus mortis ſecundæ timor! Confuſio faciei meæ cooperit me.

Domine Jeſu! Quid me vis facere, ut placeam tibi in regione vivorum; notam fac mihi viam in quâ ambulem, quia ad te levavi animam meam; tu es via & vita animæ meæ, tu es auxiliator meus, auxiliator fortis.



REFLEXIO II.

Horror peccati mortalis, præſertim ſuperbiæ, luxuriæ & avaritiæ.

CLerici, ut potè Miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, debent quaſi à facie colubri fugere peccatum; ipſi ſiquidem ſciunt bonum & malum; ſunt quodammodò Dii, & verè filii excelſi omnes, de plenitudine Chriſti accipiunt; vos autem, de Sacerdotibus queritur Dominus, *vos autem, irritum feciſtis pactum meum. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utiquè; tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos! Proh abominatio! Cognoſcis voluntatem meam; hanc tamen non facis, ſerve nequam; quin imò, polluis ſanctuarium meum: ô quàm multis, in hâc & alterâ vitâ, vapulabis! Proh deſolatio!*

Verùm, quale eſt cor meum contra peccatum mortale, præſertim contra ſuperbiam, luxuriam, & avaritiam? . . . Propter hæc tria peccata ſtat abominatio deſolationis in loco ſancto.

Quantò major ſum, tantò magis me in omnibus humiliare debeo: quid habeo quod non acceperim? Si autem accepi, quid glorior, quaſi non acceperim? Heu! Ex eo quòd multum mihi datum ſit, multum quæretur à me: non habeo de me niſi peccatum & mendacium; (*Concil. Arauſ.*) nonne tamen cogitatione, verbo, & opere,

ſuperbio, terra & cinis ?... Nonne, præ tumore, cæteros interdùm aſpernor ? . . . Si lætor ad aſcenſum, cur non timeo ad fœdiorem lapſum ? .... (*S. Hier.*) Sed heu ! Nonne, me exaltans, quàmvis elegerim abjectus eſſe in domo Dei mei, horrendiùs humiliabor ? ... Nonne potentior potentiùs tormenta patiar ? . . . Nonne, hominibus placere quærens, confundar & ſpernar à Deo ? Abſit. Ecquandò ergò diſcam eſſe humilis corde ? Ecquandò amabo neſciri & pro nihilo reputari ? (*Imit. Chr.*) Ad hanc internam humilitatem me impellit humiliatio mea, quæ eſt in medio mei : quid enim fui ? Quid ſum ? Quid ero ?

Præthereà, nonne, imprudens, à ſpiritu immundo me coinquinari, & ab Angelo Satanæ me colaphiſari & poſſideri ſino, dans ei locum, & reputans ut parùm quod non eſt parùm ?.... Hoc vitio, parvitatem materiæ non admittente, periclitatur genus humanum ; (*S. Greg.*) nonne hoc fœtido vitio periclitor ipſe quotidiè ? Ecquandò, à dextris & à ſiniſtris armatus, contendam eſſe ſanctus corpore & ſpiritu, & ſequi Agnum quocùmque ierit ?

Tandem, nonne ſtudens avaritiæ, incidi in laqueum Diaboli ? Quo fine impleo miniſterium meum ? Congrego, & congregata conſervo.... Accipere temporale, præcisè pro aliquâ functione ſpirituali, ſpecies ſimoniæ eſt. (*S. Tho.*) Nonne ſic loculos habens, fur & latro ſum ?.... Nonne, ut mercator peſſimus, clamare videor cum Judâ : Quid vultis mihi dare, & ego eum

vobis tradam ?.... Quoties ſaltem, ob inopiæ timorem, juſtitiam deſero, & quaſi egentium necator ſum ?.... Quoties, propter avaritiam, implicui me negotiis ſecularibus, litigioſorum & procuratorum perſonam geſſi, quàmvis hæc omnia militantibus Deo prohibeantur ?.... Quomodò, mammonæ ſerviens, liberè ſervirem Deo meo?.... Nonne ubi theſaurus meus eſt, ibi eſt & cor meum ?.... Verùm, ô ſtulte! quæ paravi & paro, cujus erunt ?.... Nonne hæ pecuniæ quibus inhio, erunt mihi in perditionem ?.... O quàm amara mihi erit mortis memoria pacem habenti in ſubſtantiis! Nonne tandem, mortuus dives, ſepeliar in inferno ?

Sed infelix avidus ego homo! ſi Dominus eſt pars hæreditatis meæ, quidni ſufficit mihi ? Nonne tanquàm nihil habens, omnia poſſiderem ? O quàm liber & lætus morerer !

REFLEXIO III.

Intemperantia in victu & veſtitu.

SObrius eſto, monet Apoſtolus ; habens alimenta & quibus tegaris, his contentus ſis.

Nonne tamen gravari ſino cor meum crapulâ & ebrietate ? .... Quinimò, nonne Deus meus venter eſt ? .... Nonne vanitatem in veſtitu, ſupellectili, & in reliquo vitæ genere præ me fero ? .... Ita ſanè ; (*Concil. Trid. Seſſ. 22. de ref. c. 1.*)

hoc ad verecundiam meam & flens dico: Scio quia Chriſtus Dominus, cujus Miniſter ſum, cùm dives eſſet, propter me egenus factus eſt; non habuit diverſorium, nec ubi caput reclinaret; jejunavit, ſitivit, eſuriit, felle & aceto potatus eſt; hoc ſcio, hoc prædico: quo ergò jure imagini ejus adeò diſſimilis, me prædeſtinandum ſpero?

REFLEXIO IV.

Detractio.

DEtractores Deo òdibiles. Abominatio hominum detractio. Nolite ergò detrahere alterutrum.

Quoties tamen, ex eo quòd Sacerdos ſim, mihi jus vindico detrahendi fratribus meis? Proh ſcelus! ... quoties lingua mea Sanguine Chriſti adhùc rubeſcens, dolos concinnavit adversùs fratrem meum? Proh pudor! ... quoties erubeſcens Evangelium, & hominibus placere quærens, non habui redargutiones in ore meo, nec detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſecutus ſum? .... O idolum charitatis meæ! Quare? Quia vera charitas operit multitudinem peccatorum; nonne ergò vana eſt mea religio? Ecquandò linguam meam, hunc ignem, hunc gladium acutum, hancque malorum univerſitatem refrænabo? Ecquandò linguam detrahentium domare contendam? Nonne quod mihi facere volo, aliis facere debeo?

REFLEXIO V.

Via spatiosa.

OBservare debeo ea quæ à Sanctis Pontificibus, & à sacris Conciliis, de venatione clamosâ & frequenti; de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon de secularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita sunt non obstantibus consuetudinibus. (Conc. Trid. Sess. 22. de ref. c. 1.)

Sed si hæc non observem? Ergò sequor viam spatiosam. Verùm, quò me ductura est hæc spatiosa via? Ad perditionem. Hæc sunt verba Christi; cœlum & terra transibunt, verba autem ejus non præteribunt. Si Dominus est, cur eum non audio? Cur eum non sequor? .... Nonne me tandem pudebit huic sæculo cui in Baptismate & in sacrâ Unctione renuntiavi, conformari? .... Heu! hodiè Catechumenus, hodiè Sacerdos; heri in circo, manè in altari. (*S. Hier.*) Undè hoc monstrum? .... Nùmquid respiciens retrò, aptus ero ministerio verbi, & regno Dei?

REFLEXIO VI.

Familiaritas cum Laïcis.

ABstinere jubeor à nimiâ Laïcorum familiaritate, (Conc. Aquil.) *& ab eorum frequentiori convivio, quia valdè ho-*

neſtatem dedecet clericalem, ipſorumque Clericorum facit vileſcere auctoritatem. (Conc. Raven.)

Quid eſt ergò cur miniſterium meum turpiter vituperari ſino ? ... Cur non frequento Paſtores juxta cor Dei, & Clericos boni teſtimonii viros, & qui potentes in opere & ſermone trahunt poſt ſe ? ... Cur in odorem illorum virtutum non curro ? ... Nonne eas faſtidio ? ... Nonne tamen, ex hoc odore, efforeret ſuper me ſanctificatio Dei mei ? ... Scriptum eſt enim : cum Sancto Sanctus eris.

Sed, quàmvis cum hominibus converſer, eſtne tunc in cœlis converſatio mea ? .... Nùmquid in converſatione ſanctus ſum ? .... Nonne potiùs ut iniqui, narro ſabulationes, ſed non ut lex Dei ? .... Verùm, decetne ſanctos ſtultiloquium, aut ſcurrilitas ? Deeſtne in multiloquio peccatum ?

REFLEXIO VII.

Peccatum veniale.

PEccatum veniale contriſtat Spiritum Sanctum ; quid mirum ſi diligentes Dominum, oderint hoc malum ? Levia delicta, quæ in Laïcis levia ſunt, in Clericis ſunt maxima ; (Trid. Seſſ. 22. de ref. c. 1.) *& nugæ in ore Laïci, nugæ ſunt ; in ore Sacerdotis blaſphemiæ.* (S. Bern.) *Prætereà, qui modica ſpernit, paulatim decidet, & qui in modico iniquus eſt, in majori iniquus erit. Hoc ipſa veritas pronuntiat ; nos autem, quod vidimus teſtamur.*

Quale

Quale eſt ergò cor meum contra peccata venialia ? Nonne adhùc adhæreo huic vitio quo tamdiù laboravi, & quod quaſi aquam bibi ? .... Quem conatum adhibui ex præteritâ Confeſſione, ut illud ex corde meo extirparem ? .... Heu ! volui & nolui piger. O ſi Deum diligerem, nonne ab omni ſpecie malâ pro viribus me abſtinerem ? .... Ad malum quidem pronus ſum, & licèt Sacerdos ſim, circumdor tamen infirmitate : ſepties in die cadit ipſe juſtus. Sed quot peccata venialia, ex deliberatâ ſcientiâ, & plenâ voluntate committo ? Quoties reputo tanquàm leve, quod quidem veniale eſt plebi, ſed quod criminale eſt Sacerdoti ? .... Quoties culpæ meæ, propter contemptum, aut ſcandalum, &c. de parvis, magnæ factæ ſunt ? (*S. Greg.*) Abyſſus ſiquidem abyſſum invocat. Quoties heu ! malitiâ meâ excæcatus, & in falſam conſcientiam imprudens lapſus, dixi in corde meo : pax, pax ? Dominus autem, qui intuetur cor, & qui ſecùs judicat, dixit : non eſt pax ? O quantæ tenebræ ! Delicta quis intelligit ?

O ſumme ſcrutator cordium ! paveo, tabeſco, & fremo in memetipſo ; ab occultis meis munda me, Domine ; cor mundum crea in me, Deus ; malo mori, quàm fœdare animam meam vel minimo peccato ; ſed & tu, qui es fortitudo mea & firmamentum meum, cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Viriliter agam ego, ut ſpiritum tuum non ampliùs contriſtem ; tu ſcis, Domine, quia amo te plus quàm me.

REFLEXIO VIII.

Vita tepida.

HAbeo adversùm te quòd charitatem tuam primam reliquiſti, dicit Dominus; memor eſto itaque undè excideris, & age pœnitentiam; ſin autem, venio, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. (Apoc. 2.) *Scio opera tua: nomen habes quòd vivas, & mortuus es; eſto vigilans & confirma cætera, quia moritura ſunt: non enim invenio opera tua plena coram me. In mente ergò habe qualiter acceperis & audieris, & ſerva, & age pœnitentiam. Si ergò non vigilaveris, veniam ad te tanquàm fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te. Utinam frigidus eſſes aut calidus; ſed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* (Apocal. 3.)

Ad quem, ô Domine Jeſu, ad quem ſpectant hæc formidoloſa verba? Cui imminet hæc tremenda nimis ſententia? Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, dicit Dominus exercituum. Qui legit intelligat. Sed & ego Sacerdos qui huic ſeculo conformor, qui vix operor bonum, qui opus Dei perfunctoriè & negligenter facio, qui peccata venialia quaſi aquam bibo, quique exercitia ſpiritualia ſtatui meo congruentia, faſtidio, nonne hanc jure meritò timere debeo ſententiam?

Inſuper, tepidi Sacerdotes difficilè corriguntur, ſivè quia gratiâ ſpeciali, propter animi teporem atque ingratitudinem, relicto ſufficienti auxilio, deſtituuntur; ſivè quia hunc languidum ſtatum, miſeri, ignorant; ſivè quia omnia vel utiliſſima remedia uſu vileſcunt. Nihil impoſſibilius quàm corrigere eum qui omnia ſcit: (S. Chryſ.) *peſſima ergò eorum plaga, & curationum utilitas in eis non eſt.*

Cujus eſt imago hæc ? Nonne mea ? Reverà, ego ſum ille vir tepidus, & inutilis ſervus, jamjam ex ore Dei evomendus, & in tenebras exteriores projiciendus. Heu mihi ! Præpotens vox Domini confringentis cedros Libani, non frangit, nec emollit duritiam cordis mei, nec ipſa mors peccatorum peſſima, nec Judicia Dei abyſſus multa, nec ipſa inferni pericula mihi imminentia, nec ipſi Salvatoris fontes; nihil horum me movet, nihil ad pœnitentiam excitat; quomodò ergò effugiam à Judicio gehennæ ?

O inſenſate ! Domino ſerviens, incœperam olim eſſe fervens ſpiritu; quomodò ergò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus ? Sed quid nunc faciam miſer ? In me reverſus, emam mihi aurum ignitum, contraria contrariis curabo : ponens mihi ob oculos Paſtores juxta cor Dei, & æmulans eorum chariſmata meliora, dicam ſemper : *Non poteris quod iſti ?* Sic violentus, ad eorum me urgebo fervorem; diſcam indè laborare ut bonus miles Chriſti, ſervire Deo in ſanctitate &

justitiâ omnibus diebus meis, & esse fidelis usque ad mortem.

Verùm, ô Domine Jesu, qui facis Ministros tuos ignem urentem, ure renes meos & cor meum igne illo quem venisti mittere in terram; indue me novum hominem usque in finem perseverantem. Tu es adjutor meus, bellator fortis.

REFLEXIO IX.

Otium.

INtelligant Clerici se non ad propria commoda, sed ad labores & sollicitudines, pro Dei gloriâ, vocatos esse: (Trid. Sess. 25. de ref. c. 1.) *Sic ergò vigilare & laborare debent, ut in horâ mortis fiducialiter dicere possint: diù, noctuque æstu urebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tuâ servivi.* (Genes. 31.)

Verùm, licèt ad laborem natus sim, sicut avis ad volatum; nonne tamen ignaviâ marceo? Nonne, post recitatas perfunctoriè horas, & celebratum cursim & oscitanter Missæ sacrificium, sto totâ die otiosus? .... O quantam malitiam docuit me otiositas! Expertus loquor, quanta mala invexit in Ecclesiam & in oves mihi commissas hæc torpens & otiosa vita mea? Quot scandala peperit? .... Quòusque tandem, panem & patrimonium Crucifixi otiosus comedam, intereadùm Dominus Jesus, ejusque Discipuli fuerunt in labori-

bus à juventute suâ ; .... Væ mihi! jam-jam venit nox, in quâ nemo potest operari. Quidni ergò recogito omnes annos meos in amaritudine animæ meæ! .... Quidni contendo redimere dies malos præteritos? Heu mihi! licèt bonum hactenùs non fecerim, licèt meritis vacuus sim, & fortaßè morti proximus, nihil aliud vaco, nisi aut dicere aut audire aliquid novi. Nonne tandem hora est de somno surgere, & negotiari dùm venit citò Judex?

Domine Jesu, ne revoces me in dimidio dierum meorum; patientiam habe in me, particula boni diei me non ampliùs prætoribit, ut dies pleni inveniantur in me; indè, gratiâ tuâ confisus, omnia reddam tibi.

REFLEXIO X.

Inordinatus erga parentes amor.

S*Acerdos Melchisedech, sine Patre, sine Matre, sine genealogiâ.* (Heb. 7.)

Ego pariter Sacerdos sum secundùm ordinem Melchisedech; nonne tamen acquiesco carni aut sanguini? Nonne distraho, propter consanguineos, res Ecclesiasticas quæ Dei sunt? ... Nonne, ab his lupis rapacibus, me & pauperes, sciens & volens spoliari sino? ... Nonne satago illorum rerum temporalium? ... Nonne de resignando indigno nepoti beneficio jam deliberavi? ... O in quantum malorum seminarium projecit multos Clericos affectus

paternus ? . . . (*Trid. Seß. 25. de ref. c. 1.*) Nonne & ego ex illis ſum ? Heu ! Loquela mea, ipſaque opera me manifeſtum faciunt. Reverà, quotiès ipſimet conſanguinei me à divinis averterunt ? Quoties ſuis terrenis me coïnquinaverunt moribus ? Quotiès me totâ die mœrore confecerunt ? Quotiès poſuerunt me abominationem ſibi ? Quotiès, concinnantes dolos, dederunt me populis contemptibilem ? Quotiès eorum vitia ceciderunt ſuper me, & præſtiterunt me opprobrium hominum & abjectionem plebis ? O quantùm periclitor ne ego Sacerdos fiam ſicut conſanguinei & ſicut ipſe populus ! Nonne ergò tempus eſt egrediendi de terrâ meâ & de cognatione meâ, obliviſcendi domum Patris mei, & deponendi penitùs omnem affectum paternum ? Longè à parentibus ſalus. Quandonam tandem gratiam reſuſcitare enitar quæ data eſt mihi per impoſitionem manuum, & quam, affectu paterno, præfocavi, & iniquâ miſeratione evacuavi ?

REFLEXIO XI.

Charitas ergà Deum & Proximum.

IN lege quid ſcriptum eſt ? Quomodò legis ? Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. Plenitudo legis dilectio.

Attamen, diligo ex toto corde meo Dominum Jeſum, cujus Miniſter ſum ? . . . In ſignum mei erga eum amoris, ſervo ejus

mandata? Ambulo sicut ille ambulavit? Facio in omnibus, sivè magnis, sivè modicis, ejus voluntatem? Paratus sum pro illo pati, animam meam ponere, promovere sincerè gloriam ejus, &c.? Probatio amoris exhibitio est operis: (*S. Greg.*) Ergò anathema mihi, si non amem Jesum-Christum opere & veritate.

Diligo Fratres meos sicut meipsum, & sicut Christus Dominus dilexit me? Sum cum illis cor unum & anima una?... Nonne invidiæ & Schismatum livore tabesco?.. Heu mihi! quid sum sine charitate? Æs sonans, nihil. Quid sum, si dicens me diligere Deum, odero fratrem meum? Mendax; sed irridetur Deus? Nonne perdet omnes qui loquuntur mendacium?

REFLEXIO XII.

Cura salutis.

Salva animam tuam; hoc est omnis homo: quære primùm regnum Dei; quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Væ, væ nobis, spiritu gemens ululat in inferno infinitus stultorum numerus: quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? O insensati! ergò erravimus. Sed heu! jam non possumus hinc transmeare, nec ampliùs datur nobis pœnitentiæ salutaris locus. Proh desperatio!

Sed & ego qui hæc meditor, incumbo strenuè & alacriter ad unum necessarium,

ſcilicèt ad ſalutem animæ meæ ? ... O inſipiens corde ! Nonne animam meam in vanum accepiſſe videor ? Quid profuit Judæ proditori Apoſtolatum ſortitum eſſe ? Nonne bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet ? ... Væ væ ! quid mihi pariter prodeſt, ſi cùm univerſum mundum Chriſto lucrifecerim, ipſe reprobus efficiar ? ... Quam commutationem dabo pro animâ meâ ? ... Quid tandem ſupererit mihi, niſi fletus, ſtridor dentium, ſempiternum dedecus, vermis non moriens, ignis inextinguibilis, æterna deſperatio ? ... O ſtupiditatem meam ! O ſtultitiam meam, lachrymis ſanguineis deplorandam !

Intellexi hæc omnia ? Sed ſi intelligam, cur primùm non miſereor animæ meæ, placens Deo ? ... Cur ſalutem meam ante omnia, cum timore & tremore non operor ? ... Si mihi nequam, cui bonus ero ? Si animæ meæ præeſſe neſcio, quomodò Eccleſiæ Dei diligentiam habebo ? ... Sed in me reverſus dixi : nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi.

Domine Jeſu, illumina oculos meos ; da mihi intellectum, & ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam ; notum fac mihi finem meũ, ut ſciam quid deſit mihi : tuus ſum ego, ſalvum me fac. Arctam viam quæ ducat ad vitam, viriliter, gratiâ tuâ adjutus, jugiter ſequar, ut factus concha, deindè canalis, efficaciùs & meipſum primùm ſalvum faciam, & eos qui me audient. Hoc ſpiritu principali confirma me, ô Deus ſalutis meæ.

REFLEXIO XIII.

Abusus gratiarum.

QUid ultrà debuit facere Dominus Jesus Ministris suis, & non fecit! Non solùm eduxit eos de terrâ Ægypti, eosque de rore cœli & de pinguedine terræ satiavit, quò liberiùs suæ, alienæque saluti, vacarent; sed etiam hos elegit ex omni carne, hos exaltavit ad regale Sacerdotium, hos amicos suos & Angelos fecit, cives Sanctorum & domesticos Dei, ejusque mysteriorum dispensatores. Quid sublimius? Nùmquid fecit taliter omni nationi & principibus terræ? Nonne jure merito expectare debet ut faciant uvas, non autem labruscas?

Verùm, quantam præsertim mecum fecit misericordiam magister bonus? Profectò, nisi adjuvisset me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea. Attamen, ille patiens, & multæ misericordiæ Pater, concedit mihi tempus acceptabile & dies salutis; vocat & urget me, ut de plenitudine ejus accipiens gratias uberes & salutares, dignè ambulem vocatione quâ vocatus sum, sim perfectus sicut ille perfectus est, in ejus domo oliva fructifera, & illius in æternùm securiùs cohæres. Enim verò, ne sollicitus essem quid manducabo, aut quid bibam, aut quo operiar, & ne sapiam quæ sunt super terram, suppeditat mihi alimenta, & quibus tegar. Scio hæc omnia pretiosa dona Dei, eaque aliis prædico.

REFLEXIO XIV.

Frequentatio Sacramenti Pœnitentiæ.

DEvotâ hujus Sacramenti frequentatione, non ſolùm liberamur à peccatis, ſed etiam his præſervamur, (Conc. Trident. Seſſ. 14. cap. 3.) *& ad perfectiorem viam nobis tuti paramus, præſertim, ſi habentes Ananiam, & vitæ ducem juxta cor Dei, ei ſimus docibiles corde.*

Sed quo zelo frequento hoc Sacramentum ? Nonne potiùs me elongo à throno gratiæ, quia ipſe me ſeducens dico : peccatum non habeo ? Eſtne veritas in me ? Dominus eſt qui judicat me ; & quàmvis non habeam niſi peccata venialia, nonne piorum hominum uſus demonſtrat ; ea rectè & utiliter in Confeſſione dici ? Quâ conſſcientiæ pace & ſerenitate ; quâ vehementi ſpiritûs conſolatione (*Trid. Seſſ. 14 c. 3.*) & fortitudine me privo hâc confitendi negligentiâ & nauſeâ ? .... Quid ſapit illa negligentia, niſi perfectionis meæ faſtidium ? Quid mihi minatur ?

REFLEXIO XV.

Examen conſcientiæ.

COnfeſſio non eſt quidem conſcientiarum carnificina ; attamen examen conſcientiæ debet eſſe diligens ; (Trid. Seſ. 14. c. 5.) *adeò ut, ſi noſmetipſos non dijudicaverimus, à Domino utiquè judicandi ſumus ; ecquis vivens in conſpectu ejus juſtificabitur ?*

Verùm, discutio me diligentiùs? ... exploro sinus & latebras hujus conscientiæ meæ, (*Trid. Ses. 14. c. 5.*) & onera mea humeris Angelicis formidanda? Heu mihi! Deus tandem cùm acceperit tempus, ostendet gentibus nuditatem meam, reptilia, peccata occulta & aliena, quorum non est numerus. Quid est cur mihi blandior?

REFLEXIO XVI.

Contritio.

Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso (Trid. Ses. 14. c. 4.) *Undè illud Joëlis Prophetæ: scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.*

Recogito annos meos in amaritudine animæ meæ? ... Doleo de peccatis verè & sincerè? ... De corde exeunt peccata; igitur cor meum debet esse tantò priùs ad pœnam, quantò principalius fuit ad culpam. (*Tert.*) Nonne tamen ex illis sum de quibus dicitur: non est in ore eorum veritas, cor autem eorum vanum est? Et verò, semper agentem quod pœnitet, (*S. Isid.*) illudque amantem, nonne reprehendit me cor meum? Væ mihi! Confiteor, non vero dolore, sed aridâ consuetudine; mentior hominibus & non Deo. Ecquandò redibo ad cor, prævaricator!

Doleo de peccatis quia peccavi Domino summè bono & dilecto? Aut saltem, propter gloriæ desiderium, aut gehennæ metum?

Quid profuit Esaü & Saül rugiisse & doluisse, turpis lucri & dignitatis gratiâ? Quid mihi pariter prodest amarè flere, si non fleam motivo aliquo supernaturali?

Omnem viam iniquitatis odio habere debeo, quia qui offendit in uno, factus est omnium reus: malum enim ex quocumque defectu. Sed convertor ad Deum in toto corde meo? Nonne parco huic lethali Amalecitæ? ... Si res ita sit, frustrà rogabo Dominum, à quo non ero misericordiam consecuturus.

REFLEXIO XVII.

Propositum.

DEclarat sancta Synodus, contritionem, cessationem à peccato & vitæ novæ propositum & inchoationem continere: (Trid. Sess. 14. c. 4.) *undè illa Christi præcepta: vade, & jam noli ampliùs peccare: facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Propositum meum non peccandi de cætero, est-ne sincerum, firmum & constans? ... Contendo facere mihi cor novum, ut efficiar nova creatura? ... Cognoscor verè pœnitens ex dignis pœnitentiæ fructibus? ... Si adhuc ago id quod pœnitet, irrisor sum & non pœnitens. (*S. Isid.*) O monstruosa mea emendationis velleïtas!

Reverà, nonne adhuc amo periculum? Si res ita sit, nonne, amans periculum, in illo peribo? Adhibeo emendationis media, scilicèt pœnitentiam medicinalem, examen

particulare, &c.? Enitor exinanire usque ad fundamentum peccatum illud quod mihi dominatur, quodque aliorum est origo? ... Incumbo viriliter curare contraria contrariis? ... Facio pro curandis animæ morbis, quod pro salute corporis? ... Heu mihi! Id parùm curo. Quid mirum, si statim post Confessionem ad vomitum revertar, si novissima mea fiant pejora prioribus, ac si semper peccanti, aliquid mihi deterius minetur & contingat? Quarè? Quia scriptum est: desideria occidunt pigrum. Nonne & me, Deum quodammodò tentantem, occident? Dimittor quidem in pace post absolutionem; sed heu! Non est pax in terrâ nisi hominibus bonæ voluntatis. Quòusque ergò detinebor hâc ferreâ peccandi voluntate meâ?

REFLEXIO XVIII.

Confessio.

OMnibus post Baptismum lapsis, integra peccatorum Confessio, jure divino necessaria existit. (Trid. Sef. 14. c. 5.)

Sed, declaro in Confessione peccata occultissima, quæ nonnunquàm animum graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis quæ manifestè admittuntur? (*Trid. Sef. 14. c. 5.*) Quot peccata ut meros scrupulos depono, quæ tamen in me maxima sunt? ... (*Trid. Sef. 22. de ref. c. 1.*) O miserum me! Quoniam tacui & taceo, inveteraverunt ossa mea, inveteravit effrænatior peccandi

licentia, inveteravit fortaſsè ſacrilegiorum cumulus. De declarato & propitiato peccato non debeo eſſe ſine metu; cur ergò non anxiatur ſpiritus meus, & non conturbatur cor meum ſuper tot peccatis & tot circumſtantiis Eccleſiæ clavibus non ſubjectis, in theſauris tamen Dei conditis, ſtylo ferreo ſignatis, ac in die ultionis revelandis? Idipſum parùm recogito corde; ô excors!

REFLEXIO XIX.

Satisfactio.

Satisfactio, populo Christiano fuit perpetuo tempore commendata. (Trid. Seſ. 14. c. 8.) *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* (S. Amb.)

Peccata mea grandia nimis ſunt coram Domino: grandis ergò debet eſſe pœnitentia mea. Attamen, proh pudor! Viam ſpatioſam ſequi, otio, comeſſationibus, aleis, ſomno torpidè indulgere non formido, ego qui peccata populi precibus & ſuffragiis redimere deberem! ... Nonne quantùm fui in deliciis, tantum patiar tormentum? ... Ecquandò exhibebo corpus meum ſervire juſtitiæ ad ſanctificationem, ſicut illud exhibui immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem? ... Ecquandò peccata mea eleëmoſynis, orationibus, aliiſque piis operibus, dùm tempus habeo, redimere conabor? Si illud velim, quarè non modò? Nùmquid expecto dùm inciderim in manus Dei viventis? Horrendum!

Præterea, ſum forſan obnoxius reſtitutioni, propter damnum quomodocùmque illatum, vel propter malè recitata & oſcitanter cantata Officia & Miſſas, vel propter vanam & fraudulentam à choro, & à parochiâ abſentiam, vel propter omiſſa onera mei Beneficii, ex juſtitiâ adimplenda. Si res ita ſit, quid eſt cur Cæſari non reddo quæ Cæſaris ſunt? An mihi latet non remitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum?

REFLEXIO XX.

Vocatio, & ad Beneficia & ad Ordines aſcenſio ac aſſumptio.

VIdete, Fratres, vocationem veſtram, monet Apoſtolus; *quomodò hùc intraſti*, acerbè queritur Dominus? *In noviſſimis diebus, inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, cupidi & elati.* De quibus loqui videtur Gentium Doctor? Nonne de his Clericis, qui, exemplo Judæ proditoris, & Simonis Magi, pecuniis & Beneficiis inhiantes, jam nunc ſerpunt ut cancer in ipsâ Dei domo, quam faciunt ſpeluncam latronum, mammonæ potiùs quàm Deo ſervientes? *Non ſinguli ad ordines aſſumi debent, ſed digni dumtaxat, & quorum probata virtus ſenectus ſit*, (Trid. Seſ. 13. c. 12.) *quique, utpotè boni teſtimonii viri, judicio ſui Epiſcopi ſint utiles aut neceſſarii ſuis Eccleſiis*; (Trid. Seſ. 13. c. 16.) *Satiùs enim eſt, maximè in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quàm multos malos*

habere Ministros ; (Conc. Later. 4.) *Multiplicaretur quidem gens, sed heu ! non magnificaretur lætitia ; undè hæc formidolosa Apostoli verba* : manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. *Nonne idem judicium, eademque pœna imminent iis qui Beneficia non distribuunt juxta pondus sanctuarii, juxta mentem & decreta Sacro-Sancti Concilii Tridentini*, (Sess. 24. c. 1. & 18. de ref. & Sess. 7. c. 3.)*Ac secundùm ordinem charitatis & justitiæ ? Ita sanè. Quis ergò non caveat à serie tot peccatorum alienorum quorum non est numerus, & quorum tamen collatores Ordinum & Beneficiorum se conscios imprudenter & quidem facilè præstare possunt ? Quis non quærat inter dispensatores, ut fidelis & dignior quis inveniatur ?*

Quis mihi hanc vocationem revelavit ? An Pater cœlestis, an caro & sanguis ? Si Pater cœlestis elegerit & assumpserit me, beatus ; inhabitabo confidenter in atriis ejus : si verò caro & sanguis, infelix ; quotidiè periclitabor.

Quo fine intravi in sanctuarium Dei ? An zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, pro meâ & aliorum salute ? An turpis lucri gratiâ, ex appetitu laudis, dignitatis & quietis, ac proditorio & seductrici amore parentelæ ?

Quomodò intravi ; Nonne favore, simulatâ capacitate, turpi mendicatione, iniquâ hæreditate, sinistrâ resignatione, pessimâ confidentiæ simoniâ, muneribus à linguâ, vel à manu, vel ab obsequio,

obreptitiâ vel ſubreptitiâ diſpenſatione ? Nonne aliquod ex his monſtruoſis adminiculis, meipſum, non Deum, decipiens, forſan adhibui ?.... Verùm, ſi non intraverim in ovile per oſtium, ſed aliundè, nonne fur & latro ſum ? Heu mihi ! non morietur vermis meus.

Et quàmvis pluralitas Beneficiorum contineat certum animarum periculum, (*Conc. Later.* 3.) nonne hæc avidus ambii, falsâque ſecuritate poſſideo ? ... An puto ſufficere propriam utilitatem ad plura poſſidenda beneficia ? Erro, affirmat D. Bernardus : requiritur communis ; nonne ergò perverto eccleſiaſticum ordinem. (*Trid. Seſ.* 24. *c.* 17.)

Si autem diſpenſationem ſubreptitiam habeam, quò ibo cum diſpenſatione meâ ? In infernum, teſte Alberto magno ; cui enim mentitus ſum ? Nonne ipſi Deo ?

Quòd ſi, aliorum exemplo, moveor ad plura poſſidenda beneficia, nonne in eâdem damnatione ſum ? Quarè ? Quia conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt, ut loquitur S. Cyprianus. Ambii, & poſſideo plura beneficia, ut eleëmoſynas dare queam ? O proditoria calliditas ! Verè à ſatanâ me tentari ſino ; non enim ſufficit hoc propoſitum, niſi Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas aliud poſtulet. Verè mihi viam ad luxum & ambitionem paro : ſi multùm mihi fuerit, abundanter quidem tribuere debeo ; ſi autem exiguum, ſufficit ut & illud libenter impertiar. Nonne ergò meipſum, non Deum decipio ? Nonne fraudo fundatorum inten-

tionem, ut rectè loquitur D. Thomas?

Forsan ambio, aut certè possideo duo beneficia quia sum Canonicus, & nobili genere natus, vel quia meus Canonicatus non suppetit undè vivam honestè secundùm meum statum. Hæc causa valet quidem juxta Concilium Tridentinum: (*Trid. Ses. 24. c. 17.*) sed ô quàm metuendum est ne mentiatur iniquitas sibi! Quot Canonici & Parochi, & quidem me nobiliores & meritis præstantiores sunt, qui æquali beneficio non solùm honestè vivunt, sed etiam habent undè pauperibus dispergere possint? Undè fit ut meum beneficium, quàmvis sat pingue, non sufficiat interdùm sumptibus meis? Undè fit? Quia aleis, comessationibus nimiùm indulgeo, quia me como vestibus & munditiis corporis nimis pretiosis, quàmvis hæc omnia, non obstantibus consuetudinibus, prohibeantur. (*Trid. Ses. 24. c. 17.*) Quàm secùs, instante morte, & coram Christo judice, sentiam de hâc seductrici meâ illusione!

O! Si illam simplicitatem quam adeò commendat Tridentina Synodus, in mensâ, in suppellectili, in vestitu, & in reliquo vitæ genere præ me ferrem, (*Trid. Ses. 22. de Ref. c. 1.*) nùmquid necesse esset ut beneficia beneficiis, præbendas minores majoribus, pensiones pensionibus aggregarem, Ecclesiasq; Ecclesiis? (*S. Ber.*)

Sed tandem moriar, cupidus & elatus ego homo; hæc quæ paro & congrego beneficia, cujus erunt? Hæc mecum non sumam, ea alienis relinquam; mihi verò so-

lum ſupererit ſepulchrum. Ecquid? Si damnatio ambitioni meæ debita, me ſequatur! Nùmquid illa præteribit? Heu! Minimè. Quid mihi tunc proderit divitiarum jactantia?

Quàmvis multis nunc augear beneficiis, affluam divitiis & honoribus; ſepultus tandem in inferno, in æternùm ululabo; aquæ guttulam obtinere numquàm potero. Horrendum diſcrimen!

O ambitio ambientium crux! Quomodò ergò omnes torquens, omnibus places? (*S. Ber.*)

Deniquè, ſi quem indignum, carni aut ſanguini, aut reſpectui humano acquieſcere volens, in Eccleſiam, aut in Beneficium intruſi rejectis dignioribus; nonne ſpiritu in æternùm gemens, & deſperatione actus, vorabo carnem brachii mei? Nonne tot ovium perditarum ſanguis de manu requiretur meâ? Nùmquid hi Miniſtri quos indignos ad regale ſacerdotium exaltavi, & ad animarum curam promovi, ſurgent ut mihi in inferno opitulentur?

REFLEXIO XXI.

Perfectio proprii ſtatûs.

MIniſterium tuum imple, monet Apoſtolus, quia ambulans vocatione quâ vocatus es, quæ placita ſunt Deo, ſemper, & quidem ſecurè facies: hæc eſt villicatio in quâ præcipuè conſiſtit ſanctificatio tua quam Deus vult; villicatio de quâ ſtrictam reddes rationem.

in die judicii. Cætera interdùm vanitas, & præſumptio ſpiritûs, faſcinatio nugacitatis, illuſionum abyſſus, & animæ perdendæ periculum. Sic meritò cenſent qui, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

Quale eſt ergò cor meum erga munia & onera mei ſtatûs, in quo, ut confido, me Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, me & alios ſalvos facere? ... Quot ignorantiis, quot negligentiis, quot omiſſionibus theſauriſo mihi iram Dei in noviſſimis diebus? Heu! Hæc animo recogitanti, jam undiquè mihi ſunt anguſtiæ; quàmvis enim mirabilia magna fecerim aliundè, quid mihi proderit, ſi voluntati Dei contradicens, & erga plurima aliena turbatus, defuerim muniis proprii ſtatûs, vel ea ſecundùm beneplacitum Chriſti, & dignè Deo non impleverim? .... Quòuſque ergò à Satanâ me tentari ſinam? Quòuſque errabo, ambulans difficiles & fallentes vias. Domine Jeſu! cogitavi vias meas; ecce nunc converto pedes meos in teſtimonia tua, in tuum exemplum, in ſemitam Virginis matris tuæ, & omnium Sanctorum: in his totus ero, ut profectus meus ſit coram te & omnibus manifeſtus, & ut ſecurus ad te veniam, qui miniſterium & curſum ſuum dignè & conſtanter conſummantibus, reponis coronam juſtitiæ. Paratum eſt cor meum in te, Domine, ſperare: confirmatum eſt cor meum; non commovebor donec deſpiciam inimicos meos, quibus hactenùs illuſus ſum; tu es defenſor

vitæ, perfectionis & salutis meæ, à quo trepidabo?

REFLEXIO XXII.

Studium & Scientia.

PRæceptum sempiternum est in generationes vestras, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum... (Exo. 28.) *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi....* (Osee 4.) *Si quis ignorat, ignorabitur.* (1. Cor. 4.) *Erudimini ergò, qui judicatis terram.* (Ps. 2.)

Quapropter attendo studio & scientiæ Casuum conscientiæ, Canonum, Rituum, Rubricarum, & Scripturæ sacræ, hujus Libri vitæ, & aliarum obligationum mearum?.... Nonne ignorantiâ laboro, quia nolo intelligere ut benè agam?.... Quis fuit, quis est illius ignaviæ & ignorantiæ effectus? Deus illum scrutabitur, eumque in furore suo manifestabit. Quot cæcos, ego cæcus, in foveam mecum præcipitavi? Quoties, præ ignorantiâ meâ, factus sum sicut populus, ego Sacerdos, & opprobrium hominum? Proh pudor!

Verùm, quàmvis studeam, quo fine studeo? Scriptum est: scientia inflat. Do operam ut scientiam meam charitas ædificet? Heu! si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuerò, quid mihi prodest?

Si ergò scientiam Sanctorum acquirere

neglexero, ſemper quidem diſcere potero; ſed in vanùm laborabo, & ad ſcientiam veritatis, teſtante Apoſtolo, nunquàm perveniam. Et quare? quia Pater & Dominus cœli & terræ, qui hæc parvulis revelat, abſcondit ea à ſapientibus & prudentibus ſeculari doctrinâ inebriatis, inflatis & ingurgitatis, ut loquitur D. Bernardus. Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus, & intellectum dat parvulis.

Domine Jeſu, qui linguas infantium diſertas facis, & qui infirma mundi eligis ut fortia quæque confundas, ne glorietur omnis caro in conſpectu tuo, da mihi ſupereminentem ſcientiæ charitatem tui, ut implear in omnem plenitudinem Dei; quapropter, da mihi ſpiritum tuum, ut quærens te in ſimplicitate cordis mei, te Deum, & ſcientiarum Dominum inveniam: hoc eſt ante te omne deſiderium meum. Noverim te, noverim me, & doctus ſum ſatis.

REFLEXIO XXIII.

Schiſmaticorum, & ſuſpectorum librorum horror.

ATtendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. (Matth. 7.) *Molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Quinimò, ſeductores illi, mendacii Parentis exemplo ac magiſterio edocti,*

pestiferos libros studiosè nimis quaquaversùm disseminant, ut nefarii erroris contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de regno ad Populum alterum. Rogamus ergò, Fratres, ut sedulò observetis hos magistros mendaces & in deceptione illusores, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium; hos sermones, qui sunt venenum aspidum sub labiis eorum, detestemini, eorumque consuetudinem quasi pestem fugite; scriptum est enim: cum perverso perverteris.

His ergò monitis edoctus, fugio, quasi à facie colubri, hos auctores qui erraverunt ab utero, qui, insipientes corde, locuti sunt falsa, & qui, sub præclarâ pietatis & veritatis specie, à veritate auditum avertunt impii, lethale venenum & serpentinos errores longè latèque disseminant... Nonne hi sunt seductores & antichristi, quibus vel ave dicere prohibeor, ne communicem erroribus & operibus eorum?

Nùmquid autem eligo & avidè lego auctores qui Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiarum matri & magistræ (*Trid. Sess. 7. Can. 1.*) fideliter adhærentes, docent semper, & profitentur verbo & opere quæ decent sanam doctrinam? Si sunt filii Dei, nonne his ergò, viam Dei in veritate docentibus adhærere, in deliciis habere debeo? Imò, Domine, eorum solùm doctrinam firmiter tenebo; attamen rogo te, ô summe scrutator rerum & cordium, da mihi scientiam discernendi inter veros & falsos Catholicos

tholicos & educendi noxia zizaniorum ſemina è medio tritici, ne infeliciter incautus decipiar; quod à me avertat illa ſapientia tua quæ ſuaviter omnia diſponit.

REFLEXIO XXIV.

Extrema opinionum vitanda.

VÆ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. (Iſa. 5.) *Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda, deſperationem: item, prima ſæpè dicit malum bonum; ſecunda è contrà, bonum malum: item prima ſæpè ſalvat damnandum; ſecunda è contrà, damnat ſalvandum.* (S. Bonav.)

Si ergò indulgentior ſim quàm par eſt, nonne me & animas deduco per ſpatioſam & latam viam quæ ducit ad æternam perditionem? ſcriptum eſt enim: ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Et quare? Quia tunc ex illis ſum quibus Dominus indignatur & maledicit, quia conſuunt pulvillos ſub omni capite, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis; (*Ezech. 13.*) qui dicunt videntibus: nolite videre; & aſpicientibus: nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. (*Iſ. 30.*)

O quantam morum relaxationem, & cri-

minum, etiam atrociſſimorum, licentiam peperit, & quotidiè parit hæc falſorum prophetarum, & propriæ innitentium prudentiæ pertinax factio! Quot animas, blandè & molliter ſeductas, ducit ad perditionem, & in dies ducit hæc ſæva nimis indulgentia! Nonne hæc opinionum portenta Alexander VII. jure merito proſcripſit & anathematiſavit? An facilè concipitur potuiſſe ea hominibus probari quibus aliqua rationis & probitatis ſcintilla ſupereſſet? Cur ergò me & alios inanibus verbis ſeduci ſino? Quòuſque tandem, proprio abdicato ſenſu, communi bonorum judicio me conformare renuam? O quàm verè dictum eſt filios hujus ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſuâ eſſe!

Verùm, quid ſentiam in horâ mortis, & ante tremendum Judicis tribunal, de hâc laxiori indulgentiâ, & de his fabulis ad quas me & alios converto, & quibus me & alios uſque ad inferni noviſſima projicio?

E contra, ſi in conſcientiæ rebus ſeverior ſim, hominum imbecillitati rationem minimè habens, nec conſilia à præceptis diſcernens; dùm illos ad nimis ardua compello, viam ſalutis æternæ, quam Chriſtus illis aperuerat, præcludo; nonne ſalvandos damno? (*Bonav.*) Quare? quia accidit ut miſeri homines, hâc auditâ ſeveriori doctrinâ, credant, aut dubitent ineſſe culpam mortalem ubi nulla eſt; ſed tamen rei difficultate victi, ex erroneâ conſcientiâ mortaliter peccent & damnentur. Proh miſeranda ſors!

Quâ ergò temeritate alligo & impono in humeros hominum onera gravia & importabilia, quæ Patres & Doctores juxta cor Dei non imposuerunt, & quæ digito meo ipse forsan movere nolo? Nonne jugum Domini suave est, & onus ejus leve? Licetne mihi esse austero, ubi bonus & benignus est Dominus? Nonne fidelis dispensator inveniri debeo?

Verùm, si præ nimiâ austeritate, homines propriæ infirmitatis conscios, ad desperationem & perditionem adigam, nonne communico illorum peccatis? Nonne illorum damnationis reus, in æternam foveam & perditionem, unà cum illis casurus sum? Proh detestanda severitas mea!

Domine Jesu, qui non vis mortem peccatoris, da ut discam & sciam, exemplo tuo, compati & condolere hominum infirmitatibus. Hanc deinceps servi tui D. Gregorii Nazianzeni tenebo doctrinam: *Noli justitiæ rigidæ & inflexibili, neque prudentiæ versatili addictus esse; optima est in omnibus moderatio.*

Da mihi sapientiam, ut sciens reprobare malum & eligere bonum, ambulem coram te, misericordiam inter & veritatem.

Soleo quidem statim reprobare quæcumque non sapiunt extremam rigiditatem; sed in me reversus, tuæque benignitati inposterùm adhærere volens, hoc sacri Canonis monitum fideliter observare conabor: *In his verò ubi jus non invenitur expressum, procedas, æquitate servatâ semper, in humaniorem partem declinando, se-*

eundùm quòd personas & causas, loca & tempora videris postulare. Hæc erit, te duce, te adjuvante, & dirigentibus bonis Pastoribus, via quam sequar, ut justitiam diligens, ad pacem autem prudenter proclivior, securus ad te perveniam; & omnibus, quoad fas erit, omnia factus, eos tibi in æternùm lucrifaciam.

REFLEXIO XXV.

Firmissima Ecclesiæ Romanæ, & sanæ doctrinæ adhæsio.

BEatus es Simon Barjona! quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est; & ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis... Pasce agnos meos; pasce oves meas... Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos... Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum mater est & magistra... (Trid. Seff. 7. Can. 1.) *Una fides, unus Dominus, unus Pastor... Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur...* (Conc. Lat. 4.) *Quænam ergò justa. præscidendæ unitatis, causa esse potest?* (S. Aug.) *Qui habet aures audiendi, audiat; & qui potest capere, capiat.*

II. Nolite omni ſpiritui credere ; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint. Veniet illud tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt ; ecce jam venit : multi enim Prophetæ exierunt in mundum ... Qui novit Deum, audit nos ... In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris ... Qui vos audit, me audit ; qui vos ſpernit, me ſpernit ... Noli eſſe incredulus, ſed fidelis, & loquere, ex abundantiâ cordis, quæ decent ſanam doctrinam ; Dominus locutus eſt ; Eccleſia Romana, columna & firmamentum veritatis, locuta eſt : cauſa finita eſt. Igitur firmiter crede, benè vive ; & nihil timeas, ſalvus eris.

Cùm ergò Romana ſeu Apoſtolica Sedes centrum ſit ac vinculum unitatis & communionis catholicæ, juxta omnium Catholicorum doctrinam, nùm Catholicus haberi poſſem, ſi, unitate fidei ac doctrinæ, cum eâ conjunctus non eſſem ? Erro ; quidquid aliud ſuggerant Schiſmatici, in eâdem ſum damnatione. Ecquid tandem audirem ego, ſegregatus ab unitate Eccleſiæ viſibilis, cujus caput extat Chriſtus, niſi iſta formidabilia verba : *recede à me, putre membrum ; Eccleſiam audire noluiſti, ethnice & pagane ; juſtum eſt ut ab æternâ Fidelium communione in æternùm diſcedas ; te diabolo ſpiritui erroris conjunxiſti, ſtet in æternùm à dextris tuis ipſe diabolus.*

Quid timeo, ſi hanc à Jeſu & à Fidelium communione ſeparationem non timeam ? Surgeret-ne hæc Schiſmaticorum & Hæreticorum factio, ut mihi in infer-

no opitularetur?

Insuper, si Pater cœlestis revelarit Petro ejusque successoribus quæ mihi credenda proposuerunt; si Spiritus Sanctus in eis loquitur; si veritatem dicunt mihi, ut constat tamquàm certissimum veræ fidei ac purioris doctrinæ signum & argumentum, quid est cur non crederem? Quarè dubitarem? Fides est quidem argumentum non apparentium; nonne tamen beati sunt illi qui non viderunt & crediderunt? Nùmquid portæ inferi prævalebunt adversùs Romanæ Ecclesiæ fidem? Nonne testimonia quibus illa nititur, credibilia facta sunt nimis? O insensate! Quis me adeò fascinaret ut non obedirem veritati, adhærerem autem tot Schismaticis & Hæreticis, qui præsumptione, temeritate, libidine & malitiâ excæcati, ac in reprobum sensum traditi, depravant scripturas ad sui perditionem, Ecclesiam Dei pertinaciter conturbant, Evangelium Christi convertere volunt, serpunt ubique ut cancer, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos, dicentes impii in corde suo, & publicè: nolite credere Ecclesiæ definitionibus; sequamini vias nostras?

O inconsiderate! quid periclitor credendo definitionibus Ecclesiæ Romanæ? Nihil. Quid è contra incredulitate meâ non periclitor? Innumera periclitor mala; nam etiamsi mirabilia magna facerem, & corpus meum in servitutem redigerem, quid mihi sine fide prodesset? Nonne per arctam pœnitentiæ viam me in perditionem

ducerem ? Nonne jam judicatus eſſem, & in proprio judicio condemnatus ? Quare ? quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Deploranda ergò Schiſmaticorum rebellio. Sed, ô beata nimis Fidelium obedientia ! Iſta enim eſt tuta & brevis ad gratias ſingulares & ad ſalutem via. Quidni & ego Eccleſiæ Romanæ fidelis eſſem uſque ad mortem ?

Sed tandem cœlum & terra tranſibunt; verba autem Domini Jeſu, qui eſt ipſa veritas, & qui loquitur in Eccleſiâ & per Eccleſiam, non præteribunt ; tranſibo & ego, quantùmvis incredulus eſſem ; Domini autem triumphatrix veritas, in æternùm permanebit ; nùmquid damnatio incredulitati meæ debita præteriret ? Heu minimè ! In æternùm experirer quod nunc credere nollem ; tunc, præ anguſtiâ ſpiritûs gemens, dicerem ſemper & invitus, ſed heu, fruſtrà ! Ergò erravi corde & gravi corde.

Domine Jeſu, qui veniſti à Deo magiſter, & qui viam Dei in veritate doces, confirma me in verbis tuis, & in fide Romanæ Eccleſiæ ; da mihi, quæſo, ut ſim docibilis corde ut parvulus ; væ mihi, ſi aliquandò deficeret fides mea ; adjuva incredulitatem meam. Approbo quidquid Eccleſia Romana approbat ; anathematiſo quidquid illa anathematiſat ; abrenuntio ſpiritui erroris, & Angelo ſatanæ, qui ſæpè transfigurat ſe in Angelum lucis, ut incautos decipiat, & incredulos ſeducat & obduret : profiteor coram te & omnibus

viventibus, quòd firmiter credam quidquid Romana Ecclesia hactenùs docuit & deinceps doctura est, & quidem in eodem sensu in quo illa, quam tu ipsa veritas regis & reges usque ad consummationem seculi, illud intelligit & intellectura est. Adauge fidem meam; paratus sum & non sum turbatus in carcerem & in mortem potiùs ire, quàm ab illâ verâ & Apostolicâ fide, quam ore & corde profiteor, deflectere. Da mihi, supplex oro, ut in hâc fide fortis usque in finem perseverem. Quinimò, ô Domine Jesu, qui loqueris in nobis, & qui ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum & ultorem, da mihi os & sapientiam cui non possint resistere omnes adversarii tui, & quâ, inobedientes, si locus sit, viriliter redarguere valeam, eosque in veritatis viam reducere.

Verùm, ô anima mea, vivis ex fide sicut justus? Pensa, & iterùm pensa quòd fides sine operibus mortua sit; væ tibi, si voce fatens Christum, eum factis neges! Nonne Regina Austri, ipsi ethnici & pagani surgerent adversùs te in magnâ constantiâ, condemnantes te in die Judicii? Absit. Igitur opere comple quod fide tenes, ne de ore tuo judiceris.



REFLEXIO XXVI.

Horæ Canonicæ.

Recitare debeo horas canonicas dignè, attentè, ſtudiosè, & devotè. (Concil. Later. 4)

Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma; ſpiritus eſt vadens & non rediens, & caro concupiſcit adversùs ſpiritum; attamen, quotiès, dùm pſallo in conſpectu Angelorum, vagatur mens mea, aret cor meum, quia vim in illud non facio ut ſim attentus & devotus, quia dilexi verba præcipitationis, lingua doloſa, & quia dedi locum Diabolo, id eſt, diſtractioni; quâ fronte me audiri poſtulo à Deo, cùm ipſe me non audiam? (*S. Cypr.*) Omittere officium abſque causâ, eſt peccatum mortale; ſed recitare illud cum diſtractionibus, directè vel indirectè voluntariis, quid eſt? Prophetiſa, anima mea, ſimul & time.

Inſuper, quid redolet inordinatio temporis & modi recitandi Officium, niſi modicam fidem & amorem tepidum? Nonne peccati venialis macula me interdùm coïnquinat?



REFLEXIO XXVII.

Pia in choro residentia, & scientia cantûs.

QUisquis non assistit Horis in choro, non acquirit dominium distributionum, nisi excusetur infirmitate, vel justâ & rationabili corporis necessitate, aut evidenti Ecclesiæ utilitate. (Trid. Seff. 24. de Ref. c. 12.) *Beneficium propter officium. Si quis non vult operari, nec manducet. Prætereà, graviter reprehenduntur Clerici tardè chorum ingredientes, vel ante officium expletum exeuntes, vel ibi confabulantes, &c.* (Clem. 1. c. dolentes de Miff. cel.) *Psallite Deo nostro, psallite sapienter, inquit Propheta.*

Nonne tamen absum interdùm à choro absque rationabili causâ? In verticem meum descendet fraus mea... Nonne blandior mihi in cantandis Horis? Canonicus à canendo nomen accipere dicitur. Laudo Deum distinctè, reverenter & devotè? (*Trid. Seff. 24. de Ref. 1. 12.*) Quoties forsan accepi fructus quos non debuissem facere meos? Nonne Deus, qui novit absondita cordis, & qui vult adorari in spiritu & veritate, requiret illos?

Quotiès, ob præcipitantiam & nauseam, recito versum meum, nondùm integrè absoluto nec à me audito sociorum versu, nec in medio versuum spirans; quinimò abscindens interdùm syllabas? Quotiès deniquè accidit, ut chorum non ingrediar nisi tardè; & ut hinc exeam ante exple-

tum officium? Quid hoc sapit, nisi Canonum contemptum, mercenariorum morem, tepidum gloriæ Dei zelum, pusillorum scandalum &c? Nonne & ego reprehenderem operarium quem conduxissem, quique in vineam meam non nisi tardè iret, & indè recederet nondùm expleto solito opere? Ita sanè: cur ergò me ipsum non reprehendo? Sed tandem Deus ultionis reprehendet me. Præthereà, scio cantum planum ut cantus & soni graves sint & pii, & ut ad pietatem auditores excitentur? (*Conc. Mediol.*) O homo modicæ fidei!

REFLEXIO XXVIII.

Missæ sacrificium.

Accipite, & comedite. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit... Oportet ut non solùm præpares te ad devotionem, ante communionem; sed ut etiam te sollicitè conserves post Sacramenti perceptionem, (Imit. Chr.) *ut gustare possis quàm suavis sit Dominus.*

Verùm, quotiès, præ falsâ humilitate, & quò liberiùs secundùm carnem vivam, me elongo ab altari & à throno gratiæ? Quoties Panem Angelorum, tanquàm levissimum cibum, fastidio? Quid sapit illa protracta nimis Missæ celebratio, nisi contemptum, scandalum, sterilitatem animæ,

& proximam mortem? Nisi enim manducaveritis, dicit bonus Pastor, non habebitis vitam in vobis.

Quâ devotione perago sacro-sanctum Missæ sacrificium? Nonne, quia cursim, & perfunctoriè incumbo, tùm præparationi ad Missam, tùm celebrationi ipsius, tùm gratiarum actioni, fame pereo in ipsâ mensâ Domini, aret cor meum; & est anima mea sicut terra sine aquâ in ipsis fontibus Salvatoris? Nonne, imbecillis & dormiens, periclitor multùm ne reus Corporis Domini tandem fiam? Horrenda catastrophe! Terribilis exitus, si perceptio Corporis Christi proveniret mihi in judicium & condemnationem! Cur ergò meipsum accuratiùs non probo, & in actualem animi devotionem non incumbo?

Quo fine celebro? An magnificandi Dominum? An turpis lucri & respectûs humani gratiâ? Respondeat cor meum.

REFLEXIO XXIX.

Sancta Mysteriorum Dei dispensatio.

Sancta sanctè tractanda sunt. Si Dominus ego sum, dicit Deus exercituum, ubi est honor meus? Ad vos, ô Sacerdotes.

Hoc fateor. Sed quâ devotione distribuo Fidelibus sanctissimum Christi Corpus, & tracto alia divina Mysteria quorum dispensator sum? An molestè; an hilariter? An usu; an affectu? An purâ intentione;

an torpidâ ? An sanctè & ferventer ; an tepidè & perfunctoriè ? An vero, an ficto animo ? Nonne fidelem dispensatorem, hilarem ac sincerum datorem diligit Deus, ut in omnibus honorificetur in ædificationem Corporis Christi ? Quotiès tamen, hâc meâ rerum sacrarum indignâ tractatione, inhonoro Deum, scandaliso pusillos, ipsosque Paganos ?.... Quid ergò de me sentio, servus nequam ? An ignoro eum maledictum vocari qui facit opus Dei negligenter ?

REFLEXIO XXX.

Reverentia Ecclesiis exhibenda.

TEmplum Domini sanctum est; domus Dei, locus orationis. Sanctuarium meum metuite, ego Dominus.

Quâ ergò devotione introëo in domum Dei ? ... Quo timore adoro eum ad templum sanctum ejus ? Dominum benedicere jubeor ego qui sto in atriis & in domo Domini ; sed quomodò eum hîc honoro ? An corde, an labiis tantùm ? ... Paveo ad ejus sanctuarium, juxta eam quæ illud decet sanctitudinem ? ... Nonne scandaliso pusillos, & ipsos Laïcos ; eosque, garriens, distraho in hoc orationis loco ? Undè fit ut non dijudicem domum Domini ? Non possum sic excusare excusationes : locus iste sanctus est, & ego nesciebam. Undè ergò accidit ut tam parùm paveam ? Heu ! Nimirùm quia paulatim deficit fi-

des mea, & quia, præ aridâ consuetudine, & turpi interdùm lucro, in templum intranti, vilescit mihi terribilis ille locus. Obstupescite, cœli, super hoc! Cur ipse non stupesco, ego reus?

REFLEXIO XXXI.

Rituum & Canonum observatio.

QUi timet Deum nihil negligit... Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Omnia ergò honestè & secundùm ordinem fiant... Ama, & fac quod vis, inquit D. Augustinus.

Sum in modica fidelis? An ea sperno? ... Observo cæremonias & rubricas, simul & canones ac statuta diœceseos circà vestem clericalem, tonsuram, comam, modestiam, frugalitatem, & alia hujusmodi, sivè fugienda, sivè observanda? Quid mea mihi objicit conscientia? Væ mihi, si ex transgressione horum rituum & canonum, qui vitæ meæ regula extant, oriatur contemptus, scandalum, &c. Nonne adsunt? ... Nonne saltem, in modico iniquus, in majori, seriùs ociùs, iniquus ero? Dominus locutus est: heu! Nonne id & ego expertus sum? Quid nunc facere volo? Si rem grandem mihi concilia & statuta dicerent, ecce tacere deberem; sed quantò magis cùm dicitur mihi: *sis in modico fidelis; caput inclina quotiès pronunciatur nomen Jesu, Mariæ, Patroni Ecclesiæ tuæ, & Sancti de quo fit*

officium, &c. Eamdem fidelitatem observa circa alias rubricas: hoc fac & vives? Nonne ergò inexcusabilis sum, si his desim?

REFLEXIO XXXII.

Imitatio Christi, & vita spiritualis.

EGo sum via, veritas, & vita... Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Undè Apostolus, imitator Christi, sic gloriatur: vivo ego; jam non ego, vivit verò in me Christus.

Ecquis debet esse magis conformis imagini Christi, quàm ego qui ejus minister sum? Studeo ergò, ejus exemplo, esse fervens, sanctus, mitis, & humilis corde, zelator animarum proficere sapientiâ & gratiâ? In hoc tamen positus sum, ut semper sentiam in me quod & in Christo Jesu. Quâ alacritate inspirationibus ejus ad perfectiora vocantis, respondeo?

Enim verò, quale est cor meum erga exercitia spiritualia? An jucunda mihi sunt, an molesta? Impendo libenter solitudini, orationi, meditationi, lectioni, examini, puritati conscientiæ, cordis & mentis? Cogito frequenter & piè de Deo? Delector & gaudeo in Jesu, Deo & salutari meo? Mortificor propter illum, non quidem totâ die, sed saltem interdùm per diem?... O quàm libenter hoc sacrificium justitiæ, has oblationes, hæc medullata holocausta acceptaret! O quàm ad-

mirabiles aſcenſiones diſponeres in corde meo! Heu! Hæc omnia exercitia, eorumque unctiones faſtidio, quia uſum non habeo, & quia non diligo Jeſum-Chriſtum. Quid redolet illud faſtidium? Quid vaticinatur? Ipſe viderim.

REFLEXIO XXXIII.

Bonum exemplum.

NIhil eſt quod alios magis ad pietatem aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita & exemplum qui ſe divino miniſterio dedicarunt, &c. (Trid. Seſſ. 22. de ref. c. 1.) *Undè lucere jubentur, ut glorificetur Pater cœleſtis, & ædificentur Fideles.*

Quæ cùm ita ſint, nùmquid ſum bonus odor Chriſti, & exemplum Fidelium; an lapis offenſionis & petra ſcandali? Quid reſpondet cor meum? ... Nonne accidit ut non modò non faciam modeſtiam meam coram omnibus hominibus notam, ſed è contra, communicem peccatis alienis, ſivè verbo, ſivè geſtu, ſivè inceſſu, & mille aliis indecoris modis? Proh ſcelus! Parùmne eſt quòd iniquitates meæ, ſicut onus grave, gravatæ ſint ſuper me? Quid eſt quòd alienis graver?

O Jeſu! A peccatis alienis parce ſervo tuo. Concede mihi, ut in ſpiritu ſatisfactionis, ſim deinceps coram te & hominibus lucerna lucens & ardens.



REFLEXIO XXXIV.

Munia pastoralia.

INterroga Majores tuos, & dicent tibi: Rectorem te posuerunt? Noli extolli; sed, cum timore, ministerium tuum, humeris Angelicis formidandum, imple; vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ. Durissimum judicium his qui præsunt fiet. Anima pro animâ, dens pro dente. Quis est ille Pastor qui audiens auditionem Domini, jam non timeat?

Quàmvis solius Dei sit suscitare sibi Sacerdotes fideles & Pastores juxta cor suum, qui facti forma gregis ex animo, ducant eum ad pascua vitæ æternæ. Nonne tamen mendicatione, favore, sinistrâ resignatione, turpis lucri, quietis, & vanitatis gratiâ, vel seductrici erga parentes affectu, effrænatus suscepi animarum curam? Nonne scientiâ, Dei spiritu, legis & animarum zelo vacuus? O pauperes greges dispersi, & jam jam à lupis vorandi! Quis medebitur vobis? Quis & cæco pastori medebitur mihi?

Quod ignorat medicina, non curat. Satago ergò scire & callere munia & onera ministerii mei? Ars artium est regimen animarum. Verùm, licèt in horum scientiam incumbam, sum-ne in hæc fidelis?

Pascere jubeor qui in me est gregem Dei; sed, quo zelo inardesco erga animas mihi commissas, pretioso sanguine

Agni immaculati redemptas, & quorum ſanguis de manu meâ eſt requirendus? Sum Paſtor bonus, an mercenarius, & idolum Paſtoris?

Speculatorem dedit me Dominus domui Iſraël. Sed vigilo? Habeo oculos anre & retrò? Verùm, ſi præſens ſim corpore, nonne ſpiritu abſens ſum? Nùmquid non ſum canis mutus, & cæcus ſpeculator, videns vana, dormiens, & amans ſomnia; ſimulachrum, os habens & non loquens; oculos, & non videns; pedes, & non ambulans? Væ mihi, ſi juſſus annuntiare inceſſanter populis ſcelera eorum, ignavè tacuero!

Curationem quidem non exigor, ſed curam. Incumbo cognoſcere oves meas? Offero pro his Miſſæ ſacrificium, ſecundùm menſuram reddituum meorum?.... Paſco eas, ſaltem diebus Dominicis, verbi divini prædicatione, (*Trid. Seſſ. 6. de ref. c. 1.*) facilitate & brevitate ſermonis? .... Catechiſo affectu paterno & in ſpiritu lenitatis, infantes & rudes?.... Prædico meipſum, an Jeſum-Chriſtum? An turpis lucri gratiâ, an parandi Domino plebem perfectam? An verbo & linguâ tantùm; an opere, veritate, & exemplo? Væ mihi, ſi adulterem verbum Dei! Nonne illud adultero?

Adminiſtro ovibus meis Sacramenta, quotiès indigent, & rationabiliter illa petunt?.... Sum fidelis diſpenſator Sacramentorum, an diſſipator, dando Sanctum canibus?.... O quàm multi Miniſtri

ſacrilegiis cooperti, gemunt & ululant in inferno, ob projectas ante porcos margaritas! Væ mihi ſi hoc exemplo edoctus, & iniquâ miſeratione adhùc commotus, Sacramenta à canibus conculcari ſino!

Diſcite à me quia mitis ſum corde, dicit Princeps Paſtorum, Chriſtus. Verùm habeo & adhibeo illum ſpiritum lenitatis, quo ipſe, & Paſtores, juxta cor ejus, uſi ſunt ad alliciendas & lucrandas animas? Paratus ſum omnibus ovibus omnia fieri, & pro eis, ſi neceſſe ſit, animam meam ponere, ut omnes ſalvas faciam? Eligo tempus & momenta opportuna, ſimul & modum ſalutarem, ut fructuoſa ſit correctio facienda? Scio diſſimulare, ſaltem ad tempus, minus peccatum, ad præcavendum majus? Quo fine corripio delinquentes? An in odium peccati, an in odium ipſorum delinquentium? Nonne facilè credo ſuſurris, in populo diſcordias & ſchiſmata diſſeminare paratis?.... Si non habeam hunc ſpiritum lenitatis fluentem lac & mel, illamque Dei ſapientiam, ſuaviter omnia diſponentem, quonam auſu puto & ego quòd ſpiritum Dei habeam? Verè neſcio cujus ſpiritûs ſim. Non in commotione Dominus. Patientia ergò mihi neceſſaria eſt. O ſi haberem charitatem Dei, haberem & patientiam; quia charitas patiens eſt, & benigna.

Attamen, ſi ob delinquentis contumaciam, & delicti gravitatem, virgâ opus fuerit; adhibeo tunc cum manſuetudine vigorem, cum miſericordiâ judicium, cum

ſeveritate lenitatem, ut, cum aſperitate, diſciplina ſalutaris & neceſſaria conſervetur? (*Trid. Seſſ. 13. de Ref. c. 1.*) Erro ſanè ſi non efficiam ut, hoc temperamento, miſericordia & veritas obvient ſibi, & ut juſtitia & pax invicem oſculentur. Ecquid, ſi contra Fideles mihi commiſſos, levi de causâ, litigem? Ego qui ſum angelus pacis, ego qui ſic quotidiè oro: *Extingue flammas litium, ne litis horror inſonet.* Nonne debeo vincere in bono malum? Ita ſanè, ut quondam gloriari queam: cum his qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Nùmquid pauperum, aliorumque miſerabilium perſonarum paternam curam gero? (*Trid. Seſſ. 6. de Ref. c.* 1.) Impendo in hos pauperes, præſertim ægrotos & verecundos, vel in alios pios uſus, partem fructuum honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluam? Quid timeo, ſi non timeam iſta formidoloſa verba, nimirùm: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*, &c. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis*, &c. *Diſcedite, in ignem æternum?* Nonne hi pauperes quos occidi, quia hos non pavi, ſtabunt in magnâ conſtantiâ adversùm me?

Ut autem multos lucrifaciam Jeſu-Chriſto, concilio mihi ſuaviter & fortiter fiduciam & benevolentiam animarum, tamquàm firmiſſimum miniſterii mei fundamentum, & efficaciorem conſummationem? Si in earum charitate radicitùs fir-

matus non fuero, aërem verberabo.

Ploro idemtidem inter veſtibulum & altare pro peccatoribus derelinquentibus legem Dei, ut fiam, in tempore iracundiæ, reconciliatio? ... Nonne memini me ex hominibus aſſumptum eſſe, ut offeram dona & ſacrificia pro me & pro populo? Quidni ergò ſatago fungi ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius?

Doceo obſtetrices formam Baptiſmi? ... Diligo decorem domûs Dei, ſacrarii, ornamentorum, fontis baptiſmalis, vaſorum ſacrorum? ... Renovo idemtidem ſpecies Euchariſtiæ? Hùc ſpectant munia mea.

Nonne me piget viſitare infirmos & moribundos? Ita ſanè. Verùm, ſi præ ignaviâ meâ pereat infirmus, propter quem Chriſtus mortuus eſt, nonne erit anima mea pro animâ ejus?

Interſum collationi de caſibus conſcientiæ, ſingulis menſibus, juxta ſtatuta diœceſeos, faciendæ. Qui ſuperiorem ſpernit, ipſum Deum ſpernit.

Curo ut fundationes & pia legata impleantur; ut redditus fabricæ & ſodalitatum non diſſipentur, & ut ſtatuta diœceſeos obſerventur? Quid deterius, ſi ego ipſe fundationes & legata, tepore, ignaviâ, & reſpectu humano negligerem; ſi Miſſarum mihi commiſſarum celebrationem ad longius tempus, præter rationabilem Fidelium voluntatem, protraherem, ſi diœceſeos ſtatuta, frontosâ temeritate tranſgrederer? Nonne Deus requireret iſta?

Invigilo ut præceptor ſuo fungatur officio;

Adimpleo onera beneficio meo annexa; ſcilicèt, vel celebrandi Miſſas talibus anni diebus, & in quibuſdam ſtatutis Eccleſiis & altaribus ; vel ſuppeditandi ornamenta, & alia hujuſmodi ? Nonne ſentiens commodum, & onus ſentire debeo ?

Utor, ut bonus Pater-familias, agris beneficio meo annexis, an ut diſſipator ? Incumbo reparationibus quibus indigent ? Curo pariter reparationes modicas domui presbyterali faciendas ?

Heu ! Quot munia ! Quot pericula ! O quàm verè dictum eſt : *Interdùm dominatur homo homini in malum ſuum !* (*Eccle. 8.*) Undè ſic concludit D. Chryſoſtomus : miror an fieri poſſit ut aliquis ex Rectoribus ſit ſalvus. Undè ergò fit ut animarum formidandum regimen adeò ardenter ambiatur, tam fœdè mendicetur turmatim ? Ubi ſunt Gregorii, Martini, & alii ſanctiſſimi Viri, qui, quàmvis à Deo vocati, fugiebant, & in ſpeluncis latebant, ne onus & honorem ſuſciperent ?

Domine Jeſu ! Da mihi intellectum; ſcio quia puer ego ſum, neſciens loqui; infirmus nimis & imbecillis ſum ut loquar ad Pharaones & incircumciſos corde : igitur, ne permittas ut temerè mihi ſumam honorem. Sciens tamen quòd infirma mundi eligas ut fortia quæque confundas, oro te ut doceas me facere voluntatem tuam; ſi vocaveris me, reſpondebo tibi : ecce ego, adſum, mitte me; & quoniam dixiſti : non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis;

da mihi ós & ſapientiam, ut ſim Paſtor juxta cor tuum, & exemplo tuo libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus mihi commiſſis vel committendis.

REFLEXIO XXXV.

Munia Syndicorum.

QUi benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt; ſed væ ſpeculatoribus cæcis, & quæcumque ignorant blaſphemantibus; væ illis Præpoſitis per quos ſcandalum & abominatio deſolationis veniunt in locum ſanctum, & in eo ſtant!

Quatenùs ergò Syndicus ſum, aut Præpoſitus communitatis eccleſiaſticæ, vel capituli, do operam ut ſancta ſanctè tractentur? Eſt-ne apud me acceptio perſonarum? Præſumne verbo & exemplo, ſi videns prævaricantes, erubeſco dicere: *Non licet*, eoſque corripere; ſi ipſe ego petra ſcandali, delinquere faciam Clericos, quos ædificare debeo? Quid ſum? Nefandus prævaricator.

Nùmquid tueor jura & emolumenta communitatis? Si ad hæc omnia juramento teneor, quid ſum ſi his deſim? Perjurus. Sed ô quantam malorum vim in caput meum ſtruo!



REFLEXIO XXXVI.

Modus agendi bonum.

QUod justum est, justè persequere, & dignè Deo... Ego justitias judicabo, dicit Dominus.

Verùm, perago omnia opera mea, præsertim proprii statûs, in gloriam Dei, cum fervore, in spiritu & veritate, in unione intentionum & meritorum Christi? Facio alacriter, prompto animo, & constanter omnia honestè, secundùm ordinem, locum & modum? In hoc consistit gloria filiæ regis, testimonium bonæ conscientiæ, meritum actionum mearum, sanctificatio mea, corona mea. Quid ergò sunt opera mea his adjunctis destituta? Paleæ ad comburendum igni. Quid inveniam in manibus meis? Nihil. Postquàm enim jejunavero, prophetavero, mirabilia magna fecero, & Dæmonia ejecero, Deus hæc sacrificia non aspiciet; postquàm seminavero multùm, nihil, aut parùm inferam. Quid tandem audiam, nisi ista terribilia verba: *Et tunc confitebor illis, quia non novi vos; vestris enim obsequiis vos inhonorastis me: jam mercedem accepistis. O stulti divitiarum viri, non invenio opera vestra plena coram me; quia ergò nudi, cæci, miseri, & miserabiles estis, discedite à me; thesaurisastis vobis, non thesauros in cælis, sed iram meam in hoc novissimo die. Nescio vos, in æternùm discedite.* O horrendum!

Quare

Quare ergò non vereor omnia opera mea? Quid eſt cur non ſatago operari ſecundùm beneplacitum & exemplum Chriſti, qui benè omnia fecit?

Domine Jeſu, da mihi intellectum, ut ſciam omnia facere in gloriam tuam, in ſpiritu & veritate, honeſtè, ordinatim, & conſtanter; hanc puram intentionem tibi placendi, tibique in ſpiritu, honeſtè & ordinatim ſerviendi omnibus diebus meis, renovabo, non ſolùm diluculo, verùm etiam in principio & decurſu omnium operum meorum. Confirma me in hoc propoſito quod operaris in me, ô Magiſter bone, ut per miſericordiam tuam, audire quondam poſſim hoc mellifluum verbum: *Euge, ſerve bone, quia in pauca fuiſti fidelis; quia conſcientiâ bonâ, fide non fictâ, ac in ſimplicitate cordis tui ambulaſti coram me cunctis diebus vitæ tuæ: intra in gaudium Domini tui.*

REFLEXIO XXXVII.

Noviſſimorum recogitatio.

COgitationes hominum vanæ ſunt; populi meditantur inania; ipſius ſanctuarii lapides diſperſi ſunt in capite omnium platearum; & quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, & nullus eſt qui recogitet corde; hinc fit, ut deſolatione deſoletur terra, ac deficiat ſanctus in ipſo ſanctuario, in ipsâ ſanctorum terrâ.

Nonne ipſe erravi ſicut ovis quæ periit,

quia ad cor nunquàm redeo, & quia abhorreo ab illâ solitudine in quam Deus vocat & ducit homines bonæ voluntatis, ut loquatur ad cor eorum eloquia ignita, eosque repleat Spiritu Sancto? Hinc miserè accidit ut non degustem, quin potiùs respuam veritates venturi sæculi, ut nunquàm sapiens, nec novissima providens, totam vitam tepidè transigam, quasi nunquàm moriturus; hinc accidit ut non intelligam, comparatus jumentis insipientibus quibus non est intellectus; & ut, licèt sim in honore, sciens bonum & malum, semper tamen vagans, vadens & non rediens, vanisque distractus curis, pericliter quotidiè. Proh cæcitas mea! O si memorarer novìssima mea, an peccarem? O si vita mea esset abscondita in Christo cum Deo, quàm parùm saperem quæ sunt super terram! Quàm fervens essem spiritu! Nonne essem ad mortem semper paratus?

Sed saltem provideo interdùm novissima mea? ... Reversus idemtidem in me, dijudico strictè meipsum? ... Habeo in mente annos æternos, an inania & fabulationes? ... Descendo in infernum vivens, ut non descendam moriens? Curo habere semper lucernas ardentes in manibus meis? Heu mihi! Id parùm satago. Si ergò animam meam nunc repeterent à me, ubi parerem? Quò irem? ... O insipiens! Hæc & alia, nunquàm, aut vix recogito corde. Est-ne cura salutis, & timor Domini ante oculos meos? ... Ve-

rùm, ſi ſtupiditatem meam nunc cognoſcens, ferventiùs deinceps non vigilem, quid ſum? Quid ero?

His & aliis animo recogitatis; ſi cognoſcas te profeciſſe, gratias age Deo qui dedit tibi victoriam per Jeſum-Chriſtum; ſi verò ſentias te defeciſſe, cave ne animo concidas, vide in quo peccaveris & frequentiùs pecces; & erubeſcens, age pœnitentiam, reſipiſcere ſtude, & remedium adhibe; ſcito quid deſit tibi, alacriùs labora ut bonus miles Chriſti; perſequere fortiùs inimicos tuos; aggredere præſertim vitium illud ad quod proclivior es, nec convertaris donec deficiat; confide in Domino qui docebit manus tuas ad prœlium; quapropter, leva ſæpè in cœlum oculos tuos, undè veniet auxilium tibi, veniet & victoria.

Sed interim, præpara animam tuam ad confeſſionem, & animi dolorem; fidelis eſt Deus, ut remittat tibi peccata tua.

NERVOSA CONSIDERATIO

Ad excitandum de peccatis dolorem.

SCriptum eſt: nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci? Hâc horrendâ nimis deſolatione deſolatur & perit anima mea, quia non recogitavi corde.

Verùm, in te nunc reverſa anima mea, vide & recogita corde & in amaritudine tuâ, quàm malum & amarum ſit reliquiſſe te Dominum Deum tuum!

I. Quid feci, infelix ego homo? Peccavi Domino; peccavi Deo sancto, sancto, sancto, altissimo super omnem terram; peccavi Domino, qui solus est bonus, Regi seculorum immortali; eum servire feci iniquitatibus meis. Proh scelus! Malum feci coram illo qui est sol justitiæ & candor lucis æternæ; propter pugillum hordei, offendi Regem regum, cujus majestate repleta est terra; huic nolui servire, frontosè dicens: non serviam; Dominum meum postposui vilissimæ voluptati, & ipsi Satanæ. Proh abominatio!

O magne Domine, & laudabilis nimis! Quàm parùm te amo! Quàm parùm te cognosco, ô pulchritudo & bonitas tam antiqua! Noverim te, dilecte mi, ut indè cognoscens abominationem peccatorum meorum; dicam semper ex abundantiâ cordis mei: *Quis dabit oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte!* O Jesu, qui convertis rupes in fontes aquarum, da ut peccatrix anima mea tristis sit usque ad mortem, propter te summè amabilem.

II. Quid feci? Deum qui me genuit dereliqui; oblitus sum Creatoris mei; dereliqui fontem aquarum viventium Dominum, ut foderem mihi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas; Deum, qui me ut filium enutrivit & exaltavit, sprevi; Ego dispensator Mysteriorum ejus; Ego dux ejus, notus & amicus ejus, magnificavi super eum supplantationem. Obstupescite, cœli super hoc! O monstruosa ingratitudo mea! Quis mihi hoc tribuat ut

magna ſit velut mare contritio mea? Eia, fletum deducite oculi mei, liqueſce anima mea amoris igne, præ dolore deficias, propter Deum qui dilexit te & benefecit tibi, & quem, heu! tu prævaricatrix adeò graviter offendiſti.

III. Quid feci? Perſecutus ſum Dominum Jeſum, ego miniſter & angelus ejus; ego Dñum gloriæ crucifixi in monte Calvariæ; quid vilius: Ego, millies poſteà, rursùs mihimetipſi crucifixi filium Dei; quid crudelius? Et adhùc vivo? Et adhùc doloris gladio non ſcinditur cor meum? O cor meum, non cor! O cor ſaxis & ferro durius!

Sed, dic, anima; miſera anima mea, quid fecit tibi Dominus Jeſus? Quid moleſtus fuit, aut in quo contriſtavit te, ut eum tu contriſtares & crudeliter crucifigeres? Quidni ſaltem plangis, quaſi virgo, planctu amaro, ô anima mea?

IV. Chriſtus factus eſt pro me maledictus; peccata mea portavit in corpore ſuo, ſuper lignum; oportuit illum pati, ut me Deo Patri, in ſanguine ſuo reconciliaret, quia præter eum, nullus erat qui redimeret, neque qui ſalvum faceret.

Indè cognoſco, ô Jeſu pro me crucifixe, cognoſco quàm gravia ſint vulnera mea, pro quibus neceſſe eſt te Dominum Chriſtum vulnerari; (*S. Ber.*) ſed heu! ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? O Angeli pacis, qui ad hoc ſpectaculum amarè fleviſtis, amarè nunc flete, quia ego ſuper meipſo non fleo; impetrate mihi hanc aquam.

V. Dominus Jesus, videns civitatem, flevit super illam, prævidens scelera ingratorum hominum, quorum primus ego sum; cœpit pavere & tædere in horto; factus est in eo sudor sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Propheta regius vix crimen agnoscit, statim laborat in gemitu suo; lectum & stratum suum lachrymis per singulas noctes rigat; Maria Magdalena, olim peccatrix, sed in se reversa, diligit multùm, lachrymis, præ dolore, pedes Domini rigat sollicita; Apostolus Petrus totâ vitâ amarè flet; & ego, qui eum Dominum nefandiùs & sæpiùs offendi, non recogito peccata mea in amaritudine animæ meæ! Et ego rideo; aut, ad summum, vix doleo! Undè hoc monstrum? Quòusque me patietur Dominus, & me sustinebit terra?

VI. Peccavi! Et dixi, insipiens, in corde meo: quid mihi accidit triste? Væ mihi! Quid accidit? Millia infortunia, tenebræ intellectûs, duritia cordis, conscientia lubrica, effrænatior peccandi libido, frequentiores lapsus in vitia, gratiæ jactura, periculum imminens, & pessimæ mortis, & perditionis æternæ. Hic est fructus, infelix fructus, quem habeo in illis in quibus nunc erubescere debeo, finis ergò illorum est mors, & secunda mors.

Vide nunc anima mea, vide quid accidit & accidet; enim verò, nonne, secundùm impœnitens cor tuum, thesaurisas tibi iram Dei in die judicii? Nonne

meritò contra te jam exardeſcet, ſicut ignis, ira ejus? Nonne ducens in bonis dies tuos, nec umquàm pœnitens corde, in puncto ad inferna deſcendes? Nonne in æternùm in hâc flammâ cruciaberis? Agnoſce, cæca, agnoſce quàm grave ſit peccatum, quàndòquidem Dominus, cujus miſericordiæ à ſæculo ſunt, æterno igne unum peccatum mortale punit? Diſce indè redire ad cor, confundi, dolere, conteri, & plorare die ac nocte, ne, præ anguſtiâ, in æternùm & fruſtrà in inferno gemas.

Abſit à me tanta cæcitas, tantaque duritia; & quoniam iniquitatem meam nunc meliùs ego cognoſco, dixi: nunc cœpi.

Quapropter, ô bone Jeſu, ô dilecte & amabilis Jeſu! his omnibus animo meo recogitatis, & cordi meo altè, per tuam gratiam, defixis, confiteor quia tibi ſoli peccavi. Quid nunc faciam tibi, ô cuſtos hominum? Quid faciam? Sacrificium juſtitiæ. Igitur, offero tibi cor contritum & humiliatum, quod tibi ſummè placet, quodque numquàm deſpicis. Verè doleo quòd peccaverim; doleo, non propter gehennæ metum, non propter gloriæ deſiderium, ſed propter te, qui es totus amabilis, ſummè bonus & ſanctus; & quia parùm doleo, propter te maximè doleo; jam nolo ampliùs peccare propter te, qui idem ipſe ſemper es, bonus & amabilis; ſufficit mihi gratia & amicitia tua: & modò ut te ſemper diligam, ô dilecte mi; modò ut non ampliùs peccem

tibi, ô bonitas infinita, nihil aliud peto; da mihi amorem tui, & dives ſum, ſatis; Deus auxilii mei, adjuva me; Domine ne moreris, quia pauper & inops ſum ego, & ad malum, ab adoleſcentiâ, vehementiſſimè pronus.

AD CONFESSIONEM

Acceſſus.

ACcede ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fiduciâ, in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito; confitere in amaritudine animæ tuæ ſaltem peccata totius menſis præteriti; da operam ut propoſitum tuum ſit magis ſincerum & firmius; quapropter, vigila & ora, diffidens tibi, & in Deo ſperans, qui dat fortitudinem plebi ſuæ; noli ampliùs peccare; ſed ſi ſtas, vide ne cadas, ne quid deterius tibi contingat, & ne tandem de ore Dei evomaris, ſerve nequam.

CELEBRATIO MISSÆ.

DIligentiùs ipſe probatus, ut præcipit Apoſtolus, veſte nuptiali indutus, & ferventiori devotione actuali ornatus, accede ad ſacram Miſſam & Communionem; ſed cogita, Miniſtrum, tibi ſuper lectum doloris communicanti, dicere: *Accipe Viaticum, frater, Corporis Domini noſtri Jeſu-Chriſti.* Vide, in Regulâ Cleri,

aſpirationes ignitas, tùm præparationi, tùm gratiarum actioni aptatas.

DISPOSITIO TESTAMENTI.

SAnctus Auguſtinus teſtamentum nullum fecit, quia undè faceret pauper Chriſti non habuit. Utinam de te, ſic paupere moriente, jure dici poſſet, quod de S. Franciſco, de S. Thoma de Villanova, & de aliis prædicatur : pauper hic & modicus, cœlum dives ingreditur, hymnis cœleſtibus honoratur; diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. Nonne & tu pauperes ſemper tecum habes? Cur ergò non facis tibi amicos, ut cun defeceris, recipiant te in æterna tabernacula?

Fortaſsè diſpones in horâ mortis largas eleëmoſinas, in ſinu pauperum poſt mortem concludendas; dotabis Eccleſias, &c. Et interim, videns quotidiè & ubique mendicos Lazaros in januis jacentes, ab iis viſcera tua, inclemens, claudis? Vetè à Satanâ te tentari ſinis; verè, divitiis affluentibus cor apponis. O præclarum, imò potiùs deteſtandum ſæpiſſimè ſacrificium! Nam tunc neceſſitate coactus, dabis quod tuum non erit; dabis quod tunc auferetur, & quo diutiùs frui non poteris. O miſer! quis te ita faſcinavit, ut hanc vanitatem, Deo & hominibus odibilem, non videas? O quàm metuendum eſt ne pecunia tua tecum ſit in perditionem!

Si autem necesse sit testamentum facere, fac illud coram Christo Judice intereadùm sanus es & tuus ; in infirmitate, blanditiis & minis duceris quò tu non vis. (*S. Aug.*) Cur ergò differs ?

Præterea, nonne ipsis laïcis suades ut maturè disponant domui suæ ; id est, ut testamentum condant dùm sana mens est in corpore sano ? Ita sanè ; & quare ; Quia illa dispositio in horam mortis dilata, distrahit à Deo, à curâ animæ & beatæ mortis, est discordiarum & litium seminarium, & quia infirmitatis tempus nimis breve & pretiosum est, quàm ut totum studio beatæ mortis non impendatur. Quare ergò tu ipse maturè non sapis ? O cæcitas tua !

Cave etiam ne, si imprudenter de die in diem differas, tempus illud condendi, ut sæpiùs miserè accidit, non habeas. Memineris iterùm, affectum paternum, malorum seminarium, extare in Ecclesiâ Dei, & te debere, ut jam monuimus, pauperum, aliarumque personarum miserabilium paternam curam gerere ; cave ergò ne quis te seducat inanibus verbis, & ne donans consanguineis divitibus res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, in æternùm pereas. Surgerent-ne hi patentes ut tibi opitularentur in inferno, & ut de illo te liberarent ? Nequaquàm : quia in inferno nulla est redemptio.

Tandem, quàmvis sanus testamentum feceris, disperge adhùc vivens, & ut hilaris dator, quidquid poteris pauperibus ;

ſis per teipſum miſericordiæ vir, & eleëmoſynas tuas enarrabit Eccleſia Sanctorum.

CONSIDERATIO

De anguſtiis quæ Sacerdotes in horâ mortis torquere ſolent.

I. DElicta juventutis meæ, peccata occulta & aliena, quibus communicavi, vel citò imponendo manus, vel conferendo indignis beneficia, abſolutionem, &c. vel non arguendo populum de peccato, vel ſcandaliſando puſillos; inſuper peccata excuſata & pro nihilo reputata; vita tepida, inutilis & animalis; ſed præſertim falſa conſcientia. O cogitatio, ſæva animæ meæ carnificina! Tribulatio & anguſtia jam inveniunt me!

II. Abuſus tot dierum ſalutis, tot gratiarum, & præſertim divinæ Euchariſtiæ; tot Miſſarum & Communionum; quantus timor & tremor! Quot ſacrilegia, ſub præclarâ pietatis ſpecie! Væ mihi, ſi Sanguis Jeſu-Chriſti exquiratur! Inſuper, dilapidatio rerum Eccleſiaſticarum, quæ Dei ſunt. Heu! Quot pauperes ſtabunt adversùs me?

III. Defectus diligentis examinis, ſinceri doloris, veri firmique propoſiti & integritatis in confeſſionibus præteritis. O quantùm timeo, ne mortaliter lapſus, hâc ſecundâ poſt naufragium tabulâ, propter pœnitentiam fœdè actam, abuſus ſim!

IV. Non ſatisfeciſſe Deo pro tot pec-

catis, & Proximo ac Ecclesiæ, pro tot damnis, verbo, opere, scandalo, cooperatione, fraudulentâ à choro absentiâ, pravâ officii recitatione, &c. illatis. Nonne debui reddere Deo quæ Dei sunt, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari?

V. Suscepisse curam animarum non vocatum, aut capacitate carentem: insuper, ignorâsse, aut certè neglexisse munia mea, præsertim pastoralia. Heu! Quanta amaritndinum abyssus! In quantum profundi limum jam me hæc demergit tempestas! Quot ovium sanguis de manu meâ requiretur!

V I. Non incubuisse perfectioni meæ; dixisse & non fecisse. Quid est cur me ipsum non curavi, medicus insipiens? Nonne jam ore meo me judicare teneor? Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodivi! Proh pudor! O stupiditatem meam! Nonne similis sum illis, qui post fabricatam Noë arcam, ut salvarentur, ipsi in aquis periere? Proh dolor?

V I I. Non fecisse omnia in gloriam Dei, sanctè, ferventer, & constanter; in spiritu & veritate, secundùm ordinem, & juxta beneplacitum Christi. Quid ergò juvat sic gloriari: dives sum? Dùm Dominus dicit: miserabilis es?

V I I I. Non vigilavisse, & de maturâ ad mortem præparatione non curasse. Quis mihi dabit lachrymas, ut tantam plorem imprudentiam?

Vide nunc, charissime frater, coram Deo

misericorde, nùm hi conscientiæ stimuli te in horâ mortis exagitarent. O nimis felix quòd hos prævenire possis; remedium, nobis crede, protinùs adhibe, ne his, Deo vindice & frustrà, crucieris in novissimo die.

ACCEPTATIO MORTIS.

BEatus ille servus quem cùm venerit Dominus invenerit vigilantem. Forsan hâc nocte animam meam repetent à me. Deus, Deus meus, vigilem ergò semper ad te, ut semper paratus sim, quia quâ horâ non puto, tu venies. Dixi: nunc cœpi; volo maturè sapere, ac novissima providere; idcircò, jam hodiè immolo tibi sacrificium laudis.

I. Voluntariè sacrifico tibi vitam meam; quia in gloriam tuam creasti eam.

II. Statutum est omnibus hominibus semel mori, quia vitæ & mortis potestatem, tu Deus, habes. Ergò, in pulverem revertatur corpus meum; non mea voluntas; sed tua fiat; ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

III. Tu scis, Domine, quia amo te, & ideò animam meam pono pro te.

IV. O Jesu! quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? O pie pellicane! in hoc cognosco charitatem tuam, quoniam animam tuam pro me posuisti. Quid retribuam tibi, ô bone Jesu? animam meam. Majorem hàc siquidem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

V. Peccavi! iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; exhibui omnia membra mea ſervire immunditiæ & iniquitati; & licèt miniſter tui ſim, & diſpenſator myſteriorum Dei, te tamen ſervire feci iniquitatibus meis. Igitur, exurge, Deus, judica cauſam tuam; cadat iſte armatus & inimicus homo & ſervus peccati; reus eſt mortis; crucifigatur, crucifigatur; quaſi putredo conſumatur, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tineâ.

Superbii, terra & cinis: revertar ergò ad terram tenebroſam. Oblivioni der, tamquàm mortuus à corde, in ſpiritu humilitatis, contritionis & ſatisfactionis; ſubter corpus meum, quod aggravat animam, ſternatur tinea, & operimentum meum ſint vermes; interim circumdent me dolores mortis; meritò hæc patiar; dilexi mundum, & ea quæ in mundo ſunt: à mundo ſeparet me amara mors; juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.

VI. Væ mihi! appono quotidiè iniquitatem ſuper iniquitatem; in terrâ Sanctorum iniqua gero, lapis offenſionis ſum ac petra ſcandali; & licèt plantatus in domo Domini, ſum tamen ſervus inutilis; veniat mors ſuper me, ut non ampliùs peccem tibi; malo tibi dilecto mori, quàm tibi offenſo vivere, ô Jeſu mi! Idcircò, à te peto ut moriar; neque enim melior ſum quàm patres mei.

Hei mihi! tua quidem judicia ſunt abyſſus multa, terribilis es in conſiliis ſuper filios hominum; judicabis juſtitias; de omni

verbo otioſo reddam rationem ; quaſi pannus menſtruatæ, univerſæ juſtitiæ meæ ; in Angelis reperis pravitatem, non parcis delinquenti : horrendum eſt incidere in manus tuas. Vix juſtus ſalvabitur : ubi parebo ego impius & peccator ? Timor & tremor veniunt ſuper me ; ecquis novit poteſtatem iræ tuæ ? Verè, Domine, rectum judicium tuũ. Torrentes iniquitatis meæ & pericula inferni conturbant me ; ecquis poteſt cogitare diem adventûs tui ? Quis ſtabit ad videndum te ? Idcircò, ex unâ parte, mori timeo, quia non ſum paratus ; & ex aliâ, vivere erubeſco, quia parùm proficio, & quia, quò diutiùs vivo, eò magis mihi theſauriſo iram tuam in die judicii. Malo tamen mori, & miſericordiæ tuæ me committere, quia benignus & miſericors es, quàm de meâ malâ converſatione ſcandalum facere. Quis ergò liberabit me de corpore mortis hujus ?

VII. O Jeſu laus mea, Jeſu cordis mei ! Tædet animam meam vitæ meæ, quia non diligo te fortitudo mea, & vita animæ meæ ; opus tuum facio negligenter ; ideò factus ſum mihi metipſi gravis ; ideò, amor mi, expecto donec veniat immutatio mea : ut quid terram occupo ? Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. O utinam jam jam inhabitem in domo tuâ, ut in ſecula ſeculorum laudem te !

VIII. O ignis jugiter ardens ! Continuus eſt dolor cordi meo ; tabeſco, & triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, quia ubique video prævaricantes & polluentes templum ſanctum tuum ; tolle ergò ani-

mam meam, expedit mihi magis mori quàm vivere.

IX. O Jesu, qui cùm dilexisses nos, in finem dilexisti nos, & pro omnibus mortuus es, oblatus quia ipse voluisti; exemplum dedisti mihi, ut quemadmodùm tu fecisti, ita & ego faciam: nonne æquum est ut conformis fiam imago tui? Non est servus major Domino suo; insuper tui minister sum, & ubi tu es, illîc imperas ut minister tuus sit; volo mori, ut faciam secundùm exemplar quod mihi in monte monstratum est.

O Jesu, portio mea in terrâ viventium! O torrens voluptatis! O Jesu fons vitæ! Cupio dissolvi & esse tecum; tu mihi vivere fuisti, nonne mori mihi lucrum erit? Veniat mors super me, instet tempus resolutionis meæ; satiabor cùm apparuerit gloria tua. Veni, Domine Jesu, veni, Sponse mi, quia amore langueo. Fuerunt mihi lachrymæ meæ die ac nocte, dùm dicitur mihi quotidiè: ubi est Deus tuus? Veni, ô vita animæ meæ, educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo; me expectant justi, donec retribuas mihi. O quandò hæc erunt? Quæ enim nunc expectatio mea? Nonne tu Dominus Deus!



ACTUS RELIGIONIS,

Per vitam, & præcipuè in horâ mortis eliciendi.

ACTUS FIDEI.

CRedo in Deum qui me creavit ad imaginem & similitudinem suam; & in Jesum-Christum Salvatorem meum, qui dilexit me, lavit, & redemit me Sanguine suo; & in Spiritum Sanctum, qui me in Baptismo sanctificavit.

Credo quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terrâ surrecturus sum, & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum.

Credo quidquid dixit Dei Filius; nihil hoc verbo veritatis verius.

Credo quidquid sancta, catholica, & apostolica Ecclesia, à Christo & Apostolis hùc usquè credidit, & mihi credendum proposuit.

Hìc recita Symbolum Apostolorum: Credo; *cui subjunge:*

Hæc omnia credo, quia, tu Domine, qui es ipsa veritas, ea revelasti. In hâc fide natus & baptisatus sum; in hâc, per gratiam tuam vixi, in hâc volo mori. Paratus sum & non sum turbatus, in carcerem & in mortem ire pro hâc fidei veritate tuendâ: adauge fidem meam.

Te pariter obsecro, ut in omnibus hominibus sanctum istud lumen fidei augere

velis, & in infidelibus illud accendere, ut eò magis te omnes agnoſcant, confiteantur & adorent. O utinam confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes! Utinam omnis terra adoret te & pſallat tibi in hâc vitâ, ut tandem in ſecula ſeculorum omnes laudent te!

Actus Spei.

In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternùm; vitam verò æternam poſſidebo, quia non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. O Jeſu, Salvator mi, gratiam & gloriam, ut confido, dabis mihi, quia mortuus es propter juſtificationem noſtram, & quia in promiſſis tuis fideliſſimus es. Quantùmvis ergò tu juſtus ſis, & ego homo peccator ſim, & peccatorum primus; attamen, ô Jeſu miſericors & miſerator, miſericordiæ tuæ magnæ lætificant animam meam; hæc tria audivi, nimirùm quia tibi eſt poteſtas, miſericordia, & fidelitas; horum memor fui, & delectatus ſum.

Iterùm & ſecurè dico: lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Adveniat ergò regnum tuum; regnum, inquam, quod paraſti Electis à conſtitutione mundi; ſonet in auribus meis hæc melliflua vox: *Hodiè mecum eris in Paradiſo.* Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo; hæc me conſolatur in tribulatione & humilitate meâ.

Audite hæc, omnes gentes, ut non contriſtemini; conſolamini invicem in verbis iſtis, neque dicatis ſicut & cæteri qui ſpem

non habent : major eſt iniquitas noſtra, quàm ut veniam & gloriam obtinere poſſimus ; nonne bonitas Dei præſtabilis eſt ſuper malitiâ veſtrâ ? Scitote quia nullum deſerit Pater miſericordiarum, niſi ab eo ipſe priùs deſeratur ; ſi enim, cùm eſſemus inimici, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus, quantò magis, reconciliati, ſalvi erimus in vitâ ipſius ? Convertimini ergò, agite pœnitentiam, contendite uſque ad finem perſeverare, & confidite : fides veſtra vos ſalvos faciet.

Actus Charitatis.

O Deus charitas ! quàm ſerò te amavi ! Pereat tempus in quo non te amavi, ô pulchritudo antiqua ! ... O ignis conſumens, Deus ! O ignis jugiter ardens & nunquàm deficiens, ure renes meos & cor meum, ut anima mea amore langueat, & liquefiat tui amoris igne. O amor ! da mihi amorem tui. O bonitas infinita ! diligo te propter te. O totus amabilis ! utinam nec ipſa mors ſeparet me à charitate tuâ. Diligo etiam proximum meum ſicut meipſum, & inimicos meos propter te ; ne ſtatuas illis ullum peccatum.

Actus Pœnitentiæ.

Tibi ſoli peccavi, Domine, tibi ſummo bono, & malum coram te feci ; quid vilius ? Quid ultrà debuiſti facere, & non feciſti ? At ego offendi te, dereliqui te Deum factorem & ſummum benefactorem meum ! Quid deteſtabilius ? Peccavi, Domine ; & ſcio quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum : non intres in

judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens; ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam miſerere mei; ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. Doleo, Domine, doleo vehementer quòd tibi ſoli peccaverim, quia bonus es tu. O Jeſu, mi Jeſu! væ tempori illi quo te offendi, Deus meus & omnia. Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam, & quia millies mihimetipſi te crucifixi, dulciſſime Salvator mi! Nolo ampliùs peccare, etiamſi oportuerit me millies mori. Verùm, mecum ſit gratia tua; teneat me, deducat me dextera tua, Domine fortitudo mea; & ab inimicis meis ſalvus ero.

Actus Reſignationis.

O bone Jeſu! oblatus quia ipſe voluiſti, bibiſti calicem paſſionis & mortis; paſſus es, relinquens mihi exemplum ut ſequar veſtigia tua: igitur, quemadmodùm feciſti, ita & ego facere volens, libenti animo dico: poſſum bibere calicem quem mihi offers, &, te juvante illum bibam. Interim, ô Jeſu mi! complaceo mihi propter te in infirmitatibus meis, quia hæc eſt voluntas tua ut patiar ſuper lectum doloris mei; tu mihi vivere es, & mori lucrum: ſivè vivam, ſivè moriar, tui ſum.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; paratum vivere, ut anima mea vivens laudet te, & confiteatur tibi, Domine, ut tuæ tibi confixus cruci compatiar, & ſtigmata tua in corpore meo por-

tem. De cætero, nemo mihi molestus sit: paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Nonne quæ à te sunt, ordinata sunt? Nonne vita & mors sunt à te? Si capillus de capite non cadat nisi te volente; si ventus & mare obediant tibi, nonne tibi subjecta erit anima mea? Ergò, Domine Jesu! non mea voluntas, sed tua fiat. Repleor consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione meâ, quia dignus habeor pati & mori pro nomine tuo, ô Jesu, & Deus cordis mei!

Ecquid? Tu Rex gloriæ, tu Fili Dei vivi, morte turpissimâ condemnatus, fuisti obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; & ego servus & peccator, dolores mortis, ipsamque mortem, reus mortis, recusarem? Absit.

Volo ergò quidquid vis, volo quia vis; volo quomodò vis, volo quamdiù vis.

Attamen, memini quia pridiè quàm patereris & morereris, cœpisti pavere & tædere, & tristis usque ad mortem fuisti; quis non paveat appropinquante morte, si tu, fortitudo & victoria Martyrum, sic formidasti? Quid, instante morte, fiet de me? Quomodò subsistere potero, nisi tu mecum sis, & pugnes pro me, qui laborantes & oneratos invitas ad te, ut eos reficias. Eïa ergò, Jesu, qui es refugium meum, patientia & fortitudo mea, ne derelinquas me in tempore malo, sicut nec Pater tuus dereliquit te; mitte, inquam, & mihi sanctum Angelum tuum qui me in his angustiis confortet & confirmet, do-

nec peracto agone, & de timore inimicorum meorum liberatus, accipiam coronam vitæ, quam promisisti legitimè certantibus & usque in finem perseverantibus.

Actus Desiderii.

Domine Jesu! tu es gloria mea, corona mea, tu exaltans caput meum; si ergò inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Unam petii à te, Domine Jesu, ut inhabitem in domo tuâ omnibus diebus vitæ meæ; satiabor cum apparuerit gloria tua, ibi in secula seculorum laudabo te. Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Quarè, ô Jesu, fecisti me, si non debeo tibi esse conjunctus? (*S. Bon.*) Tuus sum ego; salvum me fac, ô salus mea! Gratiam & gloriam dabis, Domine; hæc spes consolatur me in humilitate meâ & in hâc lachrymarum valle.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est! Ecquandò tandem veniam & & apparebo ante faciam tuam? O Deus meus, misericordia & tranquillitas mea, irrequietum est cor meum, donec requiescat in te, in quem desiderant Angeli prospicere.

Actus Abrenuntiationis.

Abrenuntio mundo, qui totus in maligno positus est; renuntio omnibus quæ possideo; odi, propter te, patrem & matrem, odi & animam meam; omnia arbitror ut stercora, ut te lucrifaciam. Tu es thesaurus meus, ibi est cor meum; nudus egressus sum, nudus revertar ad te, suscipe

servum tuum in bonum, aspice in me, ne fortè, cùm aliis prædicaverim rerum omnium abdicationem, ipse, cupiditate & amore seculi pressus, reprobus efficiar.

Petitio victoriæ Tentationum.

Militia est vita hominis super terram. O fidelis Deus! ne patiaris, præsertim in horâ mortis, me tentari super id quod possum. Tunc adversarius meus, tanquàm leo rugiens circuibit me acriùs, ut devoret me; sed si tu es pro me, quis contra me? Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum eris. Jam nunc renuntio omnibus diaboli suggestionibus: vadat retrò satanas; exurge, Deus, & dissipentur omnes inimici mei; iter meum impedire non audeant. Si, dùm anxiabitur cor meum, ô spes mea, sis turris fortitudinis à facie inimici, inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, quia tunc anima mea, miserante te, morietur morte justorum.

Perseverantiæ Petitio.

O Jesu! tu scis quia servus inutilis sum; sed, ô bone Jesu, tu qui cognoscis figmentum meum, qui es spes mea in terrâ viventium, & ex quo omnis sufficientia mea est & gloriatio, corona dona tua, corona me in misericordiâ & miserationibus, &, propter gloriam nominis tui, da mihi coronam vitæ quam promittis diligentibus adventum tuum, & perseverantibus usque in finem. Utinam obdormiam in te, ô Jesu mi! Jam tunc in pace obdormiam & requiescam; ipsa caro mea requiescet in spe.

Intrem tandem in gaudium tuum. In manus tuas commendo ſpiritum meum, & miſericordias tuas in æternùm cantabo.

MEDITATIO

De ſententiâ quæ feretur contra pravos Sacerdotes in die Judicii.

DIſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.

Diſcedite à me, vos Sacerdotes quos elegeram ut eſſetis populus meus peculiaris, noti, & Angeli mei; vos ſerviſtis mammonæ, & non Deo; dereliquiſtis Deum factorem & zelatorem veſtrum, qui dederat vobis claves regni cœleſtis; diſcedite à me; non populus meus, nec ero veſter. O ſeparatio, totâ gehennâ gravior.

Maledicti. Heu! maledici ab illo à quo profluit omnis benedictio dulcedinis! O terribilis pœna.

Maledicti à me, quem inhonoraſtis; à Patre meo, quem contempſiſtis; à ſanguine meo, quem effudiſtis & indignè bibiſtis; à Matre meâ cujus præſidium deſpexiſtis; ab Electis, quos habuiſtis aliquandò in deriſum; à populis & puſillis, quos ſcandaliſaſtis; à Ninivitis, qui in prædicatione Jonæ pœnitentiam egerunt; vos verò, in terrâ Sanctorum iniqua geſſiſtis; dixiſtis, & non feciſtis. O maledictio, fons omnis mali! Quid times, ô anima mea, ſi hanc non timeas?

Verùm, ô Domine Jeſu, quo ibunt hi prævaricatores

prævaricatores Miniſtri, quos expellis & maledicis? Ubi eſt hæc horrenda nimis habitatio?

Audite hæc, omnes gentes; audite, Sacerdotes, & pavete.

Diſcedite in ignem; crucietur in hâc flammâ, cum diabolo, corpus veſtrum, quod, unctione conſecratum, coïnquinaſtis & polluiſtis mensâ dæmoniorum; juſtum eſt ut ipſum corpus quod participavit cum animâ concupiſcentiæ ignis, participet cum animâ igneis vinculis quibus vos ſub caligine reſervavi. O miſeranda ſors! O juſte Judex ultionis, quàm horrendum eſt incidere in manus tuas!

Sed, ô Domine, dic mihi iterùm: uſquequò perſeverabit illud exilium, ignis ille?

Iterùm audite, Sacerdotes, erudimini ad hanc vocem, vos qui judicatis terram, & diſcite ſervire Domino in timore.

Diſcedite in ignem æternum, in ignem inextinguibilem; character ſacerdotalis quo ſignati eſtis, erit vobis in æternam ignominiam, in ſempiternam anguſtiam; diſcedite, nunquàm videbitis gloriam meam, infernus erit in æternùm domus veſtra; ibi erit æternus fletus, æternus ſtridor dentium, ibi ſempiternus horror; vermis veſter non morietur: noluiſtis cantare in æternùm miſericordias meas, diſcedite; narrate in æternùm poteſtatem iræ meæ, perditio veſtra ex vobis. Proh deſperatio!


Ecquid ego Sacerdos, cùm ſim in honore, nunquàm intelligam? Ecquid, ſeparari à Jeſu meo, cujus Miniſter ſum!

Hâc ſolâ recordatione conturbatur cor meum, contremiſcunt omnia oſſa mea.

Heu! quomodò habitare potero cum ardoribus ſempiternis, ego qui in deliciis ſum? Quid eſt cur non miſereor animæ meæ, ego qui, zelo meo, aliorum miſereor? Nonne bonum erat mihi ſi in Sanctuarium nunquàm intraſſem, & ſi natus non fuiſſem?

O piiſſime Jeſu, miſerere mei dùm tempus eſt miſerendi; hîc ure, hîc ſeca, hîc non parcas, modò in æternùm parcas. Volo ſalvare animam meam; quapropter, paratus ſum meipſum docere omnia ſalutis media quæ alios doceo, eaque viriliter exequi, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar; adjutor meus eſto, Domine, ne moreris.

Chariſſime Frater, per viſcera miſericordiæ obſecramus te: quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt in inferno quò tu properas. Fuge præſertim illud peccatum quod tibi à Jeſu ſeparationem minatur, & ſtude adhærere ſemper Domino tuo per crebros & ignitos amoris actus, ut in te vivat in æternùm quem totâ mente per vitam dilexeris.



ALIA MEDITATIO

De ſententiâ ergà probos & electos Sacerdotes in die Judicii.

VEnite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.

Venite, vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me; vos coadjutores & miniſtri mei, qui dignè ambulantes vocatione quâ vocati eſtis, paſſi eſtis propter juſtitiam, & bibiſtis calicem quem ego bibi; jam hyems tranſiit, ſurgite & venite; ubi ſum ego, ibi & vos miniſtri mei eritis.

Suavis invitatio, deſiderabilis ſuper aurum & lapidem pretioſum multum! O Jeſu ſpes ſuſpirantis animæ meæ! quis mihi det ut tibi adeò fidelis ſim uſque ad mortem, ut cum electis vocari tandem poſſim?

Benedicti Patris mei, vos diſcipuli mei, ab hominibus paſſi eſtis maledictiones & perſecutiones; putabant vitam veſtram inſaniam; tanquàm purgamenta hujus mundi facti eſtis, omnium peripſema uſque adhùc: vos autem à Patre electi & computati eſtis inter filios Dei; benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram.

Felix benedictio! O quàm beatus ero cum maledixerint mihi homines! Hanc lætus accipiam benedictionem à Deo ſalutari meo; cum illâ venient mihi pariter omnia bona.

Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, vos Domeſtici mei, quia

omnia fecistis quæ ego præcepi vobis, percipite hanc immarcessibilem gloriæ coronã, quam ego, Princeps Pastorum, promisi vobis; hanc percipite Ministri mei, qui benè ministrantes, bonum gradum vobis acquisivistis; vos Presbyteri duplici honore digni, quia benè præfuistis, & quia verbo & exemplo dedistis scientiam salutis plebi meæ, & usque in finem perseverastis, fulgebitis in perpetuas æternitates.

Gaudete & exultate; ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. Ego ipse fons vitæ, & torrens voluptatis, ero merces vestra magna nimis, merces æterna; seminastis aliquandiù in lachrymis, plantastis Ecclesiam sanguine vestro; jam priora transierunt; gustate nunc & videte quomodò hoc leve & momentaneum tribulationis vestræ, æternum gloriæ pondus operabitur in vobis; gaudete, & iterùm dico, gaudete, gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde! Fidelis sermo omni acceptione dignus! Jam ad hæc audita inardescit animus; lætatur cor meum in his quæ dicta sunt mihi; liquefit anima mea, & deficit in atria tua, ô Jesu centrum animæ meæ; jam cætera arbitror ut stercora, ut te lucrifaciam Deum meum & omnia; jam ardenter cupio dissolvi & esse tecum; quandò ergò veniam & apparebo ante faciem tuam? Veni, Domine Jesu, & noli tardare.

O anima mea, bonum quidem est tibi esse ubi desideras & speras sine fine gau-

dere; verùm, coërce tantisper desideria tua; nonne oportuit Christum, cujus Minister es, pati, & ita intrare in gloriam suam? Stude & tu mortificari propter illum, quoad vixeris, totâ die; labora interdùm sicut bonus miles Christi, imple ministerium tuum, zela zelum legis ejus & salutis tuæ, spera in eo, & fac bonitatem, incumbe puritati tuæ; quis enim ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus, nisi innocens manibus & mundo corde? Et cùm tandem cursum consummaveris, fidem servaveris, audies, propitio Deo, istud mellifluum verbum: *veni, amica mea; veni, coronaberis.*

PIA ET EFFICAX

Ad Christum crucifixum consideratio.

ECce, ô anima mea, ecce Salvator tuus: fiducialiter agas in eo, & ne timeas; ecce Agnus Dei qui occisus est, & qui tollit peccata mundi; quarè ergò tristis es anima mea, & quarè conturbas me? Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis; caput inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus extensum ad redimendum. Accede ergò cum fiduciâ ad Deum pro te crucifixum; præbe illi cor tuum, cor amore flagrans, cor contritum & humiliatum, cor compatiens & obediens usque ad mortem; sic cum illo loquere ex abundantiâ amoris, doloris, & fiduciæ.

Adoro te, Jesu Christe, & benedico tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. Salvator mundi, salva me, qui per Crucem tuam redemisti me. O Jesu miserator & misericors! Anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis. O Jesu! Quid est Jesus, nisi Salvator? Ergò, ô Jesu, propter gloriam nominis tui redime me, miserere mei, salva me, dùm non est præter te qui redimat neque qui salvum faciat.

O Jesu, Agne immaculate, recordare quòd non corruptibilibus auro vel argento redemptus sim, sed pretioso Sanguine tuo. Verùm, quæ utilitas mihi in sanguine tuo, si descendero in æternam corruptionem? Ecce redemisti me, Crucem passus; tantus ergò labor non sit cassus, sed salva me, fons pietatis, & copiosa redemptio mea!

O Jesu, qui latroni pœnitenti Paradisum promisisti, & qui factus es mihi sanctificatio & redemptio, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce servo tuo. Ecce adeo cum fiduciâ ad thronum gratiæ tuæ, ut misericordiam consequar, & gratiam inveniam in auxilio opportuno. Quid mihi nunc denegabis testamenti novi mediator Jesu, si iniquitates meas portans, pro me mortuus es? Ecce aspersio Sanguinis tui meliùs loquitur quàm Abel. Peccata quidem mea, ô Jesu mi, clamant vindictam; at Sanguis tuus, veniam & misericordiam.

Horrendum quidem eſt incidere in manus Dei viventis ; ſed, ô amantiſſime Jeſu, quàm ſuave eſt incidere in manus Dei morientis ! Ergò, in manus tuas commendo ſpiritum meum ; redemiſti me Deus veritatis. In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternùm. Utinam audiam in horâ mortis hoc mellifluum verbum : hodiè mecum eris in Paradiſo. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Judicia quidem tua, abyſſus multa ; terrores tui & torrentes iniquitatum mearum conturbant me ; ſed hæc vulnera tua, brachia extenſa, caput inclinatum, cor apertum, & miſericordiæ tuæ quæ à ſeculo ſunt, lætificant animam meam : igitur, propitius eſto mihi peccatori, ô miſericordia mea ; ne in furore tuo arguas me, & non intres in judicium cum ſervo tuo ; intra vulnera tua abſconde me donec pertranſeat furor tuus, & ne permittas ſanctum tuum videre corruptionem.

O cor lanceâ militis perforatum ! O cor, petra refugium herinaciis ! Ibi paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi ubi ponat pullos ſuos. O cor refugium meum in tempore malo ; hæc requies mea, hìc habitabo, quoniam elegi eam ; hoc in nidulo meo moriar, & ab inimicis meis ſalvus ero ; ſed interim, ô cor Jeſu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui, illo igne quem veniſti mittere in terram.

O Jeſu, confiteor quia ego millies te mihimetipſi crucifixi ; ego vulneravi cor tuum ; ſed recordare, Jeſu pie, quòd non

despicias cor contritum & humiliatum; verè doleo quia tibi soli peccavi, & quia paravi tibi crucem Salvatori meo; non dimittam te donec benedixeris mihi, & donec audiam in corde meo istud suave verbum: vade in pace, remittuntur tibi peccata tua. Diligo te, fortitudo mea & liberator meus, paratus sum, & non sum turbatus, animam meam ponere pro te, qui dilexisti me, & lavisti me in sanguine tuo; interim, ô Jesu mi, tibi conformis imago esse cupiens, stigmata tua, quoad vixero, in corpore meo portabo, ut adimplens ea quæ desunt passionum tui, & tandem in arâ crucis, & in tuo amplexu ac osculo mortuus, dimissa in pace, & socius sim consolationis.

O Jesu, mi Jesu, qui dixisti: cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum; ecce te exaltatum video in hoc patibulo: eïa ergò, suscipe me inter amorosa brachia tua, quæ pro me in hâc cruce extensa cerno; trahe ad te animam meam, nec dimittas, donec recipias eam in æterna tabernacula; suscipe me, dulcissime Jesu, in misericordiâ tuâ, suscipe in pace spiritum meum.

ASPIRATIONES

Ad felicem mortem postulandam.

O Bone Jesu! Cùm statutum sit omnibus hominibus semel mori, & cùm ex mortis momento pendeat tota æternitatis

causa, rogo te ut beatæ mortis curæ, viriliter & semper studeam, ne, heu ! in æternùm peream pessimâ & irreparabili peccatorum morte.

O bone Jesu, qui dixisti : vigilate, quia nescitis neque diem, neque horam ; libera me à subitaneâ & improvisâ morte ; quapropter, rogo te, ut de mortis adventu incertus, maturè domui meæ disponam, & moriar quotidiè, exemplo Apostoli, ut ad mortem semper paratus, possim, in primâ, secundâ, & tertiâ vigiliâ, ac singulis momentis, mori, te propitio, morte justorum.

O bone Jesu, qui nobis præcipis ut, tanquàm advenæ & peregrini, abstineamus à carnalibus desideriis, & ut utamur hoc mundo tanquàm non utentes, quia præterit figura hujus mundi ; rogo te, ut non habens hîc manentem civitatem, futuram tantò ardentiùs inquiram, & ut, relictis omnibus, saltem corde & animo, antequàm moriar, liberiùs & ardentissimè cupiam dissolvi & esse tecum, ac inebriari ubertate domûs tuæ.

O bone Jesu ! ô Deus veritas ! ô Deus bonitas, & protector vitæ meæ ! ô charitas ! ô charitas Deus, & ignis consumens ! da mihi, præsertim in horâ mortis, fidei, spei, & charitatis augmentum, ut firmiùs credens, securiùs sperans, & ardentiùs amans, merear, propter nimiam charitatem tuam, assequi quod promittis.

O bone Jesu, qui cor contritum & humiliatum numquàm despicis, & qui sanas

contritos corde, rogo te ut, per totam vitam, & præcipuè in horâ mortis, recogitem tibi, & propter te ſummè bonum, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, remittes mihi peccata multa, quoniam dilexero multùm; & quia præſtabilis eſt bonitas tua ſuper malitiâ peccatoris, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor, quia miſericordiâ tuâ plena eſt terra; tunc, mundus corde, dimittar in pace, & te videbo in gloriâ, & interim dicam ſemper: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.

O bone Jeſu, qui inſtituiſti Sacramenta, ut per illa omnis vera juſtitia, vel incipiat, vel incœpta augeatur, vel amiſſa recuperetur, (*Trid. Seſſ. 7.*) concede mihi ſpatium dignè ſuſcipiendi in horâ mortis Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctionis, ut hauriens in gaudio de his fontibus tuis aquam ſalientem in vitam æternam, guſtem in cœlo illa gaudia plena, quorum pignus in his Sacramentis nobis, miſericors & miſerator Domine, reliquiſti.

O bone Jeſu, qui poteſtatem habens ponendi animam tuam, & iterùm ſumendi eam, factus tamen es obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, concede mihi gratiam, ut aſpiciens in te auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito tibi gaudio, ſuſtinuiſti crucem, voluntariè ſacrificem tibi vitam meam, & dicam ſemper: magnificeris in me, ô Jeſu-

Christe, in corpore meo, sivè per vitam, sivè per mortem; non mea voluntas, sed tua semper fiat.

O bone Jesu, qui pestilentiam & morbos, non solùm ob peccata immittere consuevisti, sed etiam ad gloriam tuam manifestandam, & qui quos diligis, hos castigas & flagellas, rogo te ut in dolore patientiam habeam; nonne æquum est ut sicut bona suscipio de manu tuâ, ita & mala æquanimiter sustineam? Nonne vita & mors sunt à te? Nonne universa propter temetipsum operatus es? Eïa ergò, mî Jesu, qui es patientia mea, & qui nobiscum es in tribulatione, adjuva me, ut propter te, & in unione dolorum tuorum patiens, ac in patientiâ meâ animam meam viriliter possidens, audire tandem possim: jam hyems transiit; surge, amica mea & veni, intra in gaudium Domini tui.

O bone Jesu! O fidelis Deus, qui non pateris nos tentari supra id quod possumus, sed facis cum tentatione proventum, ut possimus sustinere, ne inducas me, instante morte, in tentationem infidelitatis, præsumptionis, desperationis, vel tristitiæ, tædii, molestiæ, vel impatientiæ, vel inordinati vivendi & salutis recuperandæ desiderii; & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum eris; veni ergò tunc, tanquàm bellator fortis, ut postquàm legitimè certavero, de manu inimicorum meorum liberatus, te miserante, coronari merear.

O bone Jesu, qui consolaris nos in om-

ni tribulatione noſtrâ, ne derelinquas me cùm defecerit virtus mea, cùm anxiabitur cor meum, pavebit, tædebit, & conturbabitur anima mea, attenuabitur ſpiritus meus; præſertim, quandò dolores mortis circumdabunt me, torrentes iniquitatis meæ & terrores tui conturbabunt me, ac pericula inferni me invenient. Heu! undiquè mihi tunc erunt anguſtiæ; ubi ergò, ubi parebo, ſi in hoc tempore malo diſceſſeris à me, ô Deus ſalutis meæ!

O bone Jeſu, judex vivorum & mortuorum, & qui, ſtatim poſt mortem, me manifeſtari præcipies ante tremendum tuum tribunal, ſupplex oro ut non intres in judicium cum ſervo tuo, neque in furore tuo arguas me, nec facias mihi ſecundùm peccata mea; ſed miſerere mei ante diem rationis; & dùm tempus eſt miſerendi, confige timore tuo carnes meas, ut, meipſum per vitam dijudicans, ſtem cum fiduciâ ante tribunal juſtitiæ tuæ.

O bone Jeſu, qui nihil odiſti horum quæ feciſti, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, & qui latroni pœnitenti paradiſum promiſiſti, rogo te ut, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, miſerearis mei in horâ mortis meæ, & ut educas de cuſtodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo; mirificabis miſericordias tuas: ergò, ô Jeſu, mi Jeſu! da gloriam nomini tuo, & ſalva me, fons pietatis.

O bone Jeſu! Per illum zelum quo languores noſtros tuo livore ſanaſti; per an-

gustias cordis tui, cùm te à Patre derelictum clamasti; per agonias quas in horâ mortis sustinuisti, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam.

Attamen si, justo judicio tuo, descendero in Purgatorium, ut pœnæ peccatis meis debitæ pleniùs satisfaciam, jam nunc tribulationem meam, quam in hoc exilio passurus sum, ante te pronuntio, Deus; & quoniam tunc amore vehementiùs languebo, & erunt mihi amariores lachrymæ, dùm dicetur mihi: ubi est Deus tuus? Accelera tunc ut eruas & consoleris me; excita fidelium voluntates, ut per illorum suffragia de illo carcere eductus, te citiùs possideam, ô centrum animæ meæ.

O bone Jesu! Rogo te per illum doloris gladium quo dulcissimum Matris tuæ cor in passione tuâ transfixum fuit, ac per merita omnium Sanctorum, ut nec vita, nec mors, neque alia creatura me à te separare valeat, & ut anima mea moriens morte justorum, & de terrestri domo hujus habitationis dissoluta, domum non manu factam habeat in cœlis, & misericordias tuas in æternùm cantet. Amen.

SPIRITUALIS ADMINISTRATIO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

QUàmvis tandem infirmeris ad mortem, charissime Frater; tamen, propter subitaneam mortem, non erit forsan tempus ad-

ducendi Presbyteros Ecclesiæ, ut te oleo ungant, te oratione fidei allevient, & ut te à peccatorum reliquiis mundent. Ecquid, si in peccatis sis? Quapropter, consultum est, ut sanus & incolumis tibi interdùm, quasi jam morituro, administres spiritualiter & in voto, Extremam-Unctionem, signando signo crucis Dominicæ, vel aquâ benedictâ, singulos sensus, dicendo vehementi animi dolore:

Ad oculos.

Misericors & miserator Domine, per tuam piissimam misericordiam, & per merita Salvatoris mei Jesu-Christi, indulge mihi, quæso, quidquid peccavi per visum per hos oculos, per quos, tanquàm per fenestras, pravæ cogitationes, illicita desideria, ipsaque mors ascenderunt in animam meam. Propitius esto mihi peccatori; doleo quia tibi soli peccavi summè bono & dilecto; jam nolo ampliùs peccare; volo autem mortificare oculos meos, eos claudendo omnibus seculi vanitatibus. O lumen oculorum meorum Deus, eos ipse averte, ne videant vanitatem. Ad te, Domine, ô pulchritudo antiqua, ad te sint semper oculi mei; perennes aquarum exitus deducant hæc peccatorum instrumenta, in spiritu satisfactionis, quia non custodierunt legem tuam.

Ad aures.

Misericors & miserator Domine, per tuam piissimam misericordiam, & per merita Salvatoris mei Jesu-Christi, indulgeas mihi, quæso, quidquid peccavi per audi-

tum ; lava aures meas à colloquiis quæ contra divinam majeſtatem tuam, contra Proximum, & meipſum avidè audierunt.

Propitius eſto mihi peccatori ; doleo, quia tibi ſoli peccavi ſummè bono & dilecto ; jam nolo ampliùs peccare ; volo autem mortificare aures meas, eas ſpinis ſepiendo, ſivè in ſpiritu humilitatis & ſatisfactionis, ſivè ut non ampliùs audiam iniquorum fabulationes, ſivè, & quidem præcipuè, quò attentiùs audiam quid loquaris in me, Dominus Deus.

Ad os.

Miſericors, & miſerâtor Domine, per tuam piiſſimam miſericordiam, & per merita Salvatoris mei Jeſu-Chriſti, indulgeas mihi, quæſo, quidquid peccavi per guſtum, crapulæ hactenùs, tanquàm Deo, ſervientem. Heu mihi ! hoc guttur & os meum fuerunt ſepulchrum patens, ex abundantiâ fœtidi cordis mei loquens & ructans vaniloquia, ſcurrilia ; falſa, turpia mendaciorum & detractionum monſtra. Propitius eſto mihi peccatori ; doleo quia tibi ſoli peccavi ſummè bono & dilecto ; jam nolo ampliùs peccare ; volo autem mortificare & guſtum meum, ſobriè vivens, ac alimenta ut medicamenta ſumens ; & os meum, ei ponens cuſtodiam, ut non declinet cor meum in verba malitiæ, nec in otioſa ; quinimò, quoad fas erit, ſervabo ſilentium in ſpiritu humilitatis ; ſi autem loquar, de regno tuo, & ſermones tuos duntaxàt pro viribus, te inſpirante, loquar ; in multiloquio enim vano non

deeſt peccatum : expertus loquor.

Ad nares.

Miſerator, & miſericors Domine, per tuam piiſſimam miſericordiam, & per merita Salvatoris mei Jeſu-Chriſti, indulge mihi, quæſo, quidquid peccavi per odoratum. Propitius eſto mihi peccatori; doleo quia tibi ſoli peccavi ſummè bono & dilecto; jam nolo ampliùs peccare; volo autem mortificare propter te, ac in ſpiritu humilitatis & ſatisfactionis, odoratum meum, in rebus etiam licitis, omnia hujus mundi ut fœtida ſtercora arbitrans & declinans; tu eris deinceps fragrans odor meus: da ut pariter ſim ego bonus odor tuus, dans in omni loco, ſicut balſamum aromatizans, ſuavitatem odoris.

Ad manus.


Miſerator & miſericors Domine, per tuam piiſſimam miſericordiam, & per merita Salvatoris mei Jeſu-Chriſti, indulge mihi, quæſo, quidquid peccavi per tactum manuum. Heu mihi! quot mala opera turpiter patrarunt manus iſtæ? Ecquid, ſi in operibus manuum mearum deprehenſus fuiſſem ego peccator? Sed, ô bone Jeſu, patienter erga me egiſti: igitur propitius eſto mihi peccatori; doleo quia tibi ſoli peccavi ſummè bono & dilecto; jam nolo ampliùs peccare. Et quoniam manus meæ iniquitatem fecerunt, jam deinceps diſtillabunt in ſpiritu ſatisfactionis, myrrham pœnitentiæ. Da quod jubes, & jube quod vis.

Ad pedes.

Miserator & misericors Domine, per tuam piissimam misericordiam, & per merita Salvatoris mei Jesu-Christi, indulge mihi, quæso, quidquid peccavi per incessum pedum; propitius esto mihi peccatori: doleo quia tibi soli peccavi summè bono & dilecto; jam nolo ampliùs peccare; sed, ô bone Jesu, qui es via, perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, & ut non sim lapis offensionis ac petra scandali.

Ad pectus.

Miserator & misericors Domine, per tuam piissimam misericordiam, & per merita Salvatoris mei Jesu-Christi, indulge mihi, quæso, quidquid peccavi per pravas cogitationes cordis. Heu! De hoc corde exierunt omnia peccata mea: igitur, scindatur dolore cor meum; propitius esto mihi peccatori; doleo quia tibi soli peccavi summè bono & dilecto; jam nolo ampliùs peccare, volo te deinceps diligere ex toto corde, tibi servire & te adorare ex toto corde. Accipe hoc sacrificium justitiæ quod in spiritu humilitatis tibi indignus offero; sed ampliùs lava hoc cor meum ab iniquitate meâ. Tunc benignè acceptabis istud sacrificium: *præbeo tibi cor meum, omnia mea tua sunt.*



PROTESTATIONES.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Ego N. sciens me moriturum, nesciens autem mortis diem neque horam, integris tamen corporis & animæ viribus, ac plenâ libertate adhùc fruens, protestor in conspectu Dei, & coram omnibus viventibus:

I. Quòd sine fide impossibile sit placere Deo & salvari; quapropter, volo mori in verâ sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fide, in quâ hactenùs vixi. Credo firmiter quidquid illa mihi credendum proponit, quia tu, Domine, qui es ipsa veritas, illud revelasti; omnia credo, & illa intelligo eodem præcisè sensu, quo illa semper intellexit sancta Mater Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra, (*Trid. Sess. 7. can. 1.*) Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, cui protestor me velle in omnibus esse obedientem, si necesse sit, usque ad mortem crucis. Confirma hoc propositum, Deus, quod operaris in me, ut non deficiat fides mea, confirmem verò fratres meos.

II. Protestor quòd, cùm fides sine operibus mortua sit, & vim patiatur regnum cœlorum, velim viriliter agere, laborare sicut bonus miles Christi, incessanter operari bonum dùm tempus habeo. Non tacebo die ac nocte laudare nomen Dei, ut per bona opera mea certam meam voca-

tionem & electionem faciam, & ut indè intrem in gloriam Dei, in quam omnes Sancti, & ipse Dominus Jesus non intrarunt nisi laborando à juventute suâ, nisi operando & patiendo usque ad mortem.

III. Quapropter, protestor, ô altissime Deus, quòd velim te Deum meum adorare, tibi soli servire, & tibi benedicere in omni tempore; tu es Rex meus, Deus meus, & omnia: tibi ergò Regi seculorum immortali, soli Deo, honor & gloria; tibi Dòmino & Deo meo subjecta erit anima mea, tibi semper sacrificabit hostiam laudis pro omnibus quæ retribuisti mihi: omnis terra adoret te, psallat, & benedicat tibi; hoc est & erit rationabile & sempiternum obsequium & desiderium cordis mei, quæ tibi nunc offero pro omnibus agoniæ momentis quibus, præ angustiâ, hæc medullata holocausta offerre non valebo, nihil quidem, sine te facere possum, sed mihi diffidens & in te confortatus, omnia possum; & sicut gratiâ tuâ sum id quod sum; ità, gratiâ tuâ, ero quod ero: rogo te ut gratia tua in me vacua non sit.

IV. Domine Jesu! in manibus tuis sortes meæ; vitæ & mortis potestatem habes, mortificans & vivificans, deducens ad inferos & reducens; tu enim misereris cujus misereris, & non est volentis neque currentis, sed tui, Deus meus, miserentis. Ecquis tibi imputabit, si perierint gentes quas tu fecisti? Quæ cùm à te benè ordinata sint, protestor quòd me humillimè subjiciam sententiæ quam erga me vel con-

tra me post judicium feres, firmissimè credens quòd, si salvus faciendus sim, salvantis tui futurum sit donum; & quòd, si periero & fuerim reprobus, pereuntis mei futurum sit meritum, (*Conc. Arausi.*) & dicam semper: perditio mea ex me; quapropter, meritò iram tuam in æternùm portabo, & multis jure vapulabo, quia sciens voluntatem tuam, hanc, servus nequam, facere nolui, & quia, incircumciso corde, Spiritui Sancto semper resistens, obduravi cor meum. Justus es, Domine, & rectum judicium tuum. O altitudo! adoro incomprehensibilia judicia tua, tuasque investigabiles vias: Dominus es; quod bonum est in oculis tuis facias semper, ô Deus majestatis, in cujus ditione cuncta sunt posita; si tamen heu! adeò infelix fuerim ut, maledictus, in æternùm à te Deo meo separandus sim, hanc, velim, mihi concede gratiam, ut per residuum annorum meorum sis tu dilectus meus mihi, & ego tibi; & quidquid justo & occulto judicio tuo, mihi post mortem acciderit, contendam interim diligere te ex toto corde meo, ô Deus cordis mei; tu scis, Domine, quia amo te, & quidem propter te; non enim quæro quæ mea sunt, sed te.

V. Non sum quidem dignus nec oculos in cœlum levare, quia iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; sed quis intelliget, Domine, misericordias tuas? Igitur, quàmvis occideris me; licèt meritò dicere possim: infernus domus mea est; protestor tamen quòd sperem in bonitate

tuâ, quia præſtabilis eſt ſuper malitiâ meâ. Iterùm & ſecurè dico : in te, Domine, ſpero, non confundar in æternùm; annuntiabo hoc in universâ terrâ, & ubiquè omnia oſſa mea dicent : Domine, quis ſimilis tibi in miſericordiâ? Beatus homo qui ſperat in te. Sperate in Deo, omnis congregatio populi, & facite bonitatem, ne Deum tentare videamini.

VI. Proteſtor quòd diligam te ex toto corde meo, quia bonus es tu. Quis mihi hoc tribuat ut, charitatis incendiis, potiùs quàm vi mortis, obdormiam in te, ô Deus cordis mei? Et quia amo te, pleniſſimè accepto calicem morbi & mortis, in unione paſſionis & mortis tuæ. Diligo etiam proximum meum, & inimicos meos, propter te.

VII. Proteſtor quòd doleam de peccatis meis propter te ſummè dilectum; iterùm dico, &, quoad vixero, ex abundantiâ cordis dicam, quòd ad hunc animi dolorem non me moveat nec gehennæ timor, nec gloriæ deſiderium, ſed ſumma bonitas tua, ſummè amabilis; & malo tibi dilecto, mori, quàm tibi offenſo, vivere. O quandò liberabor de corpore mortis hujus, ut jam non ampliùs peccem tibi, & ut perfectè in ſecula ſeculorum laudem te?

VIII. Quoniam reddenda omnibus debita præcipis, proteſtor quòd paratum ſit cor meum ad redimenda, ſivè in hâc vitâ, ſivè in Purgatorio, tot peccata quæ contra divinam tuam majeſtatem commiſi; paratum inſuper ad ſatisfaciendum, ante-

quàm moriar, omnibus his quos offendi & læsi verbo, scandalo, fraude, &c. & ab illis omnibus veniam supplex oro, eorumque precibus me confidenter committo.

IX. Etiamsi oportuerit me millies mori, protestor quòd jam nolim ampliùs peccare. Heu tamen! cùm militia sit vita hominis super terram, protestor quòd, tuâ gratiâ adjutus, nolim assentiri suggestionibus quas Satanas mihi in horâ mortis suggeret contra fidem, spem, & charitatem; ut autem, instante agone, fortis sim in bello, & fidelis usque ad mortem, protestor quòd Sacramenta Ecclesiæ his in angustiis recipere optem, & quòd ardenter desiderem, si ampliùs loqui non potuerim, commendare spiritum meum in manus tuas, & me committere præsidiis Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, ut has armaturas accipiens, victor evadam, & obtineam coronam vitæ. Amen.

COMMENDATIO

Animæ.

AD crucifixi imaginem provolutus; vel eam præ manibus tenens, recita devotissimè animæ commendationem quæ habetur in breviario, & quam tibi morienti nemo forsan recitabit; vel istam, si tibi ita expedierit.

Egredere, anima mea, egredere de corpore mortis hujus; Dominus adest & vocat te; tempus est ut manifesteris ante tribunal ejus; ut judiceris, & recipias secundùm opera tua.

Dulcissime Jesu ! Scio quidem te esse judicem vivorum & mortuorum ; sed etiam scio te esse patrem, & clementissimum patrem, qui non vis mortem peccatoris, sed ut in æternùm vivat ; nemo tam pater, quàm tu, ô bone Jesu ! Non solùm enim formasti me ad imaginem & similitudinem tuam ; non solùm redemisti me & conservasti ; non solùm patienter erga me egisti, & me millies ex inferno inferiori liberasti ; verùm etiam mortuus es propter justificationem meam, ut divinæ naturæ tuæ & gloriæ consors fierem : grandis misericordia ! Quis similis tibi ?

Quoniam ergò, piissime Jesu, opus manuum tuarum sum ego, & tui Sanguinis pretium, corona me in misericordiâ tuâ ; ne derelinquas animam meam in inferno ; in inferno enim quis confitebitur tibi ? Eam verò suscipe in manus tuas quæ fecerunt & redemerunt me ; in manus tuas quas clavis pro me perforatas video ; suscipe me, Jesu-Christe, inter hæc amorosa brachia, quæ in hâc Cruce extensa fiducialiter amplector ; corona me nunc in misericordiâ & miserationibus ; peccavi quidem in cœlum & coram te ; sed ecce Domine Jesu, ecce pono hanc crucem & mortem tuam inter judicium tuum & miseram animam meam ; ecce vehementi animi dolore, ardenti amore, ac totâ fiduciâ dico quod & tuus Proto-Martyr moriens dicebat : suscipe spiritum meum, dulcissime plasmator & redemptor mi ; tuus sum ego, salvum me fac ; in manus tuas

commendo ſpiritum meum, redemiſti me, Deus veritatis. Aperi, Domine, aperi; me expectant juſti donec retribuas mihi, ut unà cum illis confitear nomini tuo. Fui quidem ſemper ſervus inutilis, ſpero tamen gloriam per miſericordiam tuam quam mecum ſemper feciſti; corona nunc miſericordias tuas, & eas in æternùm cantabo.

O Pater æterne, pater miſericordiarum, reſpice, ſupplex oro, reſpice in faciem Chriſti tui, ac per eum indignationem tuam averte à me, & recipe me in dilecta tabernacula tua, in quæ ardentiſſimè concupiſcit & deficit anima mea; in ſecula ſeculorum laudabo te.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, quæ doloris gladio percuſſa, filio tuo morienti, juxta crucem adſtitiſti, opem feras mihi, quæſo, ſuper lectum doloris mei, mihique periclitanti, manuum tuarum, propitia, porrige dexteram; monſtra nunc præſertim te eſſe matrem; tu me ab hoſte protege, ac me in horâ mortis ſuſcipe.

Tu es refugium peccatorum: eïa ergò, advocata mea, illos tuos miſericordes oculos ad me converte, & Jeſum, benedictum fructum ventris tui, mihi poſt hoc exilium oſtende, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

O Archangele Michaël, qui zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, militiæ cœleſtis meruiſti principatum, defende me in prœlio, ut non pereàm in tremendo judicio.

O vos

O vos Angeli, quibus Deus mandavit de me ut custodiretis me in omnibus viis meis, qui semper faciem Patris in Cœlis videtis, qui super uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis; ô administratorii spiritus, qui capientibus hæreditatem salutis, in ministerium missi estis, & qui malos de medio justorum separabitis; de ore leonis, fortes in prœlio, liberate me; occurrite, Angeli Domini, aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor vobiscum Domino.

Sancte Joseph, qui Mariæ sponsus eligi, & Jesu pater putari meruisti; qui inter brachia Jesu & Mariæ mortuus, in Domino obdormiisti; ô specialis beatæ mortis protector! Impetra mihi pretiosam Sanctorum mortem.

O Sancti omnes, qui ludibria & verbera experti, & propter justitiam passi, videtis nunc non in ænigmate, sed facie ad faciem Dominum Deum vestrum, orate pro me, ut de laqueo venantium liberatus, Deum Deorum in sanctâ Sion in æternùm laudem. Amen.

CONCLUSIO

Hujusce ad mortem præparationis.

Transige residuum hujus diei eâdem animi tranquillitate quasi inter Jesu brachia expirasses, in æternùm victurus; & claudens recollectionis diem, gratias age Deo, qui te in solitudinem ducens, locutus est ad cor

tuum eloquia ignita ; exeas ex hâc solitudine sicut Apostoli, spirans flammam ignis, factus ipsi diabolo terribilis ; ac mundo tibique mortuus, jam non tibi vivas, sed Christo. Quapropter ista sequere documenta.

Offer Deo proposita tua ; eum enixè roga ut eis benedicat eaque facundet, confirmando quod operatus est in te, disponendo ascensiones in corde tuo, & te confortando contra impetus inimicorum tuorum, ut non prævaleant adversùm te, & ut victor usque in finem perseveres.

II. Cave tamen ne vaga & generalia sint proposita tua ; perscrutare & aggredere illud tuum radicale vitium à quo cætera pullulant, quodque tuam perfectionem retardat & est relapsuum origo. Igitur oportet ut per totum sequentem mensem omnem curam impendas ad illud eradicandum ; adhibe ad hunc finem examen particulare, vigilantiam, orationem, pœnitentiam medicinalem, actus contrarios, tui diffidentiam, in Deo spem & Sanctorum præsidium.

III. Ne animo concidas, imò ne mireris si labaris, aut si non tantùm proficias quantùm optas ; terra tua, scilicèt cor tuum ad malum pronum, dabit fructum suum, & germinabit tibi identidem tribulos & spinas peccatorum : igitur si lapsus sis, redeas cum fiduciâ ad Sacramentum pœnitentiæ ; si opus sit, renova propositum tuum, legitimè certa, quotidiè incipe ; tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris : (*Imit. Christ.*) jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. (*S. Bern.*)

IV. Quò ferventiùs his monitis pareas, in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternùm non peccabis. Quapropter, singulis diei horis dicito tibi: transit mundus, tempus breve est, ventus est vita mea, anni mei sicut aranea meditabuntur; sed heu! appropinquat æternitas, & æternitas numquàm finienda.

V. Horâ tertiâ pomeridianâ, hanc effunde orationem: *O Domine Jesu-Christe, rogo te per illam amaritudinem passionis tuæ quam in horâ mortis sustinuisti; maximè tunc quandò tua sanctissima anima de benedicto tuo corpore est egressa, miserere animæ meæ in egressu suo de corpore meo, & perduc eam in vitam æternam.* Amen.

VI. Quandò videbis Viaticum aut Extremam-Unctionem ad infirmum & moribundum deferri, dicito tibi: tandem ego ipse versabor in infirmitate meâ, sicut ille nunc in suâ versatur. Quid tunc me fecisse vellem? Ero tunc ad mortem paratus, si nunc sanus & incolumis, non aptem oleum bonorum operum? Quo fervore Sacramenta in horâ mortis recipiam, si per vitam abutar his fontibus Salvatoris?

VII. Quandò campanæ te de alicujus morte monebunt, hæc tecum cogita: *hic mortuus est, jam judicatus est, vel in æternùm inter Sanctos computandus, vel in æternùm igni, cum diabolo deputandus.* Idipsum de me dicetur. Eædem, vel aliæ campanæ populum de meâ morte monebunt; peribit quidem memoria mea cum sonitu; verùm ubi parebo, si non moriar

quotidiè, si maturè & ex nunc non disponam domui meæ, & beatæ mortis studio non incumbam? Et licèt homines me post mortem laudent, quid mihi proderit, si ad inferna descendero?

VIII. Quandò videbis defunctum ad tumulum deferri, lege in ejus vultu fœdè mutato caducitatem rerum humanarum; cogita illum te sic monere: *mihi heri, & tibi hodiè: omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas; se ad mortem parare, & ad mortem esse semper paratum, hæc est vera & unica sapientia; cætera nugacitas, fascinatio intellectûs; undè fit ut infinitus sit stultorum numerus.*


Sed heu! Undè evenit illa nimis frequens stultitia? Audi quid scriptum sit, & quomodò fiat verum istud: *desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Hæc fœtida nimis spectacula usu vilescunt, ut jam monuimus; aliorum tumulum oscitanter videmus, nostrum autem à longè aspicimus; & sic parùm satagimus ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus; & tamen in imagine pertransit homo; undè, sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo, sic subitò capiuntur homines in tempore malo; & dùm inducias petunt usquè manè, moriuntur; pulsant quidem, sed jam clausa est janua, & eis terribiliter dicitur: *Nescio vos..*

O filii hominum; & præsertim nos Sacerdotes, qui hæc sæpissimè legimus &

dìcimus : quis nos ita fascinavit, ut, scientes & volentes, à Satanâ nos turpiter tentari sinamus, & nobis, ô cæci, imponamus ? Usquequò, gravi corde, diligemus vanitatem, & quæremus mendacium ? Eïa ergò, Fratres charissimi, misereamur animæ nostræ, providentes maturè studio beatæ mortis, & huic quam tradidimus ad vitam viæ, sedulò inhærentes.

Misereamur etiam periclitanti moribundorum animæ, eos in tam difficili luctâ fideliter adjuvantes, & ad felicem exitum dirigentes. Complura ad hoc opportuna exercitia suggerit ista ad mortem præparatio ; hæc eligamus quæ cuilibet agonisanti aptiora noverimus ; quæ tamen non temerè & confertim ; sed sensim, leniter, & per intervalla ingerenda sunt. Si huic pietatis officio desimus, quomodò charitas Dei in nobis est ? Quâ fronte boni Pastoris nomen induimus ? Nonne, heu ! eâdem mensurâ quâ mensi fuerimus, remetietur nobis ?

FINIS.



INDEX HUJUS REGULÆ CLERI.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.



CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.



INDEX PRÆPARATIONIS AD MORTEM.

FINIS INDICIS.